

166

PRÆLECTIONES

Theologicæ — Dogmaticæ — Polemicæ — Scholasticæ
habitæ in celeberrima PATAVINA ACADEMIA

A P. M. F. JACOBO HYACINTHO

SERRY

ORD. PRÆD. DOCTORE SORBONICO

AC

PRIMARIO IBIDEM SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORE.

Quas in unum collectas, atque in ordine collocatas

ILLUSTRISSIMIS, ATQUE EXCELLENTISSIMIS VIRIS

JOANNI, ET PETRO
BASADONÆ
FRATRIBUS
VENETIS SENATORIBUS AMPLISSIMIS

D. D. D.

CAMILLUS MANETTI UTINENSIS J. U. D.

OPUS POSTHUMUM

IN QUINQUE VOLUMINA DISTRIBUTUM.

Volumen Secundum.

DE DEO HOMINE FACTO.

Accedunt Opuscula ab Authore jampridem edita videlicet;
D. Augustinus Vindicatus, & *Schola Thomistica Vindicata*.





VENETIIS
APUD THOMAM BETTINELLI
SUPERIORUM PERMISSU, AC SENATUS PRIVILEGIO
MDCCXLII.

E L E N C H U S

TRACTATUUM, DISPUTATIONUM, ET PRÆLECTIONUM

unà cum ſuis Argumentis,

Quæ in hoc ſecundo Volumine continentur.

TRACTATUS QUARTUS

DE DEO HOMINE FACTO

PRÆLUDIUM.

Adverſus Judæos, cæteroſque Infideles, Hæreticos, necnon alienos a Thomiſtica Schola Theologos triplici Diſputatione differendum proponitur. Pag. 1.

DISPUTATIO PRIMA

Adverſus Judæos, cæteroſque a Chriſtiana Religione alienos.


PRÆLECTIO PRIMA.

§ iij DIS-

DISPUTATIO SECUNDA

Adversus Hæreticos.

PRÆLECTIO PRIMA.



DIS-

DISPUTATIO TERTIA

Adversus Angelicæ Scholæ Adversarios.

PRÆLECTIO PRIMA.

DI-

DIVUS AUGUSTINUS

A CALUMNIA VINDICATUS

Adversus Jo: Launoji Traditionem.

CAPUT PRIMUM.


uti

SCHO-

SCHOLA THOMISTICA

VINDICATA.

CUM Opusculum hoc non per Capita, aut alias sectiones procedat, sed Tractatus Theologicus Gabrielis Danielis S. J. adversus Gratiam seipsa efficacem, continuata ejus libelli serie, censoriis Animadversionibus in eo confutetur; non est, cur hìc illarum Elenchum reddamus, sed Lectorem ad Materiarum, Rerumque Notabilium Indicem remittere satis erit.



MO-

MONITUM LECTORI.

HIC locus eſſet Indiculi Scriptorum, quorum Teſtimonia in hoc Volumine proferuntur, atque Editionum, quibus in eis conferendis uſi fuimus : quod & in Volumine præcedente præſtitimus, & in reliquis nos præſtituros polliciti ſumus, ſi tamen alii præterea laudandi Scriptores in eis occurrerint. Sed cùm ii in hoc perpauci ſint, ſatius eſſe duximus, ne inanem luderemus operam, Authorum, quos tam in hoc, quàm in ſequentibus Voluminibts laudari continget, nomina, atque editiones in poſtremo dumtaxat exhibere, & in unum Indiculum conjicere. Quod te propterea, humaniſſime Lector, monitum voluimus, ne incuria aliqua illum hìc nos prætermiſiſſe arbitrareris.



DE-



D E
DEO HOMINE FACTO
P R Æ L U D I U M.

De Deo Homine facto adversus Judæos cæterosque Infideles; Hæreticos; necnon alienos a Thomistica Schola Theologos triplici Disputatione differendum proponitur.



Ysterium abſconditum a ſæculis, quod unum ſcire gloriabatur Apoſtolus; Deum ſcilicet factum Hominem, ac pro Hominibus Cruci ſuffixum; impræſentiarum explicandum aggredimur. Poſtulat enim inſtituti operis ratio, & a Magiſtro Sententiarum, cujus nos interpretationem pro Officio noſtro proſequimur, ſervata docendi methodus, ut poſt detecta in anteceſſum Humanæ Naturæ Originis vitio fauciatæ altiſſima vulnera, novo nunc aperto Lyceo demiſſum Cœlo Medicum oſtendamus: *Magnus quippe*, ait Auguſtinus, *de Cœlo venit Medicus*, *quia magnus per totum Orbem Terræ jacebat ægrotus*: *Serm.* 115. *de Verb. Apoſt.*

In qua quidem obeunda provincia, si quod nobis est lumen Ingenii, quod scimus, quàm sit exiguum, id enitendum imprimis, quod superioribus annis, quo potuimus, studio exequuti sumus: ea nimirum seligenda nobis academicarum Exercitationum Argumenta, quæ sui Dignitate, ac Majestate nauseantes Auditores allicere, atque excitare utcumque valeant. In hoc enim Athenæo, ubi non, ut aliàs Christus ajebat, *messis multa*, *Operarii autem pauci*, sed contra potius, *Operarii multi*, *pauca admodum messis* [ut plerunque faciliùs possis Magistrum, quàm Discipulum invenire] cavendum maximè bonarum Artium Professoribus, quos Juventutis Institutioni VENETA MAJESTAS admovit, ne, si jejunas, aridasque Disputationes confectentur, surdis parietibus, nudisque subselliis occentare sæpissimè compellantur. Hac arte præteritis annis incumbentia Sacris Musis fata delusimus; atque, sin minùs Scholæ frequentiam fecimus, solitudinis saltem dedecus, ac ignominiam declinavimus.

Hanc itaque sequuti methodum, quam & conciliandæ Audientiæ necessitas, & Divinæ, quam profitemur, Scientiæ retinenda Majestas nobis inspirant, universam de Divini Verbi Incarnatione Commentationem tribus Disputationibus complectemur. Prima erit contra Judæos, cæterosque quoscumque, qui Christo nostro obsequium negant, ejusque Divinitatem impugnant: Altera adversus nonnullos Hæreticos, qui tametsi Eundem, uti Deum, religiosè nobiscum colant, de Illius tamen Attributis, Prærogativis, ac Dotibus minùs rectè opinantur: Postrema demum adversus peregrinos a Thomistica Schola Theologos, Catholicos licèt, qui circa aliqua ad Christum pertinentia suis innixi Principiis contrarias Angelici Doctoris Sententiis Opiniones tuentur. De sequuto itaque jampridem, Sacris in Literis adpromisso, salutari Messiæ Adventu [quo non modò tota hæc de Deo Homine Pertractatio nititur, verum etiam universa, qua late patet, Christiana Religio] cum perfida Synagoga, cæterisque Christianæ Fidei Adversariis decertabimus primò; frustraque ab iis etiamnum expectari, ab his verò impiè blasphemari, ostendemus: De duabus subinde in uno Christo Naturis, de Personæ unitate, de duplici Voluntate, de Carnis & Animæ veritate cum Eutichianis, Nestorianis, Monothelitis, Valentinianis, Agnoitis, aliisque hujus farinæ Pestibus Controversias movebimus, eorumque Errores retegemus, confutabimus: Tum demum de condigna Satisfactione ab Homine puro frustra exhibenda, de æquivalente, quin & superabundante Christi Domini Satisfactione, de Caussa & Motivo Incarnationis cum Angelicæ Scholæ Osoribus disputabimus, illorumque Placita refellemus. Primam, alteramque Disputationem Religioni debemus, ac Fidei; ter-

tertiam domesticæ Scholæ studio, piæque in Præceptorem Angelicum voluntati. Infirmam siquidem, Viroque Theologo minùs consonam advocationem commodare videremur Ecclesiæ, si quem a Deo verè missum, verumque Deum esse, adversus impia Infidelium præjudicia primò ostenderimus, Hunc suis Adjunctis, & Dotibus ab Hæreticis exui, vel minui sineremus : Officio quoque nostro deesse plurimùm putaremur, si Scholasticis de Christo potioribus Controversiis, quæ inter Doctores Catholicos [Subtilis præsertim, & Angelicæ Scholæ Discipulos] agitantur, penitus prætermissis, Thomistarum Asserta in tuto ponere, ac pro viribus propugnare desineremus. In primos, alterosque liberiùs agere non verebimur; ut agere nimirum solet Hostis in Hostem : postremos autem ea lenitate defricabimus, quam veritatis duntaxat attingendæ studium, non jurgandi æstus inspirat. Quare Disputationem primam statim aggredimur, qua Judæorum potissimùm Errores, falsaque de promisso sibi Messia præjudicia detegentes, Illum frustra ab iis diu expectatum, expectandumve, advenisse jampridem; Eumque verum esse Deum, eundemque Christum nostrum, quem nos veneramur, & colimus, invictissimis Argumentis demonstrabimus, evincemus.



DISPUTATIO PRIMA

Adversus Judæos, cæterosque a Christiana Religione alienos.

PRÆLECTIO PRIMA.

Judæorum cæcitas in intelligendis, explicandisque Veteris Testamenti de Christo Vaticiniis detegitur; Messiamque, qui noster est Christus, adventasse jampridem, octo potissimis Capitibus demonstrandum proponitur; & ex ipsamet Judaica pertinacia, atque perfidia invictissimum Argumentum depromitur.



ÆPE mecum tacitus cogitavi, quid demum causæ sit, quòd, cùm tam multæ in dies prodeant de salutari Christi Adventu eruditæ Lucubrationes & vulgatæ typis, & e sacro Suggestu pronuntiatæ; tam pauci tamen Judæorum ad Christianam Fidem traducantur; ut jam cesserit in proverbium, facilius esse, Æthiopem dealbare, quàm Hebræum ab Errore divellere. Donec id venit in mentem; ortum id maximè ex anticipatis, vetustisque Opinionibus, quas de promissi sibi Christi Dotibus, & Officiis animo ebiberunt; in quibus evellendis, refellendisque prima Virorum eruditorum desudare debet industria: quod ni fiat, omnis in cæteris quibusque probandis, demonstrandisque perit labor, luditur operà.

Ecquid enim, si percontemur ab eis, qualem Sacris in Literis prænuntiatum sibi Christum existiment, qualem etiamnum hodie præstolentur? Sine cunctatione reponunt, quod a Majoribus acceperunt: Virum bellatorem, ac manu fortem, Gentium domitorem, qui obliteratam Mosaicam Legem restituat, Leviticum Sacerdotium instauret, Salomonis Templum, ac Hierosolymam a fundamentis erigat; ac demum Judaicum Genus toto Orbe dispersum, ac profugum, relictis spretisque Gentilibus, in unum cogat, fortunet, ac beet. Ea sibi promissi Christi criteria fingunt cœci Homines, his spebus crudas mentes alunt, atque interim hianti ore candidiores Soles expectant. Falsa autem ea cùm sint, falsa quoque illorum de Christi Adventu judicia derivari necesse est. Hinc ingens

gens illa frangendæ Judaicæ perfidiæ difficultas, & auferendi velaminis labor propemodum infinitus. Cùm enim finiſtram illam de Meſſiæ Dotibus, & Officiis opinionem ebiberint, illuc perpetuò vota vertunt: ac licèt Eccleſiaſtici Tractatores magno Argumentorum apparatu perſpicuum faciant, præfinita optati Adventus tempora ſucceſſiſſe jampridem, fluxiſſe Danielis Hebdomades, ablatum Judæ Sceptrum; Illi ex adverſo omnes Ingenii nervos intendunt, ut eliquatiſſimis Oraculis nebulas offundant; quòd necdum talem Meſſiam viderint, qualem ſibi ſtultè, inaniterque finxerunt.

Idem ſcilicet illis uſu venit, quod olim Theophraſto Philoſopho in ruſticano Seceſſu degenti contigiſſe legimus: quem çùm Alexander Macedo de ſuo in ejus Caſam adventu ſubmiſſis Nunciis monuiſſet; nunquam tamen adduci potuit, ut ſtata die, ac dictâ hora advenientem agnoſceret, coleretque pro dignitate: quòd alium ſibi finxiſſet Macedonem, proceritate ſcilicet Corporis magnum arbitratus; qui contra ſtatura humili, ſola rerum geſtarum gloria ubique Magnus celebrabatur.

Quid plura? Non pauca Scripturarum Vaticinia, quæ myſticum in ſenſum ſumenda veniunt, mortiferam ſecuti literam præpoſterè accipiunt; ut necdum Prophetias omnes impletas obtendant. Hinc cùm de beatis Chriſti temporibus ab Iſaia ſcriptum legerint *Cap. 11. Habitabit Lupus cum Agno, & Pardus cum Hædo accubabit; Puer parvulus minabit eos; Leo quaſi Bos comedet paleas* (quo Symbolo diſſonas Gentes, moribus, ac patriis Legibus diverſas ſub unius Chriſti Domini Imperium cogendas vaticinatus eſt ſacer Vates) ii continuò, quaſi ridente Minerva, hujuſce Oraculi corticem in Chriſtianorum faciem illidunt, ut Jeſu Nazareno Chriſti Dignitatem eripiant, quòd Illo in Terris agente nec Lupus habitarit cum Agno, nec Pardus cum Hædo accubuerit, nec ulla demum aureæ hujus ætatis ab Iſaia deſcriptæ veſtigia in hanc uſque diem Mortalibus apparuerint. O cæcas mentes! Quidni ergo, ſi Superis placet, complanatum iri Terræ Sola, adventante Meſſia, fabulantur, ut & tunc Montes ipſi ſubſidant, ſurgantque Valles? Nam & hoc ipſum, ſi literæ corticem æmulemur, vaticinatus eſt Iſaias *Cap. 40. Omnis vallis exaltabitur; omnis Mons & Collis humiliabitur; & erunt prava in directa, & aſpera in vias planas.* Quidni quoque plaudentia manibus Flumina, Montes feſto ſaltatu choreas agentes, adoriente Meſſia, comminiſcuntur? Namque & hoc alterum, ſi nudis verbis hæreamus, futurum ominatus eſt Regius Vates *Pſalmo 97. Flumina plaudent manu; ſimul Montes exultabunt a conſpectu Domini.* Quæ ſanè, præterquam ſunt abſurdiſſima, repugnant etiam inter ſeſe; cùm & Montes exultare a conſpectu Domini, quod ait Regius Vates, impoſſibile ſit; ſi nul-

li tunc, ut loquitur Isaias, futuri sunt Montes, sed Solo æquandi.

Quid ergo nobis facto est opus, si quo felici exitu Judaicam perfidiam frangere volumus, & oppansum cœcis Mentibus velum educere? Evellenda illis ex Animo funesta illa, infaustaque præjudicia: figenda promissi Messiæ Criteria: definiendæ Notæ, ad quarum normam certam veri Messiæ agnitionem exigamus: revelandus Propheticorum Oraculorum sensus, ne omni interpretationum vento circumferantur. Ita fiet, ut longè alium Liberatorem Mundo promissum Judæi videant, quàm sibi ex præconceptis Opinionibus finxerint; & in unum, quem nolunt, Jesum Nazarenum Vaticinia collineare fateantur. Quocirca octo ista Doctrinæ Capita totidem Prælectionibus ostendere, firmisque Momentis evincere aggredimur, antequam expleta salutaris Adventus tempora demonstremus.

Primum: Christum sacris Prophetarum Oraculis prænunciatum non Judæos modò (quæ cœca illorum gloriatio est) verùm etiam Gentiles, atque istos maximè, vocaturum fuisse, & Idololatriam toto Orbe deleturum.

Secundum: Christum Divinis promissum Oraculis novum Sacerdotii genus instituturum fuisse, Levitico consummato, atque sublato. Qua parte delusos maximè, Judæos nemo nescit.

Tertium: Christum a Moyse Synagogæ prædictum Legem novam consummata veteri, fœdus novum impleto veteri sanciturum: Ritusque Mosaicos, inductis aliis, ablegaturum. Quo Capite Judæorum Animi potissimùm obduruerunt, Mosaicæ Legis perennitatem arbitrati.

Quartum: Chistum veteris Testamenti figuris ac typis adumbratum a Deo, non Salomonicum Templum, ut putant; non Hierosolymam instauraturum; ut illic veteri ritu Judæi Sacrificia offerant, & in terra Patrum suorum secundùm carnem feliciter, beatèque vivant; sed Templum Spiritale toto Orbe diffusum, Ecclesiam dico, ubi spiritu, & veritate colitur Deus.

Quintum: Christum fatidicis Codicibus expressum, non Virum bellatorem, Copiarumque ductorem futurum, ut ajunt; qui miseram Gentem armata manu, ac stricto gladio vindicet; sed Virum humilem, atque pacificum; sacra duntaxat in Vitia, non in Homines, bella gesturum; nec nisi arma mystica tractaturum.

Sextum: Christum sacris Vaticiniis prænunciatum, Hominem non prorsùs immortalem fore, quod ajunt; sed morti, & quidem turpissimæ a Perfidis addicendum; ut Hominum noxas expiaret Sanguine suo.

Septimum: Christum Vatum penicillo delineatum, ac tanquam

ad

ad vivum expressum, non purum, ac merum Hominem fore; sed Hominem Deum cum Hominibus conversantem.

Octavum: Christum Deum, & Hominem a sacris Vatibus dictum, non communi satu, cæterorum Hominum sorte proditurum in lucem; sed partu Virgineo, qui Deum factum Hominem deceat.

In quibus omnibus probandis, demonstrandisque, ne qua fortè nubecula Judæorum Mentibus hæreat; neve secum pugnare sacri Codices videantur, illud simul aperiemus; quo pacto, quave ratione Christus Mortalibus oriturus alio & alio sensu pacificus, & bellator a Divinis Vatibus dictus sit; Servus & Dominus; rejectus & approbatus; contemtus & honore habitus; ignotus & cognitus; pauper ac dives; æternus & morte damnandus.

Hæc ubi semel in aperto fuerint, semotis jam præjudiciis, reductoque velo, promissum sibi Christum, velut ex facie, Judæi noscent. Atque dum illis subinde impleta salutaris Adventus tempora, revolutas annorum periodos, expletas Danielis Hebdomadas, ablatum Judææ Sceptrum, ereptam Prophetiam, Templum eversum, Sacerdotium antiquatum demonstrabimus; quæ omnia nascituri Christi Epocham figunt, totque prænunciatas a sacris Vatibus Notas in uno Jesu nostro consentientes referemus; Christum ex facie jam notum Judæi, si rectè sapiunt, amplectentur: sin minùs, quid nisi cœcam obstinationem incusabimus? Hoc igitur nobis Consilium; hæc institutæ de Christi Adventu Disputationis, quæ primum hic locum obtinet, idea, atque conceptus.

Id unum in votis est, ut qui e Judæorum Grege bonarum Artium studiis delectantur, quales in Italia plurimos novi, hujusce Argumenti tractatione nequaquam absterreantur, sed invitentur multò magis. Ego quidem pro ea, quæ Christianis inesse debet, humanitate tela ipsa, quæ feram, melle subliniam; pietate non minùs, quàm doctrinà pugnabo; ut vel ex ipsa tuendæ Christianæ Caussæ ratione Judæi facilè colligant, penes illos veram stare Religionem, qui ita modestè norunt de Religione disputare.

Nos verò, quotquot Christiana professione ac nomine sumus, [*Genus electum*, *Gens sancta*, *Filii promissionis*] hanc ipsam Judæorum in Christo negando pertinaciam, ac cœcitatem lucro vertamus. Hæc nobis, hæc primariæ Demonstrationis loco sit, qua Christi jamdudum nobis oborti veritatem adstruamus, cæteris omnibus Demonstrationibus anteponenda. Et verò, [ut hoc saltem velitari Argumento in præsentia proludam] cùm hanc ipsam Judæorum obstinationem, & cœcam in Christo negando pertinaciam præcinuerint sacri Vates; tum maximè Jesum a Nazareth Christum verum esse Judæi probant, dum pertinaciter negant; ipsasque Prophetias implent, dum impletas inficiantur.

Quid

Quid enim sacris in Literis luculentiùs expressum, quàm futura Judæorum in Christum perfidia, obstinatio, pertinacia, ob quam a Deo rejici, ac reprobari meruerunt? Isaiæ *Cap. 1. Filios enutrivi, & exaltavi: ipsi autem spreverunt me: cognovit Bos possessorem suum, & Asinus præsepe Domini sui; Israel autem me non cognovit, & Populus meus non intellexit. Væ Genti peccatrici, Populo gravi iniquitate, semini nequam, Filiis sceleratis; dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt Sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum.* Oseæ *Cap. 9. Abjiciet eos Deus meus, quia non audierunt eum: & erunt vagi in nationibus.* Jeremiæ *Cap. 5. Audi Popule stulte, qui non habes cor: qui habentes oculos non videtis; & aures, & non auditis.* Et post pauca *v. 25. Populo autem huic factum est cor incredulum, & exasperans; recesserunt & abierunt.* Tum *Cap. 8. Apprehenderunt mendacium, & noluerunt reverti: Attendi & auscultavi, nemo quod bonum est loquitur .... Milvus in Cœlo cognovit tempus suum; Turtur & Hirundo & Ciconia custodierunt tempus adventus sui; Populus autem meus non cognovit judicium Domini.*

Quid disertiùs Divinis Oraculis prænunciatum, quàm Christum in salutem quidem Israelis mittendum a Deo; eidem tamen, suâ ipsius culpâ, in ruinam cessurum & scandalum? Isaiæ *Cap. 8.: Erit vobis in sanctificationem: in lapidem autem offensionis, & in petram scandali duabus domibus Israel: in laqueum, & ruinam habitantibus Jerusalem. Et offendent ex eis plurimi & cadent: & conterentur, & irretientur, & capientur.*

Quid frequentiùs inculcatum, quàm Judæorum in sacris Literis intelligendis, exponendisque improba cœcitas, Mentisque stupor & cordis? Isaiæ *Cap. 29. Miscuit vobis Dominus spiritum soporis: claudet oculos vestros: Prophetas & Principes vestros, qui vident visiones, operiet. Et erit vobis visio omnium, sicut verba libri signati, quem cum dederint Scienti literas, dicent: lege istum: & respondebit: Non possum, signatus est enim. Et dabitur liber Nescienti literas, diceturque ei: Lege: & respondebit: Nescio literas .... Ideo ecce ego addam, ut admirationem faciam Populo huic miraculo grandi & stupendo: peribit enim sapientia a Sapientibus ejus, & intellectus Prudentum ejus abscondetur:* Isaiæ *Cap. 6. Vade, & dices Populo huic: audite audientes, & nolite intelligere: videte visionem, & nolite cognoscere. Excæca cor Populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude; ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & convertatur, & sanem eum.* Jeremiæ *Cap. 8.: Quomodo dicitis, sapientes nos sumus, & Lex Domini nobiscum est? Verè mendacium operatus est stilus mendax Scribarum. Confusi sunt Sapien-*

pientes, perterriti & capti sunt: verbum enim Domini projecerunt, & sapientia nulla est in eis. Ezechielis *Cap.* 12. *: Fili hominis in medio domus exasperantis tu habitas; qui oculos habent ad videndum, & non vident; & aures ad audiendum, & non audiunt: quia Domus exasperans est.* Et alia id genus pene sexcenta, quæ commemorare longum esset.

Illum ergo, colligo ego, Christum verum esse fatendum est, quem Judæi pertinaciter diffitentur; cùm & id a sacris Vatibus fuerit prænuntiatum futurum, ut venienti Christo pertinaciter repugnarent. Fatendum, verum illum esse Liberatorem a Deo missum, in quo scandalum passi sunt cœci homines; cùm & id prædixerit Isaias fore, ut in eum, tanquam in offensionis petram, impingerent. Fatendum, præposteras esse, ac spurias, quas e sacris Literis eruere sibi videntur, promissi Christi Domini Notas, & Characteres; cùm & id Prophetæ veteres præmonuerint fore, ut in Scripturarum intelligentia cœcutirent. Fatendum, uno verbo dixerim, nunc maximè Prophetias impletas esse, dum negant: quandoquidem hæc ipsa illorum negatio Propheticis Oraculis prænuntiata est.

Atque hìc certè Divinorum Judiciorum altitudinem demirari licet; dum Gentem integram, nusquam licèt imperitantem, ubique tamen incolam, Christiano nomini præ cæteris inimicam, conspicimus servandis illis ipsis, quos minùs intelligit, veteris Testamenti Codicibus excubantem; signatosque sibi Libros, nobis apertos, ac reseratos, toto Orbe circumferentem, ut inimicos nostros, quemadmodum loquitur Augustinus, Librorum nostrorum custodes, ac bajulos habeamus, qui & Fidei nostræ, & Perfidiæ suæ chirographum gestent. Ita providente supremo Numine, ne ulla de nobis oriri suspicio possit, num fortè sacros illos Libros, quibus prænuntiatus est Christus noster, supposuerimus: quod de nobis suspicari Gentiles facilè possent, nisi Judæos, præ cæteris nobis infensos, fidejussores haberemus. Augustini observatio est, *Enarratione* 1. *in Psal.* 58. *: Per omnes Gentes,* inquit, *dispersi sunt Judæi, testes iniquitatis suæ, & veritatis nostræ. Ipsi Codices habent, in quibus prophetatus est Christus, & nos tenemus Christum. Et si quando fortè aliquis Paganus dubitaverit, cùm ei dixerimus Prophetias de Christo, quarum evidentiam obstupescit, & admirans putaverit a nobis esse conscriptas; de Codicibus Judæorum probamus, quia hoc totum prædictum est. Videte quemadmodum de inimicis nostris alios confundimus inimicos.* Quod ut feliciùs cederet, Judaicam Gentem, Romanorum licèt armis devictam, subjugatamque, deleri tamen omnino noluit Deus, sed servari; constansque Legis suæ signum in omne ævum tenacissimè custodire: ut objecta semper

oculis nostris reprobatæ Nationis imagine, summam Dei in nos, quos sibi in Gentem elegit, Misericordiam agnosceremus. Quod piè perinde, ac eruditè dixerat paulò ante sanctissimus Doctor, ita Christum Dominum Romanos Judæorum domitores alloquentem inducens: *Istos inimicos meos, ipsosque, qui me occiderunt, noli occidere. Maneat Gens Judæorum. Certè victa est a Romanis, certè deleta est Civitas eorum: non admittuntur ad Civitatem suam Judæi, & tamen Judæi sunt. Nam omnes istæ Provinciæ a Romanis sunt subjugatæ; Judæi tamen manent cum signo suo: nec sic victi sunt, ut a Victoribus absorberentur. Non sine caussa Judæus Cain ille est, qui cùm fratrem suum occidisset, posuit in eo Deus signum, ne quis eum occideret. Hoc est signum, quod habent Judæi: tenent omnino reliquias Legis suæ, circumciduntur, Sabbatha observant, Pascha immolant,* (*) *azima comedunt. Sunt ergo Judæi, non sunt occisi, necessarii sunt credentibus Gentibus. Quare hoc? Ut demonstraret nobis Deus in inimicis nostris Misericordiam suam. In ramis superbiæ præcisis, inserto Misericordiam suam demonstravit oleastro. Ecce ubi jacent, qui superbi erant: ecce ubi insertus es, qui tunc jacebas. Et tu noli superbire, ne præcidi merearis.*

At sentio, me plus justo hærere in limine. Quod igitur hactenus delineavi, aggrediendum est opus: resque ipsa tota distinctè, ac per partes facienda. Quare proxima Prælectione primam Notam, ad quam promissi Messiæ agnitionem exigere Judæi solent, distinctè refellemus, oppositamque statuemus; qua non modò Judæos, verùm etiam exteras Gentes Messiæ ministerio vocatum iri demonstrabimus.



PRÆ-

(*) *Stante adhuc Templo Pascha immolabant; non sic tamen everso Templo.*

PRÆLECTIO II.

Ex Gentium Vocatione, & Idololatriæ Abolitione Christum jampridem venisse, luculenter ostenditur.



NOTA est illa Judæorum, cùm recentium, tùm veterum, aberratio, unde prima fluxit cœcitatis, ac perfidiæ labes; Christum Prophetarum Vaticiniis prænunciatum Judæos duntaxat, quibus singulariter promissus est, vocaturum, liberaturum, beaturum; reliquas vero Gentes, tanquam electi Populi inimicas, despecturum, & cœcis Idololatriæ tenebris demersas sacro furore deleturum. Hoc sibi primum venturi Christi criterium fabricati sunt miseri Homines; hanc primam promissi Liberatoris Notam posuere; ad cujus normam ejusdem agnitionem pertinaciter exigunt. Eoque jacto Fundamento, Jesum nostrum eo maximè titulo Christum esse diffitentur, nec nisi Impostorem, ac Seductorem fuisse putant, quòd Gentiles, non secùs ac Judæos, vocandos sibi sumserit; Ecclesiamque promiscua Judæorum, atque Gentilium societate conflatam instituerit.

Hoc primum Judaicæ perfidiæ Caput oppugnandum aggredimur; eoque maximè titulo Jesum nostrum verum esse Messiam, seu Christum ostendemus, unde illi pertinaciter negant. Quo circa adversis omnino vestigiis incessuri duo hæc præsenti Prælectione demonstranda sumimus: Primum, Christum sacris Oraculis prænuntiatum non Judæos tantùm, verùm etiam Gentiles, atque istos maximè fuisse advocaturum: Alterum, quod præcedentis Consectarium erit, Jesum Mariæ Filium primas illas veri Messiæ partes feliciter implevisse, nec alium idcirco expectari meritò posse.

Et certè, quod ad primum Caput attinet, tam crebris, tamque dilucidis sacrarum Scripturarum Oraculis Gentium vocatio prænuntiata est, tanquam primarius venturi Christi Character, Notaque potissima, ut mirari omnino subeat, Judæos eo in Capite cœcutiisse. Enim verò promissi Messiæ Imperium non uno privato Judææ tractu concludunt sacri Vates, non uno Cananææ sinu definiunt; sed toto, qua latè patet, Orbe diffundendum contestantur: eumque non modò Hierosolymis, totaque Judæa, verùm etiam in Gentilibus regnaturum disertissimè profitentur. Id porro qua ratione verum esset, si soli Judæi, spretis, contemtis, ac reprobatis Gentibus, in Christi Fidem, & Clientelam vocandi erant? Scripturarum elenchum, & indicem texendum aggrediar, si cuncta

ad id evincendum opportuna Oracula referre velim : pauca selí-ligam, unde cætera nosse liceat.

Genesis Cap. 12. : ubi Christus ex semine Abrahæ nasciturus prænuntiatur. *In te*, inquit Deus, *benedicentur universæ Cognationes terræ*. Tum subinde *Cap.* 22. : *Benedicentur in semine tuo omnes Gentes terræ*. Ac demum *Cap.* 49; ubi mittendus Messias promittitur de Tribu Juda. : *Non auferetur Sceptrum de Juda, & Dux de fæmore ejus, donec veniat, qui mittendus est; & ipse erit expectatio Gentium*. Ut hinc videamus, prima Dei Oracula, quibus prænuntiatus est Christus, non Judæorum duntaxat, sed universarum Cognationum, atque Gentium benedictionem, liberationemque promisisse.

Sed & longè disertiùs Propheta Regius *Psalmo* 2. : *Postula a me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos Terræ*. *Psal.* 17. *Eripies me de contradictionibus Populi, constitues me in caput Gentium*. *Psal.* 21. *Reminiscentur & convertentur ad Dominum universi fines Terræ: & adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ Gentium; quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur Gentium*. *Psal.* 71; ubi venturi Messiæ Imperium describitur : *Et dominabitur a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos Orbis Terrarum ..... Et benedicentur in ipso omnes Tribus Terræ, omnes Gentes magnificabunt eum*. *Psal.* 85. : *Omnes Gentes quascumque fecisti, venient, & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum*.

Regio Vati mirè concinit Isaias, venturi Messiæ officium describens *Cap.* 49. : *Parum est, ut sis mihi servus ad suscitandas Tribus Jacob, & fæces Israel convertendas : ecce dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum Terræ*. Et *Cap.* 55. : *Ecce testem Populis dedi eum, Ducem, ac Præceptorem Gentibus*. Quasi venturi Messiæ ministerii pars maxima in Gentilium conversione, institutione, atque salute procuranda posita esset.

Facessat ergo vana illa Judæorum gloriatio, qua promissi Messiæ Imperium, Religionem, ac Fidem in uno Judææ tractu concludunt; Gentilesque procul a Dei cognitione, atque benedictione perpetuo fore ambitiosiùs hariolantur. Imò verò hanc præ cæteris adorientis Messiæ Notam designavit Isaias, quòd ejus ætate exteræ Gentes in domum Dei Jacob venturæ essent, legemque de Sion exeuntem fideliter amplexuræ: *Et erit*, inquit ille *Cap.* 2., *in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur super colles : & fluent ad eum omnes Gentes. Et ibunt Populi multi, & dicent : venite, & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob; & docebit nos vias suas; & ambulabimus in semitis ejus : quia de Sion exibit Lex, & verbum*

D>-

Domini de Jerusalem. Cui & suffragatur Zacharias *Cap.* 2. : *Et applicabuntur Gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in Populum*.

Quid plura? Minùs sacris Vatibus visum est, venturi Messiæ Imperium, Religionem, ac Fidem ad omnes Terræ tractus, atque ad ipsos quoque Gentiles protendisse. Ne quis fortè hac in re falleretur, neve totum id de Judæis per varias Mundi Nationes ac Gentes dispersis dictum acciperet, quos Christus collecturus esset, atque ad se vocaturus; non de Gentilibus ipsis, Idololatris, ignotisque Deo Populis, Deumque nescientibus ab eodem vocandis, atque ad veri Dei cultum traducendis; illos ipsos a Deo vero alienos Populos perinde vocandos, convertendosque prænuntiarunt Sacri Vates : Oseæ *Cap.* 2. : *Dicam non Populo meo Populus meus es tu : & ipse dicet, Deus meus es tu* : Isaiæ *Cap.* 55. : *Ecce Gentem, quam nesciebas, vocabis; & Gentes, quæ te non cognoverunt, ad te current, propter Dominum Deum tuum, & Sanctum Israel, quia glorificavit te* : *Cap.* 18. : *In tempore illo deferetur munus Domino exercituum a Populo divulso, & dilacerato : a Populo terribili, post quem non fuit alius; a Gente expectante, expectante, & conculcata*. *Cap.* 65. *Quæsierunt me, qui ante non interrogabant :, invenerunt, qui non quæsierunt me. Dixi, ecce ego, ecce ego ad Gentem, quæ non invocabat nomen meum* : *Cap.* 31. : *In die enim illa abiiciet vir idola argenti sui, & idola auri sui, quæ fecerunt vobis manus vestræ* : *Cap.* 17. *In die illa inclinabitur homo ad Factorem suum : & oculi ejus ad sanctum Israel respicient : & non inclinabitur ad altaria, quæ fecerunt manus ejus : & quæ operati sunt digiti ejus non respiciet, lucos & delubra*. Quibus paria leguntur *Cap.* 2. *v.* 17. 18. 19. 20.; & *Psalmo* 17. *v.* 45.

Quin etiam, quod notandum magis, eas quoque speciatim Gentilium Nationes ad veri Dei cultum convertendas significarunt, quæ densioribus ignorantiæ, & idololatriæ tenebris involvebantur; quæque Judaicum Populum odio præ cæteris implacabili prosequebantur : ut fatuam illam gloriationem, atque iactantiam Judæi deponant, qua cæteros veluti canes, & a vero Deo segreges despicantur. Ecquæ enim Gens Idololatriæ tenebris immersa magis, quæ Natio Judæis magis infensa, quam Ægyptiorum? Et hanc tamen, depulsa Idololatria, verum Deum agnituram, & adoraturam vaticinatus est Isaias *Cap.* 19. : *In die illa erit altare Domini in medio Terræ Ægypti, & titulus Domini juxta terminum ejus erit in signum, & in testimonium Domino exercituum in Terra Ægypti. Clamabunt enim ad Dominum a facie tribulantis, & mittet eis Salvatorem, & propugnatorem, qui liberet eos. Et cognoscetur Dominus ab Ægypto, & cognoscent Ægyptii Dominum in die illa, &*

con-

colent eum in hostiis, & in muneribus : & vota vovebunt Domino, & solvent. Vaticinatus perinde est Ezechiel *Cap.* 30. : *Hæc dicit Dominus Deus ; disperdam simulachra, & cessare faciam idola de Memphis : & Dux de Terra Ægypti non erit amplius, & dabo terrorem in Terra Ægypti*. Non absimiliter Zacharias *Cap.* 13. : *Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum : disperdam nomina idolorum de Terra* (Ægypti,) *& non memorabuntur ultra : et Pseudoprophetas, et Spiritum immundum auferam de Terra*. Quæ Gens idololatriæ tenebris immersa magis, aut quæ Judæis magis infesta, quàm Assyrii ? Et hos tamen verum Deum, depulsa idololatria, adoraturos prænuntiavit Isaias idem *Cap.* 27. : *Et erit : in die illa clangetur in tuba magna, et venient, qui perditi fuerant de Terra Assyriorum, & qui ejecti erant de Terra Ægypti : et adorabunt Dominum in monte sancto in Jerusalem*. Quæ Gens idololatriæ tenebris immersa magis, aut quæ Judæis magis infesta, quàm Babylonii, Æthiopes, Tyrii, Sabbæi, Madianitæ, Ephæi, aliique id genus ? Et hos tamen ad veri Dei cultum accessuros Sacri Codices attestantur : *Psal.* 86. : *Memor ero Rahab, et Babylonis, scientium me : ecce alienigenæ, et Tyrus, et Populus Æthiopum, hi fuerunt illic :* Nimirum in Sion Civitate Sancta, de qua illic sermo venit : *Psalm.* 71. *Coram illo*, Christo scilicet venturo, *procident Æthiopes, et inimici ejus terram lingent. Reges Tharsis, et Insulæ munera offerent, Reges Arabum, et Saba dona adducent ; et adorabunt eum omnes Reges Terræ, omnes Gentes servient ei*. Isaiæ *cap.* 60. : *Et ambulabunt Gentes in lumine tuo, et Reges in splendore ortus tui. Leva in circuitu oculos tuos, et vide ; omnes isti congregati sunt, venerunt tibi : filii tui de longe venient, et filiæ tuæ de latere surgent. Tunc videbis, et affiues : mirabitur, et dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo Gentium venerit tibi. Inundatio Camelorum operiet te, Dromedarii Madian, et Epha: omnes de Saba venient, aurum, et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes*. Quæ Gens tandem Judaico Populo magis infesta, quàm quæ Hierosolymam devastavit ? Et hanc tamen verum Deum adoraturam vaticinatus est Zacharias *Cap.* 14 : *Et omnes, qui reliqui fuerunt de universis Gentibus, quæ venerunt contra Jerusalem, ascendent ab anno in annum, ut adorent Regem Dominum exercituum*.

Alia id genus pene sexcenta missa facio Scripturarum Oracula, quibus Gentium vocatio, atque ad veri Dei cultum religiosa conversio, uti primarius venturi Messiæ Character denuntiatur. Legat, qui volet, integrum Isaiam, maximè verò *Capite* 42. *ad* 66. : Jeremiam *Capitibus* 3. 4. 16 *et* 31. : Oseam *Capitibus* 1. & 2. :

Joe-

Joelem *Cap.* 2. : Amos *Cap.* 9. : Michæam *Cap.* 4. : Sophoniam *Capitibus* 2. & 3. : Aggæum *Cap.* 2. : Zachariam *Capitibus* 2. 8. 9. 13. & 14. : Malachiam *Cap.* 1.

Jam verò, ut ad alterum positæ Assertionis Caput accedam, Jesum nostrum primas illas promissi Messiæ partes feliciter implevisse, Gentesque idololatras ad veri Dei cultum partim se ipso, partim Discipulorum ministerio revocasse, adeo notum est, ut negari a nemine possit. Ex quo enim generale Mandatum Apostolis a Christo Domino datum est Matthæi *Cap.* 28. : *Euntes docete omnes Gentes* : Marci *Cap.* 16. : *Euntes in Mundum universum prædicate Evangelium omni Creaturæ*; jam tunc destinatione, atque Mandato abolita est Idololatria, peracta Conversio Gentium: cùm contra, stante Mosaica Lege, utpote quæ non erat universis Gentibus prædicanda, ne Mandato quidem, atque destinatione Gentium Conversio peragenda esset, aut abolenda illarum Idololatria. Progressu verò temporis ita promotum est sacrum opus, ut vix ulla jam toto Orbe Natio sit, Gens ulla, quæ saltem uni vero Deo non serviat. Omnes, tametsi Sacris, ac Ritibus dissidentes, Deo vivo, ac vero, fugata Idololatria, thus adolent. Ac si quis fortè est Orbis angulus, ubi etiamnum Idola colantur, is, novis in dies missis Evangelii Præconibus, eruditur, paulatim vocatur ad Fidem, & a prophanis suis Ritibus ad puram, castamque Fidei professionem, repetitis decretis Pontificiis, avocantur. Sic ut ea vocandarum Gentium, & eliminandæ Idololatriæ Prophetia, quæ prima Christi venturi Nota data fuerat, & impleta jamdudum sit, & in dies cumulatiùs impleatur, donec in sæculi fine ex integro perficiatur, & consummetur, Juxta Apostoli Dictum 1. *Corinth. Cap.* 15. : *Cùm autem subjecta fuerint illi omnia, tunc & ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.*

Nunc quid ad hæc Judæi? Nonnulli Generis sui gloria tumidi, quique Gentiles, non secus ac canes miseros, despicantur, frigidè reponunt, Promissiones de Christo venturo Judæis solis factas esse, non Gentibus. Sit ita porro, ut volunt; non id obest, quominus Christus ille solis Judæis promissus Gentibus etiam Salutem esset allaturus : id quippe laudata jam Oracula distinctè significant. Abrahæ, E. G., promissus est Christus : at qui non solos Abrahæ Posteros liberaret, sed universas Terræ Gentes, & Cognationes; ut Loca Geneseos a me laudata disertè testantur. Judæ promissus est Christus ex ejus sæmore nasciturus : at non Judæis solis profuturus, sed Gentibus, a quibus etiam expectabatur; ut indigitatus a me Locus ostendit. Atque ita de reliquis Promissionibus. Solis ergo Judæis promissus est Christus, quia apud eos solos & Moyses, & Prophetæ versabantur; iisque solis Eloquia sua crediderat Deus: at

at non pro solis Judæis promissus est, sed pro his omnibus, qui invocant nomen ejus: *An Judæorum Deus tantùm? Nonne & Gentium? Imò & Gentium*; *Rom. Cap.* 3.

Quanquam & id inficiari omnino possumus, solis Judæis promissum fuisse Christum; tametsi specialiori sanè modo fuerit illis prænuntiatus. Annon enim inter Moabitas venturum Christum prænuntiavit Balaamus, Deo ita volente, ut inter barbaras etiam Gentes Christus utcumque agnosci posset? Prophetiam refert Moyses ipse *Num. Cap.* 24. : *Orietur stella ex Jacob, & consurget virga de Israel, & percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth.* Quo Oraculo excitatos Magos observant Ecclesiæ Patres ad Christum natum requirendum. Annon inter Idumæos venturum Liberatorem vaticinatus est Job, cujus liber a Judæis, ut sacer, agnoscitur? Annon inter Ninivitas Prophetæ munus auspicatus est Jonas? Non uni ergo Judaico Populo, verùm etiam Gentili a sacris Vatibus promissus est Christus. Primas itaque sibi arrogent Judæi, quantum libuerit (*Rom. cap.* 3.) quòd *credita illis fuerint Eloquia Dei*: quòd prima, nobilioraque venturi Messiæ Vaticinia exceperint; per me licet: *Non fecit* (Deus) *taliter omni Nationi, & judicia sua non manifestavit eis*, *Psal.* 147. : At primas alio ex Capite, potiorique jure sibi Gentiles arrogabunt; quòd priores venienti Christo sint obsecuti, ipsisque Judæis prælati fuerint, Deo ita futurum prænuntiante ad Judæorum superbiam retundendam, *Deuteron. Cap.* 28. : *Advena, qui tecum versatur in terra, ascendet super te, eritque sublimior: tu autem descendes, & eris inferior: ipse fœnerabit tibi, & tu non fœnerabis ei: ipse erit in caput, & tu eris in caudam*: Et Ezechielis *Cap.* 17. : *Ego Dominus humiliavi lignum sublime, & exaltavi lignum humile, & siccavi lignum viride, & frondere feci lignum aridum*: Quod de Judæis, ac Gentilibus dictum nemo nescit.

Illud enimvero prima Dei destinatione fuerat constitutum, ut Judæis primùm Salutis via panderetur. Hinc Christus Dominus Matthæi *cap.* 15. mulierem Chananæam de finibus Tyri egressam repulit, ut indignam; *non esse bonum*, inquiens, *sumere panem filiorum, & mittere canibus*: seque missum duntaxat professus est *ad oves, quæ perierunt domus Israel*. Ac tum Apostolos Fidei satores mittens Matth. *Cap.* 10. : *In viam Gentium*, inquit, *ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis*. Verùm Judæis Evangelium Salutis repellentibus, in eorum sortem Gentiles ingressi sunt. Quod in *Actibus Apostolicis* disertè significarunt Paulus, & Barnabas *Cap.* 13.: *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes.*


Re-

Reponunt alii Hebraicæ Legis Doctores, quos de more Rabbinos dicunt, frustra jactitare Christianos, Gentes ad veri Dei cultum conversas esse, Jesu Nazareno adoriente, ejusque Discipulis prædicantibus; cùm inter Christianos, ex Gentilibus majori ex parte coalescentes, tot Hæreses, tot Sectæ, tot Schismata reperiantur, a quibus nos ipsi, qui Catholici dicimur, abhorremus. Non ergo, inquiunt, veri Dei cultus toto Orbe diffusus est: quandoquidem nec una toto Orbe Christiana Religio viget.

Mirari profectò subit, Judæos eo nos telo petere, quod non hebetare modò, sed & in illos regerere facilè fuerit. Imprimis enim, in quacumque tandem Christianorum Secta, quocumque in Schismate unus verus, depulsâ Idololatriâ, colitur Deus: quod adoriente Christo futurum Prophetæ prænuntiarunt. Stat ergo vel ex hoc solo Capite, quod hactenus Argumentum prosecuti sumus. Dicant tamen amabo, (quandoquidem de Christianæ Religionis veritate cavillantur) nunquid non vera inter Judæos Religio fuit olim? Non id profectò Judæi negabunt; qui veram etiamnum Religionem apud Suos extare contendunt. At nonne, quo tempore apud Judæos Religio florebat maximè, Sectis, & Schismatibus scindebantur? Numerabantur enim Samaritani, Saducæi, Pharisæi, Hemerobaptistæ, Herodiani, aliique non pauci Doctrina, & Ritibus inter sese non minùs dissidentes, quàm inter Christianos Ariani, Manichæi, Nestoriani, Eutychiani, Pelagiani, Calvinistæ, Lutherani. Quorsum verò tot inter Sectas vera nihilominus stabat Judæorum Religio? Caussas assignant Hebræi numero plures, nobis perinde ad solvendum nodum istum accommodas. Primam, quia, inquiunt, omnes & Samaritani, & Saducæi, & Herodiani, & Pharisæi verum, & unicum Deum adorabant. Bene est: at adoramus & nos unicum, quotquot Christiani nominamur, tametsi Sectis, & Hæresibus discindamur. Secundam afferunt rationem, quia omnes Moysen, uti Legislatorem, agnoscebant, ejusque Libros amplectebantur; tametsi a Nonnullis falsis interpretationibus inquinatos. Et id bene: At agnoscimus & Nos omnes Jesum, ut Christum Cœlo demissum; ejusque Evangelium, tametsi a Nonnullis sinistra interpretatione vitiatum, excipimus. Tertiam rationem addunt, quia Religionis Judaicæ orthodoxia, & puritas in primo stipite, unde cœteri omnes spurii palmites pullularunt, innoxia stabat, nihilque primæ originis Sanctitati officiebant cœnosi rivuli derivati. Hoc & nos usurpamus: Christianæ Religionis orthodoxia, & puritas nobis Catholicis Romanis, uti primo stipiti, unde tot illæ Sectæ derivatæ sunt, integra hæret: nec quidquam Christiani nominis Sanctitati officiunt tot illæ Pestes, ac Sectæ, quibus quotidie scindimur. Aut ergo nullam apud sese Religionem

fuisse Judæi dicant, quo tempore tot illis Schismatibus scindebantur; aut veram apud Christianos tot inter Hæreses Religionem florere fateantur.

Quæret fortasse nonnemo, qui Christus *expectatio Gentium* dicatur *Genesis Cap.*49. : uti & *desideratus cunctis Gentibus* Aggæi *Cap.*2. : cùm nec desiderari, nec expectari ab iis posset, qui nullam, aut certè levissimam futuri illius Adventus notitiam habebant? Respondeo, potuisse plane, in eum sanè modum, quo res etiam inanimes ea desiderare, atque expectare dicuntur figuratè, quæ sunt illis maximè necessaria; etsi nullam illorum notitiam habeant; *ut terra de cœlo pluviam expectare* dicitur, *Deuteronomii Cap.*11. : *Frumentum desiderare nubes*, *Job Cap.*37. : *Area sitire imbrem*, Joelis *Cap.*1. : Sic itaque Gentes, ad quarum Salutem Christi Adventus necessarius omnino erat, eundem expectare, ac desiderare sunt dictæ, quanquam illis esset ignotus. Aut certè id dictum non de desiderio, atque expectatione Christi Adventum, ejusque Fidem præcedente; sed de desiderio Salutis obtinendæ per Christum post cognitionem, ac Fidem de illo habitam, ex quo demum advenerit, illisque nuntiatus fuerit. Ut sileam, non omnibus omnino Gentibus fuisse prorsus ignotum promissum Judæis Liberatorem, & Christum; quod ex Balaami, & Jobi Historia perspectum est.



PRÆ-

PRÆLECTIO III.

Ex sublato Levitico Sacerdotio, & novo inducto Messiæ Adventum olim jam contigisse, invictissimè demonstratur.



QUAM ante dies aliquot instituimus viam, eamdem hodie tenere pergimus. Alteram Judaicæ cœcitatis Aberrationem, qua in disjudicandis Christi promissi Characteribus hallucinantur, hodierna Prælectione confutamus. Ea scilicet Judæorum animos jamdudum occupavit Opinio, Leviticum Legis veteris Sacerdotium, utpote a Deo Optimo Maximo solemniter institutum, perenniter fuisse duraturum; tantùmque abesse, ut a promisso Christo rescindi, abolerique possit, ut potius ab illo instaurandum omnino sit, novaque solemnitate celebrandum. Quo semel jacto perfidiæ Fundamento necessaria consecutione subinde colligunt, Jesum nostrum falsum prorsus Messiam esse, imò veriùs Hominum Seductorem, Divinæque Institutioni prorsus injurium, qui sublato Levitico Sacerdotio novum apud Suos instituit, falsaque Religione Populos informavit. Quid ergo nos in præsentia agere oporteat, ut Judaicam hallucinationem refellamus, Jesumque Mariæ Filium ex hoc ipso Principio verum esse Messiam demonstremus, unde illi pertinaciter negant? Hoc unum ex opposito demonstrandum incumbit; Leviticum Legis veteris Sacerdotium, tametsi Divinitus institutum, certo duntaxat tempore fuisse duraturum, finemque sub Messiæ temporibus habiturum. Ita fiet, ut opposita consecutione colligamus, Jesum nostrum idcirco maximè veri Messiæ nomine dignum esse, quod Leviticum Sacerdotium ablegarit, novumque Sacerdotii, ac Sacrificii genus induxerit.

Tria maximè in Levitico Legis veteris Sacerdotio Scripturæ notant, quibus & illud ex integro constat: Victimas videlicet offerendas, Sacerdotes offerentes, Locum, ubi esset Sacrificium offerendum. Victimas offerendas designaverat Deus certa Animantium genera, Boves, Agnos, Arietes, aliaque id genus, quæ in Libris Mosaicis adnotantur: Sacerdotes oblaturos elegerat non quovis ex ordine, sed ex unica Tribu Levi; imò intra Leviticam Tribum ex sola Aaronis Familia oriundos: Locum demum, ubi esset Sacrificium offerendum, definierat non qualemcumque, & pro arbitrio seligendum; sed Tabernaculum Domini, ac tum postea Salomoni-

monicum Templum, extra quod Sacrificium omne profanum erat. Porro tria hæc, tametsi Divinitus instituta, Victimas, Sacerdotes, & Locum immutanda fore, adeo dilucidè prænuntiarunt sacri Vates, ut stipites, ac plumbeos esse oporteat quotquot id pertinaciter negent.

De Singulis dicam ex ordine. Ac primò quidem, quod attinet ad Victimas offerendas, eas tandem aliquando reiiciendas fore, diserte pronuntiat Isaias *Cap.* 1.; idque ob horrenda Judæorum scelera, atque ob illud maximè, quo Deum suum ignorarunt, manusque effuso Christi Sanguine inquinarunt: *Cognovit Bos*; inquit Propheta, *possessorem suum, & Asinus præsepe Domini sui; Israel autem me non cognovit, & Populus meus me non intellexit. Væ Genti peccatrici, Populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis, dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum . . . & v.* 11.: *Quo mihi multitudinem Victimarum vestrarum, dicit Dominus? Plenus sum: holocausta Arietum, & adipem pinguium, & sanguinem Vitulorum, & Agnorum, et Hircorum nolui. Cum veniretis ante conspectum meum, quis quæsivit hæc de manibus vestris, ut ambularetis in atriis meis? Ne offeratis ultra Sacrificium frustra: incensum abominatio est mihi. Neomeniam, et Sabbatum, et festivitates alias non feram; iniqui sunt cœtus vestri. Calendas vestras, et Solemnitates vestras odivit anima mea: facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens. Et cum extenderitis manus vestras; avertam oculos meos a vobis, et cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Nec minus apertè Jeremias *Cap.* 6.: *Ut quid mihi thus de Saba affertis, et calamum suave olentem de terra longinqua? Holocautomata vestra non sunt accepta, et Victimæ vestræ non placuerunt mihi.* Amos non absimiliter *Cap.* 5.: *Odi, et projeci Festivitates vestras: et non capiam odorem cœtuum vestrorum. Quod si obtuleritis mihi Holocautomata, et munera vestra, non suscipiam, et vota pinguium vestrorum non respiciam.* Ac demum Michæas *Cap.* 6.: *Quid dignum offeram Domino? Curvabo genu Deo excelso? Numquid offeram ei Holocautomata, et Vitulos anniculos? Nunquid placari potest Dominus in millibus Arietum, et in multis millibus Hircorum pinguium?*

Reponent fortè Judæi, nihil aliud hæc Oracula sibi velle, quàm tot illa Victimarum genera, totumque illum Solemnitatum Judaicarum apparatum Deo minimè probari; non quòd re ipsa exoleverint, aut ultra offerri, celebrarique non possint: sed quod impuris fortè mentibus, ac manibus offerrentur. Quo casu, etiam florente Mosaica Lege, ingrata nonnunquam erant Sacrificia.

Verùm quantum illos ea interpretatio fallat, ostendit Regius

Va

Vates, dignus cœterorum Prophetarum Interpres: Is enim Christi Adventum prænuntians *Psalmo* 49., Judæorum Sacrificia improbatum iri significat, non quòd Holocautomata, & Sacrificia per se se spectata Deo displiceant; sed quòd ille offerendorum Animalium Ritus sit abrogandus, novumque Sacrificii genus instituendum. Clariora verba sunt, quàm ut cavillari quis possit. *Audi Populus meus, et loquar: Israel, et testificabor tibi. Deus Deus tuus ego sum: non in Sacrificiis tuis arguam te: Holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper. Non accipiam de domo tua Vitulos, neque de gregibus tuis Hircos ..... Immola Deo Sacrificium laudis: et redde Altissimo vota tua.* Ubi Deus paratum se quidem, promptumque significat ad Sacrificia, & Holocausta suscipienda; sed aliud jam velle Sacrificii genus innuit, quàm quod Aaronico Ritu celebratur vitulorum, ac pecudum mactatione. Quocirca *Psalmo* 109., quem integrum Christo promisso accommodant Hebræorum doctissimi, Christi mittendi Sacerdotium, non secundùm Ordinem Aaronis, sed secundùm Ordinem Melchisedech futurum asseritur v. 4. *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum; tu es Sacerdos in æternum secundùm Ordinem Melchisedech.* Nempe ut intelligamus, non jam sub Messiæ imperio pecudes Aaronico Ritu mactari in Sacrificiis oportere; sed instar Melchisedech panis, & vini Sacrificium offerendum esse. Is etenim, uti nostis, panem, & vinum obtulit Domino, Genesis *Cap.* 14.

Accedit alterum observatione dignissimum; non modò a sacris Vatibus prænuntiatum esse, fore, ut Deus Judæorum Sacrificia reprobaret; verùm etiam veteres Hostias, & Sacrificia penitus cessatura occiso Christo, ne ultra cavillari Judæi possint: Danielis *Cap.* 9.: *Post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus ...... et in dimidio hebdomadis deficiet Hostia, et Sacrificium.* En primum de Victimis, & Hostiis offerendis.

Jam verò, si Sacerdotes offerendo Aaronico Sacrificio destinatos perpendamus, Judæi multò faciliùs Caussâ cadent. Tantum enim abest, ut Viros de Tribu Levi, ac de Familia Aaronis perpetuò seligendos voluerit Deus, qui etiam post Messiæ tempora Aaronicum Sacrificium offerant; quin contra potius Judæis omnibus in sceleris pœnam interdictum a Deo legimus, ne ultra Sacerdotale munus obirent; Oseæ *Cap.* 4.: *Conticuit Populus meus, eo quòd non habuerit scientiam: Quia tu scientiam repulisti, repellam, ne Sacerdotio fungaris mihi: et oblita es Legis Dei tui, obliviscar filiorum tuorum et ego.* Ezechielis *Cap.* 34.: *Hæc dicit Dominus Deus: ecce ego ipse super Pastores requiram gregem meum de manu eorum, et cessare faciam eos, ut ultra non pascant gregem, nec pascant amplius Pastores semetipsos, et*



liberabo gregem meum de ore eorum, et non erit ultra eis in escam.

Quid plura? Non modò Judæis interdicendum Sacerdotale munus contestatus est Deus, sed etiam e numero Gentium (quod notandum maximè) Sacerdotes, & Levitas electurum se declaravit; ex Africanis, & Lydis, ex Græcis, & Italis, exterisque Nationibus Dei nomen antea ignorantibus, ut Sacris Altaribus administrent. Sic ut nulla jam suboriri dubitatio possit, quin Aaronicum Sacerdotium temporarium esset, & adventante Christo penitus abrogandum: *Ecce ego*, inquit Deus Isaiæ *Cap. 66.*, *venio ut congregem cum omnibus Gentibus, et linguis; et venient, et videbunt gloriam meam. Et ponam in eis signum, et mittam ex eis, qui salvati fuerint, ad Gentes in mare, in Africam, et Lydiam tendentes sagittam; in Italiam, et Græciam, ad Insulas longè, ad eos qui non audierunt de me, et non viderunt gloriam meam..... Et assumam ex eis in Sacerdotes, et Levitas, dicit Dominus.* Volente itaque Domino, antiquatum est Aaronicum Sacerdotium, ex quo ad Gentiles translatum est. Illud enim ita Leviticæ Tribui assertum erat, ut si quis fortè alia Stirpe satus thuribulo manum admoveret, capite plecteretur; *Numer. Cap. 16.*: *Ne quis accedat alienigena, et qui non est de semine Aaron, ad offerendum incensum Domino; ne patiatur, sicut passus est Core, et omnis Congregatio ejus, loquente Domino ad Moysen.*

Sed quid tandem, si Locum offerendo Aaronico Sacrificio destinatum perpendamus? Compendio confecta res erit. Enim verò in solo Tabernaculo Domini, ac tandem in solo Salomonis Templo offerendum erat Aaronicum veteris Testamenti Sacrificium, ut in confesso est apud Hebræos; & tamen spopondit Deus, futurum aliquando, ut grata, & propitia Sacrificia ubivis Gentium extra Salomonicum Templum, extra Judæam, ac in ipso exterarum Nationum sinu offerantur. Malachiæ *Cap. 1.*: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim Solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum*: Apertius verò Isaiæ *Cap. 19.*, ubi venturi Messiæ beata tempora describuntur, in ipsa etiam Ægypto, & ab ipsis Ægyptiis offerendum tunc Sacrificium declaratur: *In die illa erit Altare Domini in medio Terræ Ægypti, et titulus Domini juxta terminum ejus erit in signum, et testimonium Domino Exercituum in Terra Ægypti. Clamabunt enim ad Dominum a facie tribulantis, et mittet eis Salvatorem, et propugnatorem, qui liberet eos. Et cognoscetur Dominus ab Ægypto, et co-*

cognoscent Ægyptii Dominum in die illa, & colent eum in bestiis, & in muneribus, & vota vovebunt Domino, & solvent. Et *Cap.* 18. : *In tempore illo deferetur munus Domino exercituum a Populo divulso, & dilacerato; a Populo terribili, post quem non fuit alius; a Gente expectante, expectante, & conculcata, cujus diripuerunt flumina terram ejus, ad locum nominis Domini exercituum, montem Sion.* Ubi est ergo illa Aaronici Sacrificii jactata perennitas ab ipsomet Christo in Salomonico Templo religiosè retinenda? Cùm potius adoriente Christo, quovis in loco, ac in ipsa etiam Ægypto, atque ab ipsis Ægyptiis offerri Sacrificia possint.

Et certè, cùm illud promissi Messiæ Munus potissimum esse debuerit, ut non Judæos tantùm, verùm etiam Gentiles toto Orbe diffusos advocaret, atque in unius Religionis, & Fidei professionem colligeret; quemadmodum in superiori Prælectione locupletissimis Sacrarum Scripturarum Oraculis demonstravimus; quî quæso fieri posset, ut eo Sacrificio staret Messiæ Religio, quod in uno Hierosolymorum Templo, atque a solis Judæis offerendum erat? Qua lege, qua sorte, stata die in hoc unum Templum ex toto Terrarum Orbe convenirent? Aliud igitur institui Sacrificium opus erat, quod & ubivis, & quavis die, & ab omnibus Gentibus offerri commodè posset. Messiæ igitur debitas partes implevit Jesus a Nazareth, dum Sacrificium typicum, ac temporarium abrogavit, novumque constituit. Sic enim erat a Sacris Vatibus prænuntiatum.

At fuit, inquiunt Judæi, ab ipso Deo Sacrificii, & Sacerdotii Levitici promissa perennitas, Jeremiæ *Cap.* 33. : *Hæc dicit Dominus. Non interibit de David Vir, qui sedeat super Thronum Domus Israel. Et de Sacerdotibus, & de Levitis non interibit Vir a facie mea, qui offerat Holocautomata, & incendat Sacrificium, & cædat Victimas omnibus diebus. Et factum est verbum Domini ad Jeremiam dicens: hæc dicit Dominus: si irritum potest fieri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte; ut non sit dies, & nox in tempore suo; & pactum meum irritum esse poterit cum David servo meo, ut non sit ex eo filius, qui regnet in Throno ejus, & Levitæ, & Sacerdotes Ministri mei. Sicuti enumerari non possunt stellæ cæli, & metiri arena maris; sic multiplicabo semen David servi mei, & Levitas Ministros meos.* Quî ergo fieri potuit, ut & Sacrificii, & Sacerdotii Levitici abolitio certa Christi venturi Nota esset? Quove jure, tituloque utrumque sustulit Jesus noster, ut alterum Sacerdotii, & Sacrificii genus induceret?

Nodum hunc a Judæis perinde solvi necesse est: Quod si fecerint, erunt illi mihi magni Apollines. Si enim, inquam, Sacrificii, & Sacerdotii Levitici promissa a Deo perennitas est, quid illi ab

ab annis amplius mille sexcentis utroque perinde sunt destituti? Nec satisfacient, si fortè reponant, utrumque a suo illo, quem præstolantur, Messia restitutum iri. Quanquam enim res ita foret, ex quo tamen per annos amplius mille sexcentos utrumque cessavit, ac defuit, absolutum, quod illi fingunt, Dei Promissum falsum est; quo nimirum spopondit futurum esse, ut de Sacerdotibus, & Levitis non interiret Vir a facie ejus, qui offerret Holocautomata, & incenderet Sacrificium, & cæderet Victimas omnibus diebus. At quem solvere nodum Judæi nequeunt, solvimus nos longè facillimè, ac novum inde statuti Dogmatis Argumentum petimus. Reponimus itaque, duo simul, eodemque plane modo promisisse Deum laudato Jeremiæ Oraculo: non interiturum de David Virum, qui sedeat super Thronum Israel; & non interiturum de Sacerdotibus, & Levitis Virum qui offerat Holocautomata, & incendat Sacrificium; seu non defuturum Israeliticum Sceptrum de Domo David, & Sacerdotium de Domo Levi. Porro ex aliis Scripturæ Locis, quibus perinde promissa est Judaici Sceptri perennitas, liquet apertè, non esse promissam Judaici Sceptri absolutam perennitatem, sed certis terminis circumscriptam; donec scilicet promissus Judæis Christus Mundo illucesceret; *Genes. Cap.49. : Non auferetur Sceptrum de Juda, & Dux de fæmore ejus, donec veniat, qui mittendus est.* Itaque pari modo non absoluta Sacrificii, & Sacerdotii perennitas Synagogæ a Deo promissa est, sed iisdem plane circumscripta limitibus; donec videlicet Christus Dominus oriretur. Quare, cùm sublatum jam & Sacrificium, & Sacerdotium Leviticum nemo non videat; ipsique etiam Judæi, velint nolint, plus satis experiantur, promissum Judæis Messiam, & Christum Mundo illuxisse necesse est. Addiderim, si quis fortè absolutam prorsus Sacrificii, & Sacerdotii Levitici perennitatem Synagogæ promissam velit, non alio sensu id verum esse, quàm quo absolutam quoque Judaici Sceptri perennitatem promissam Aliqui putant; nempe, uti temporale Judææ Sceptrum in spirituale transmutatum perennat in Christo, de quo Angelus ad Mariam dixit Lucæ *Cap. 1.: Dabit illi Dominus sedem David Patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum;* ita typicum, & temporarium Leviticum Sacerdotium in amplius, perfectius, sanctiusque transmutatum, æternùm in Christo manet; de quo Apostolus in *Epistola ad Hebræos Cap.7. : Et alii quidem plures facti sunt Sacerdotes, idcirco quod morte probiberentur permanere; hic autem, eo quòd maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium.*

Cæterùm qui nobis tam audacter litem intentant miseri Judæi de sublato Aaronico Sacerdotio, sine quo veram Religionem stare non posse putant; videant ipsi, quo pacto stare nunc apud sese veram

ram Religionem nobis ostendent. Videant, num ipsi suo se gladio jugulent. Si etenim, ut veritas habet, nulla sine Sacrificio, sine Sacerdotio stare vera Religio potest; ostendant, quæso, nobis, quodnam ipsi nunc Sacerdotium, quod Sacrificium penes se habeant. Sacrificia certè nec offerunt Judæi, nec offerre nunc possunt, juxta Ordinem Aaronis, quem unicum jactant, & profitentur. Destructo siquidem Tabernaculo, & Salomonis Templo Solo æquato, nullus illis suppetit locus, ubi offerre nunc liceat. Sacerdotes nec habent, nec habere nunc possunt; cùm suas Tribus usque adeo permixtas, & confusas habeant, ut Leviticam, ex qua sola Sacerdotes seligere fas illis est, secernere nequeant. Quam ergo Religionem profitentur? Dicent fortè, quod mihi non ita pridem illorum Unus obtrudebat, qui Synagogæ suæ cymbalum audit, stare sine iis posse Judaicam Religionem, imò & stetisse re ipsa toto tempore Captivitatis Babylonicæ, dum, everso primùm Hierosolymæ Templo, in Babylonem a Rege Nabucodonosore deportati fuere. Verùm hallucinantur, qui ea Suffugia comminiscuntur. Nam & tempore Captivitatis Babylonicæ Judæi non pauci substiterant Hierosolymis; iique nomine Fratrum suorum in Babylonem deportatorum Hostias offerebant ad Aram Domini, quæ quidem etiam everso Templo residua manserat; aut nova illic levi opera extructa fuerat. Patet id ex Epistola Judæorum in Babylone captivorum ad alios Hierosolymis residuos; quæ extat in *Libro* Baruch *Cap.* 1.: *Misimus ad vos pecunias, de quibus emite Holocautomata, & thus, & facite manna, & offerte pro peccato ad Aram Domini Dei nostri*. Sacrificium igitur retinebant in illis rerum suarum angustiis. Habebant etiam hac ipsa tempestate Joakim Sacerdotem, ut videre est *eodem Capite Libri* Baruch: Certa etiam spe instaurandi Templi fovebantur; Deo scilicet per Jeremiam attestante, futurum tandem, ut intra annos septuaginta Templum instauraretur, ut legitur *Cap.* 29. Nunc verò post secundam Hierosolymorum ruinam a Romanis illatam, permixtis confusisque Tribubus, Sacerdotes nec habent, nec habere ullo modo possunt: Templum unà cum Ara Domini a Tito, & Vespasiano ita Solo æquatum est ab annis mille sexcentis, & quod excurrit, ut omnis offerendi Sacrificii, & instaurandi Templi spes sit adempta; quod cumulatiùs demonstrabimus loco suo. Perperam ergo eo Babylonicæ Captivitatis Exemplo se muniunt, ut Argumentum elidant.

Reponent fortè Judæi, si quam rerum nostrarum notitiam habent; magnam Christianorum partem nec Sacerdotes habere, nec Sacrificium; potissimè vero Calvinianos; apud quos nec Sacrificium Altaris offertur, nec Sacerdotes ad Sacrum Ministerium obeundum inunguntur: qui tamen veram penes se Religionem extare gloriantur.

Optandum, ut Argumento satisfacerent Calviniani Ministri : neque enim is ego sum, qui Caussam illorum orare debeam. Dicam tamen interim, hunc ipsum Calvinianorum Errorem, quo Missæ Sacrificium explodunt, nihil Judæis in hacce præsenti Controversia suffragari. Non habent illi quidem quotidianum, & incruentum Missæ Sacrificium, quod a nobis ad cruenti Sacrificii memoriam offertur in dies; nec temporarios Sacerdotes ad id muneris destinatos injungunt; habent tamen illi, quemadmodum inquiunt, Christum novi Testamenti Sacerdotem æternum, cruentumque mortis illius Sacrificium, semel quidem cruento modo oblatum in Terris, sed quod itidem incruento modo perenniter offertur in Cœlis, ubi Christus perennis Hostia semetipsum jugiter offert Deo Patri. Quare non sunt illi sine Sacerdote, & sine Sacrificio, qui & Sacerdotem æternum, & æternam Hostiam Deo perenniter oblatam agnoscunt. Quare nil mirum, si ex hoc saltem Capite veram penes sese Religionem extare glorientur. Verùm non ita Judæi de Sacerdotii, & Sacrificii Aaronici perennitate gloriari possunt. Neque enim sui illi dudum e vivis sublati Aaronici Sacerdotes suo in Cœlis officio defunguntur, uti defungitur Christus : nec perennant, quæ ab iis fuerunt olim oblatæ, Victimæ; uti profectò perrennat Victima illa grandis, & salutaris in Ara Crucis olim oblata. Dispar itaque Judæorum, & Calvinistarum est ratio. Quæ tamen non ideo sunt a me dicta, quasi Calvinianos ab Errore tueri velim : absit : sed ut Judæorum Argumento reponam quidquid minus mali Calviniani reponerent, si eo fortè ad hominem, ut vulgò dicitur, urgerentur.

Mitto ineptam, insulsamque quorundam Judæorum Argutationem, qui, ut Levitici Sacerdotii abolitionem non esse apud Suos extinctæ, & antiquatæ Religionis argumentum ostendant, id demum clarigationis veluti jure nobis opponunt : Christianos etiam summo Sacerdote suo quandoque destitui, ut tempore Schismatis, ac toto pseudo-Pontificatu Joannæ Papissæ. Quasi verò deficiente apud nos Pontifice Summo deficiat Sacerdotium; ac non potiùs multa Episcoporum, ac secundi Ordinis Sacerdotum millia supersint ad Christianæ Religionis Sacra peragenda? Aut fortè sublato Pontifice non stet penes Ecclesiam Catholicam alterius eligendi, initiandique potestas? Cùm contra apud Judæos non modò Pontifex Summus, sed & totus Sacerdotum, ac Levitarum Ordo desierit; nullaque aliorum eligendorum, initiandorumque facultas extet penes Synagogam. Quæ porro de Joanna Papissa vulgò jactantur, tametsi dictis nihil officiunt, anilia commenta sunt, ab ipsis etiam Protestantibus, quibus aliquid pudoris est, falsi convicta : de quibus prolixiùs disputare non est Loci hujus, & Instituti.

PRÆ-

PRÆLECTIO IV.

Ex abrogata Mosaica Lege, novâque sancitâ Liberatoris Missio jamdudum peracta infertur.



Ertiam Judæorum in Christum nostrum Criminationem attingimus, qua illum veri Messiæ partibus defuisse, imò & sese nefario sacrilegio polluisse audacissimè criminantur. Mosaicam Legem tanta solemnitate divinitus institutam, tot miraculis, ac prodigiis confirmatam, tanta Religione a Viris Spiritu S. afflatis custoditam, tot sæculorum tractu florentem, a Christo nostro rescissam, eliminatam, antiquatam non fine stomacho conqueruntur. Si mala Lex Moysis, inquiunt, cur a Deo sancita? Si bona, cur a Jesu nostro rescissa? Neque satis intelligi posse ajunt, qua sorte, quo fato Instituta Dei, Deo ipso volente atque jubente, rescindi aliquando debuerint; quasi Is instabilium, ac levium Hominum more consilia mutet. Hinc colligunt Viri miseri, Jesum nostrum nequaquam, uti Messiam, habendum, sed uti fœdifragum, Deo injurium, Sacrorum Institutorum conculcatorem morte damnandum: aliumque idcirco Messiam a Sacris Vatibus prænuntiatum expectari a Fidelibus oportere; qui neglectam, & obliteratam ab Hominum cordibus Moysis Legem instauret, majoremque in lucem, & solemnitatem inducat.

Nos aliam longè viam inimus; utque Judaicam perfidiam hoc ipso, quo nobis jugulum petunt, gladio feriamus; hoc unum præsenti Prælectione demonstrandum aggredimur: Mosaicam Legem, tametsi divinitus institutam, adventante Christo, obliterari, antiquari, in novam, uno verbo dicam, commutari debuisse. Ita fiet, ut opposita consecutione colligamus, Jesum nostrum idcirco maximè veri Messiæ nomine dignum esse, quòd Legem veterem consummarit, novamque condiderit.

In qua quidem obeunda provincia media subeundi oneris parte levati sumus. Ea enim superioribus Prælectionibus Fundamenta posuimus, uberrimaque veterum Prophetarum testificatione confirmavimus; unde Legem Mosaicam adoriente Christo rescindi, atque in novam commutari debuisse, necessariò colligamus. Si enim, uti jam demonstravimus, Christus sacris Oraculis prænuntiatus, non Judæos tantùm, ut ipsi putant, verùm etiam exteras Gentes toto Orbe diffusas, & Judaicò Nomini inimicas vocaturus erat, & in Fidei, Religionisque societatem adducturus, novam profectò Le-

 gem,

gem, ablegata Mosaica, succedere opus erat. Ecquo enim pacto Lex unico Judaico Populo data, cujus Promissa uni duntaxat Abrahæ Stirpi servabantur, universis latè Gentibus accommodari potuisset? Quo pacto toto Orbe diffusi Populi unicam Chananæam Terram, lacte, ac melle fluentem, inhabitassent, quòd religiosis Legis suæ Observatoribus Moyses promittebat? Qua sorte universæ Gentes carnali Circumcisione initiandæ fuissent, cùm hæc ad Judæos a cœteris Gentibus distinguendos fuerit primitus instituta? Quod enim Judæos distinguit a Gentibus, commune esse non potest Judæis, & Gentibus. Quo tandem portento universi Orbis Populi in unum Hierosolymæ Templum convenissent, statisque temporibus confluxissent ad Legis Mosaicæ Sacra peragenda, quæ alio in loco sine sacrilegio celebrari non poterant? Alteram itaque Legem succedere opus erat, non Judæis utique peculiarem, sed quæ servari ab omnibus Gentibus posset.

Rursus, si Messias Prophetarum Vaticiniis nuntiatus novum Sacerdotium, sublato Levitico, conditurus erat, quod pariter dedimus manifestum; quis non videat, novam quoque Legem, sublata veteri, sanciturum fuisse? Stat quippe inconcussum illud D. Pauli Principium, quo Hebræos olim exagitabat; Principium, inquam, naturali lumine notum; *Translato enim Sacerdotio, necesse est, ut & Legis translatio fiat; Ad Hebræos Cap.* 7. Quomodo enim, sublato Levitico Sacerdotio, stare ea Lex posset, cujus pars maxima in Levitici Sacerdotii Cultu, ac Religione versatur? Jam ergo in antecessum ex positis, probatisque Fundamentis contra Judæos præjudicata res est.

Non ita tamen morosi sumus, nec in asserenda veritate adeo parci, quin illos novis Momentis, iisque nil minùs validis, refellamus. Et sanè Fœdus novum, Pactum novum adventante Messia a Deo cum Hominibus ineundum, illudque non temporarium, sed æternum, tam sæpe Sacris in Literis prænuntiatur, ut plane mirari mihi subeat, Judæos eo in Capite cœcutiisse. Isaiæ *Cap.* 55. *Inclinate aurem vestram, & venite ad me; audite, & vivet anima vestra, & feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles. Ecce testem Populis dedi eum, Ducem, & Præceptorem Gentibus.* Tum postea *Cap.* 61.: *Dabo opus eorum in veritate, & fœdus perpetuum feriam eis. Et scient in Gentibus semen eorum, & germen eorum in medio Populorum.* Jeremiæ *Cap.* 32.: *Et feriam eis pactum sempiternum, non desinam eis bene facere: & timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant a me.* Ezechielis *Cap.* 16.: *Suscitabo ego pactum meum tecum, & scies, quia ego Dominus.* Osee *Cap.* 2.: *Percutiam cum eis fœdus, in die illa . . . . . . & sponsabo te mihi in sempiternum.*

Et

Et alia id genus non pauca Prophetarum Vaticinia; quæ Dei Fœdus non qualecumque, & cum solis Judæis, sed æternum, atque cum universis Gentibus ineundum prænuntiarunt.

Quid modò Judæi, ut laqueum istum effugiant? Legem, seu Fœdus adveniente Messia sanciendum ultro concedunt, non tamen novum, & ab eo distinctum, atque diversum, quod cum Israelitico Populo jampridem, sequestro Moyse, Deus inierat. Verùm os illis occludit Propheta Baruch *Cap. 2.: Et statuam illis Testamentum alterum sempiternum, ut sim illis in Deum, & ipsi erunt mihi in Populum.* Os illis verberat Jeremias *Cap. 31.*, atque adeo apertè, adeo dilucidè, ut omnem prorsus Cavillationem elidat: *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israel, & domui Juda fœdus novum: non secundùm pactum, quod pepigi cum Patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de Terra Ægypti: pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus sum eorum, dicit Dominus. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus: dabo Legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in Populum.* En itaque Legem novam Messiæ temporibus sanciendam; Legem a Mosaica Israelitico Populo ex Ægypto egresso data longè distinctam; Legem, non in Tabulis lapideis scriptam, sed Cordibus insculptam: Legem, non Servitutis, sed Amoris.

Ecquis etiam nesciat, Mosaicam Legem & in Monte Sina sancitam a Deo, & unico Judaico Populo datam esse? Porro Legem alteram Messiæ temporibus orituram vaticinatus est Isaias Gentibus quoque communem, a Hierosolymis, & Monte Sion prodeuntem. Quibus Notis quid, nisi Euangelium, intelligamus a Christo nostro Hierosolymis datum, a Spiritu S. in Monte Sion super Discipulos effuso confirmatum, ut universis Gentibus nuntiaretur? *De Sion exibit Lex*, inquit Isaias *Cap. 2.*, *& verbum Domini de Jerusalem. Et judicabit Gentes, & arguet Populos multos.* Quæ iisdem ferme verbis legere est Michææ *Cap. 4.: Et properabunt Gentes multæ, & dicent, venite ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob; et docebit nos de viis suis; et ibimus in semitis ejus: quia de Sion egredietur Lex, et verbum Domini de Jerusalem. Et judicabit inter Populos multos; et corripiet Gentes fortes usque in longinquum* Et *v. 6.: In die illa, dicit Dominus, congregabo claudicantem: et eam, quam ejeceram, colligam, et quam afflixeram: Et ponam claudicantem in reliquias: et eam, quæ laboraverat, in Gentem robustam: Et regnabit Dominus super eos in Monte Sion, ex hoc nunc, & usque in æternum.*

No-

Notum, quantùm se Judæi hoc loco torqueant, ut ab iis Jeremiæ, Isaiæ, & Michææ Vaticiniis expediant sese. Jeremiam de novo Fœdere, seu Pacto locutum respondent, non de Lege nova sancienda: quam ob caussam Hebraico vocabulo *Berith*, non vocabulo *Tora* sit usus. Aut certè, si de Lege nova sancienda fortasse dixit, novam duntaxat intelligi voluisse quoad modum scribendi, ac denuntiandi; non novam quoad substantiam Mandatorum etiam cæremonialium. Hoc est, eandem semper futuram Mosaicam Legem, & si quæ prius in Tabulis lapideis scripta erat, atque ita minùs religiosè servabatur, postmodum Judæorum Cordibus, ac Visceribus ad plenam ejusdem observantiam inscribenda sit. Isaiam verò, & Michæam, Legem de Sion, seu de Hierosolymis prodituram dixisse volunt, quatenus in Monte Sina a Deo primùm Moysi data, tùm Hierosolymam perlata, inde tandem velut e publica Schola propagata sit.

Quàm sint Responsa illa futilia, nemo non videt. Norunt enim verò quotquot Hebraicè sciunt, idem plane sonare *Tora*, quod *Berith*; uti plane Sacrarum Scripturarum usu idem Lex sonat, ac Fœdus, & Pactum: propterea quòd data, receptaque Lege Deus, & Homo mutuò paciscantur; Iste quidem observantiam spondens, Ille remunerationem promittens. Maximè cùm in antithesi posita illic ab Jeremia inter Pactum novum, & Pactum vetus utrobique vocabulum *Berith* usurpetur; certoque certius sit, nomine Pacti veteris, nonnisi veterem Legem intelligi. Unde etiam Exodi *Cap.* 34.; & Deuteronomii *Cap.* 29.; ubi de Mosaica Lege sub nomine Fœderis in Latina versione sermo fit, vocabulum *Berith* in Textu Hebraico reperitur. Jam verò ex quo Lex nova a Deo sancienda promittitur, Mandata quædam nova complecti illam necesse est, non Cordibus duntaxat inscribi priora Mandata ad illorum observantiam obtinendam. Nec enim Princeps Legem novam condere dicitur, dum Legem diu antea latam procurat executioni demandari. Quare utrumque per Jeremiam promisit Deus, & Legem novam se daturum, & hanc ipsam Populi sui Cordibus, ac Visceribus inscripturum. Alterum, quod de Mosaica Lege subjungitur in Sina primum data, tum Hierosolymam perlata, inde tandem velut e publica Schola propagata, futilitatis plenum est. Mosaica quippe Lex in Sina data est, toto præsente Populo, ac Tribubus universis, quæ eandem in suas quæque domos detulere. Quare illam a Hierosolymis, velut e publica Schola emendicare, necesse illis non fuit. Michæas etiam, & Isaias Locis ante laudatis de futura Legis sanctione, & traditione loquuntur: *De Sion exibit Lex . . . . . De Sion egredietur Lex*: horum autem Prophetarum ætate jam dudum *exierat*, *egressaque* fuerat Mosaica Lex:

Lex : de ea itaque sermonem illic esse, impossibile est. Quanquam enim Prophetæ res futuras ob certitudinem Prophetiæ quandoque narrent, uti præteritas; nunquam tamen res præteritas, uti futuras enuntiant. Restat ergo, ut de Evangelica Lege in Monte Sion Hierosolymis lata sermo fiat.

Et sanè novam illic, & alibi Legem spondent laudati Prophetæ, ad cujus observantiam Gentes quoque obligarentur : repugnat autem, Mosaicam Legem ab omnibus Gentibus observari; tum quòd multa illius Præcepta extra Terram promissam observari nequeant; tum quòd Præceptorum aliqua data sint ad Judaicum Populum a cæteris Gentibus distinguendum, uti paulò antea demonstravimus.

Quid quòd Mosaicæ Legis Ritus, Sabbatha, Solemnitates, Sacros Apparatus tandem aliquando abolendos non semel vaticinati sunt Sacri Vates? Isaias *Cap.* 1. : *Neomeniam, & Sabbathum, & Festivitates alias non feram. Calendas vestras, & Solemnitates vestras odivit anima mea.* Oseas *Cap.* 3. : *Dies multos sedebunt filii Israel sine Rege, & sine Principe, & sine Sacrificio, & sine Altari, & sine Ephod, & sine Teraphim.* Hoc est, sine Sacerdote, & sine Propheta : erat enim *Ephod* superhumerale Sacerdotum indumentum; *Teraphim* autem imagines erant futura prænuntiantes. Oseas idem *Cap.* 2. : *Cessare faciam omne gaudium ejus, Solemnitatem ejus, Noemeniam ejus .... & omnia festa tempora ejus.* Amos *Cap.* 5. : *Odi, & projeci festivitates vestras : & non capiam odorem cœtuum vestrorum. Quòd si obtuleritis mihi Holocautomata, & munera vestra, non suscipiam, & vota pingium vestrorum non respiciam.*

Dicent fortè Viri miseri, comminantis, & indignantis Dei verba esse, ut illos officii sui admoneat, non Dei veteres Institutiones obliterantis. Verùm & indignantis, & obliterantis verba esse, Textus clamat : idque disertè contestatus est Jeremias *Cap.* 31. supra laudato; ubi idcirco Pactum vetus a Deo rescindendum monet, quòd illud iampridem Filii Israel nequitia sua, ac sceleribus irritassent. Hinc Isaiæ *Cap.* 43. monet Deus : *Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini. Ecce ego facio nova, & nunc orientur, utique cognoscetis ea.* Huiusque rationem assignat *v.* 22 *Non me invocasti Jacob, nec laborasti in me Israel.* Ut sileam, Oseæ saltem Dictum merè propheticum esse; ac simpliciter denuntiare, quid Judæis eventurum sit, nullo comminantis, vel indignantis Dei sensu insinuato.

Sed vultis, rem totam minutatim, ac per partes expendamus? Præstò sum. Quid in veteri Ritu sanctius, quid augustius Arcà ipsâ Testamenti; in qua scilicet Dei Majestas inhabitabat, Lexque

que

que Moyſis ſervabatur? Et hanc tamen adventante Chriſto obliterandam, ac nihili faciendam mandavit Deus Jeremiæ *Cap.* 3.: *Cumque multiplicati fueritis, & creveritis in Terra in diebus illis, ait Dominus: non dicetis ultra, Arca Teſtamenti Domini: neque aſcendet ſuper cor, nec recordabuntur illius: neque viſitabitur, nec fiet ultra.* Quid ſanctius, ac ſolemnius ſolemnitate Paſchali in memoriam exitus de Ægypto celebranda? Et hanc tamen aliquando reſcindendam prædixit Jeremias *Cap.* 16.: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & non dicent ultra, Vivit Dominus, qui eduxit filios Iſrael de Terra Ægypti.* Quid ſanctius inter Moſaicæ Legis Sacramenta carnali Circumciſione Abrahamo primùm indicta, tum poſtea a Moyſe præcepta, ac demum a Joſue novo Ritu celebrata? Et hanc tamen carnalem Circumciſionem innovandam, & in ſpiritualem commutandam vaticinatus eſt Jeremias *Cap.* 4.: *Hæc dicit Dominus viro Juda, & Jeruſalem, novate vobis novale, & nolite ſerere ſuper ſpinas: Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium veſtrorum, Viri Juda, & habitatores Jeruſalem. Deuteronomii Cap.* 30.: *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor ſeminis tui: ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo.* Quid ſanctius Salomonico Templo, extra quod Sacrificium Moſaicæ Legis offerre ſacrilegum erat? Et hoc tamen Solo æquandum vaticinatus eſt Iſaias *Cap.* 25., omni futuræ inſtaurationis ſpe adempta; ne crudas ſpes ſuas Judæi inaniter alant, qui illud a Meſſia ſuo inſtauratum iri hariolantur: *Poſuiſti Civitatem in tumulum, urbem fortium in ruinam, domum alienorum: ut non ſit Civitas, & in ſempiternum non ædificetur.* Qua de re in ſequenti plura dicam.

Id ergo, velint nolint, Judæi fateantur, Moſaicam Legem adoriente Meſſia reſcindi, & in novam commutari debuiſſe: fruſtraque Meſſiam alterum expectari, qui neglectam illam, & obliteratam inſtauret. Neque obeſt, quod crambis inſtar recoctæ nobis obtrudunt: Si bona Lex Moyſis, cur tandem reſciſſa? Proh Deum immortalem! Bona quidem Lex illa fuit, ſed juſto tempore, donec nova ſuccederet. Bona; ſed inſtar pædagogiæ ad rudes animos informandos; atque ita accedente plenitudine temporum perficienda. Bona; ſed inſtar figuræ; atque ita revelata veritate abolenda. Bona; ſed inſtar Symboli Chriſtum præfigurantis; atque ita veniente Chriſto implenda, & conſummanda. Nec idcirco Deus, quo volente reſciſſa fuit, Conſilia mutaſſe putandus eſt: quia & illam ea mente, eoque conſilio condiderat primùm, ut juſto duntaxat tempore perduraret, & conſummata demum Meſſiæ tempore exoleſceret: adeoque non immutata eſt, ſed impleta Dei Voluntas. Uti plane dum Deus Serpentem æneum, quem a Moyſe con-

conflari jusserat in Deserto, ab Ezechia Rege comminui voluit, *Lib. 4. Regum Cap* 18., Consilia non mutavit; quia non ea Mente Serpentem æneum conflari voluit, ut perpetuò perduraret, sed ut ea duntaxat urgente necessitate laboranti Populo mederetur.

Neque magis nos anxios, & sollicitos habet, quod Judæorum aliqui curiosiùs observant; Malachiam Prophetarum ultimum *Cap. ult.* Mosaicæ Legis observantiam inculcasse usque ad extremum Mundi diem: *Mementote Legis Moysi servi mei, quam mandavi ei in Horeb ad omnem Israel præcepta, & judicia. Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis. Et convertet cor patrum ad filios .... ne fortè veniam, & percutiam terram anathemate*. Indeque effectum, ut Jesus ipse noster, ne falsus Propheta, falsusque Messias agnosceretur, non semel protestatus sit, non venisse se Legem solvere, sed adimplere, Matth. *Cap.* 5. Quòd videlicet probè sciret, Legem Moysis *æternam* in Scripturis sæpe dici; cui ut nihil addi, ita nihil ex ea detrahi possit; *Deuteronomii Cap.* 4. : *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo: custodite Mandata Domini Dei vestri, quæ ego præcipio vobis*. Adeo non erat Mosaica Lex ex integro abolenda.

Non, inquam, Observationes istæ anxios nos, ac sollicitos habent. Locus siquidem Malachiæ de utroque Christi Adventu exponi commodè potest: vel de primo, uti Matthæi *Cap.* 11., & Lucæ *Cap.* 1. exponitur: quo casu, quemadmodum Eliæ nomine Joannes Baptista designatur: *Ipse est Elias, qui venturus est* (ante Jesum nostrum,): *ut convertat corda patrum in filios*; ita Mosaicæ Legis Observantia ad Joannem usque dicitur obligasse; quatenus scilicet *omnes Prophetæ, & Lex usque ad Joannem prophetaverunt*, ibidem *v.* 13. Secundùm quem Malachiæ Prophetæ sensum tantum abest, ut Mosaicæ Legis perennitas colligi possit, ut potius ejusdem abolitio, & cessatio Jesu nostro adoriente colligatur. Vel de secundo Christi Adventu Malachiæ Dictum accipitur, ut Matthæi *Cap.* 17. : ac sic quidem ad eum usque diem Mosaicæ Legis memoria recolenda indicitur, *Mementote Legis Moysi servi mei*, non Observantia mandatur: quæ duo Hebræi solent accuratè distinguere. Aut si eò usque illius Observantia mandatur, Præceptorum duntaxat moralium (quæ Legis etiam Evangelicæ communia sunt) Observantia præcipitur; non cæremonialium, & judicialium, quæ Mosaicæ Legis propria sunt. Hanc Christus noster non solvit quidem, absolvit tamen: hanc adimplevit, sed adimplendo consummavit, figurata ejusdem Præcepta ad exitum perducendo: eaque ratione illius nos jugo tandem absolvit; *Ad Galatas Cap.* 3. : *Christus nos redemit de maledicto Legis, factus*

pro nobis maledictum : quia scriptum est : maledictus omnis, qui pendet in ligno. Sicubi autem *æterna* Lex Sacris in Literis dicta est, non utique ratione finis id nominis habuit; aut certè non ratione Figuræ in ea contentæ dicta est *æterna ;* sed ratione Figurati, & ratione Antitypi. Nisi fortè Legem æternam re ipsa dicere malit Aliquis quoad Præcepta moralia, tametsi quoad Præcepta cæremonialia temporalem. Quod porro in Deuteronomio latum est Interdictum, ne quidquam verbo Dei addatur, aut detrahatur ex eo, privatos quidem Judæos, ac totam etiam Synagogam adstringit; non Deum ipsum, qui sublatæ Legi Mosaicæ Evangelicam subrogavit : maximè cum nec sic quidem verbum, quod Moysi locutus fuerat, re ipsa rescinderit, sed impleverit; Figurasque Præceptis cæremonialibus expressas allata demum veritate compleverit, consummarit.

Nihilo feliciùs argutantur Hebræi aliqui recentiores ac veteres, qui, ut Circumcisionem, potissimum Mosaicæ Legis Ritum, perpetuò duraturam, ac nunquam rescindendam evincant, locum *Genesis Cap.* 17. ambitiosiùs ostentant ; ubi Deus Circumcisionis Ritum Abrahamo præcipiens ita loquitur : *Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne masculinum in generationibus vestris: tam vernaculus, quàm emptitius circumcidetur .... eritque Pactum meum in carne vestra in fœdus æternum.* Hinc Circumcisionis perennitatem avidè colligunt, quòd ab ipso Deo æterna sit dicta.

Næ illi ignari, & imprudentes, qui domestica nesciant, quæ nos ab illis, non illos a nobis oportuit didicisse. Notat siquidem Rabbi Chimchi *in Libro Radicum*, Vocabulum illud *æternum* expressum Hebraica voce *Holam* (uti est in citato Genesis Loco) non semper significare durationem omni fine carentem, sed longum quandoque tempus; non semper stricti nominis æternitatem sonare, sed solam quandoque diuturnitatem ; ut *Genesis Cap.* 17. de Terra Chanaam dictum est : *Daboque tibi, & semini tuo Terram peregrinationis tuæ; omnem Terram Chanaam in possessionem æternam*, per verbum hebraicum *holam*; quæ tamen jam diu a Judæis non obtinetur. Et *Deuteronomii Cap.* 15. de Servo, qui anno septimo egredi noluerit, dicitur: *Assumes subulam, & perforabis aurem ejus in janua domus tuæ, & serviet tibi usque in æternum*, per vocem *holam*; qui tamen recurrente anno Jubilæi a servitute solutus erat, ut habetur *in Levitico Cap.* 25. Ac tunc tantùm vocem illam *æternum* durationem omni fine carentem necessariò significare, dum Vocabulo *Nezac*, vel *Sela*, vel *Od* in Hebraico Textu expressa est. Quod idem, missa eruditione Rabbinica, observat D. Augustinus *Quæst.* 13. *in Genesim*, & *Quæst.* 43.

in

in Exodum. Perperam itaque absolutam Circumcisionis perennitatem ex laudato Testimonio Judæi colligunt.

Sit ita tamen, & absolutam perennitatem, seu durationem omni fine carentem eo Vocabulo significari concedamus: non advertunt Imprudentes, duo longè diversa adnotari hoc Loco, ac latè distingui. Fœdus scilicet Dei cum Abrahamo initum, seu contractam cum illo Amicitiam, & Signum initi Fœderis. Circumcisio Abrahamo præcepta non est Fœdus ipsum, sed est Fœderis Signum, uti versiculo superiori declaratur; *Circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit in Signum Fœderis inter me, & vos*. Damus ergo Judæis, ultroque concedimus, Fœdus Dei æternum esse; contractam Dei cum Abrahamo Amicitiam æternam esse; quod unum Scriptura docet Loco a Judæis toties decantato: *Eritque Pactum meum in carne vestra in Fœdus æternum*: at contracti Fœderis Signum æternum esse pernegamus; nullumque Scripturæ Locum proferri posse contendimus, quo Signum hoc æternum, ac perenne vocitetur.

Inquient fortè, Signum Fœderis æternum esse oportere, si Fœdus æternum est. At id ex proprio cerebro dicent, non ex Sacris Literis; tamque falsum est, quàm quòd maximè. Quis enim nesciat, Amicitiam firmam, ac stabilem instabili plerunque, fluxo, ac fugitivo Signo firmari? Quis nesciat E. G. plerunque perire anulum, qui unicum apud Hebræos Fœderis Matrimonialis Signum est; nec tamen idcirco Matrimonium rescindi, atque dissolvi? Satis quippe est ad retinendam cujuscumque Amicitiæ, ac Fœderis firmitatem, si Signum, quo primùm sancita est, memoriâ recolatur; quanquam illud re ipsa desierit. Id & nos agimus in præsentia, qui licèt exoletam Circumcisionem non usurpemus; toties tamen divini Fœderis cum Abrahamo initi recordamur, quoties Circumcisionem sola mente recolimus.

Sed reponent, (idque mihi non semel a Judæis objectum est) Fœdus Dei cum Abrahamo initum, cum ejus quoque semine initum fuit: stat igitur etiamnum hodie cum Judaico Populo Dei Fœdus: quandoquidem secundùm nos Fœdus illud æternum erat. O cæcos Homines! Fœdus cum Abrahamo initum, cum ejusquoque semine initum est. Ita certè: sed quo semine? Semine fideli, quod Fidem Abrahæ sectaretur; semine, quod staret in Pacto, quod staret in Fœdere; non quòd Pactum, Fœdusque iniquitate sua rescinderet. Mutua quippe fide Pacta consistunt. Si ergo tanta Fide Pactis initis stetissent Abrahæ Posteri, quanta Fide stetit Abraham ipse, nihil dubitandum, quin & perpetuò cum Posteris perdurasset. At quam turpiter Pactum initum Judæi violarint, Prophetæ plus satis attestantur, ac lugent: *Psal.* 77.: *Averterunt*

se, & non servaverunt Pactum : quemadmodum Patres eorum; conversi sunt in arcum pravum. Jeremias *Cap.* 11. *Irritum fecerunt domus Israel, & domus Juda Pactum meum, quod pepigi cum Patribus eorum.* Oseas *Cap.* 6. : *Sicut Adam transgressi sunt Pactum, ibi prævaricati sunt in me.* Malachias *Cap.* 2. : *Vos autem recessistis de via, & scandalizastis plurimos in Lege : irritum fecistis Pactum Levi, dicit Dominus exercituum.* A divino itaque Fœdere sua culpa, & iniquitate deciderunt. Sed volunt Abrahæ semen, cum quo Fœdus initum, perenniter stet? Hoc sumus nos quotquot Christiano nomine gloriamur. Semen Abrahæ sumus, non Carne, sed Spiritu; semen ex Fide, non ex Fœmore; semen circumcisum Mente, non Corpore : *Non enim*, ut ait Apostolus *ad Romanos Cap.* 2., *Non enim, qui in manifesto Judæus est; neque quæ in manifesto in carne est Circumcisio : sed qui in abscondito Judæus est : & Circumcisio cordis in Spiritu, non Litera : cujus laus non ex Hominibus, sed ex Deo est.*



PRÆ-

PRÆLECTIO V.

Hierosolymæ instaurandæ, Salomonici Templi iterum excitandi, Judaici Populi colligendi, novique Messiæ venturi spes omnis Judæis præcluditur.



NIHIL in ore frequentiùs habent Judaicæ perfidiæ Doctores, atque Magistri, quàm Christum Prophetarum Vaticiniis prænuntiatum Urbem Hierosolymam, ac ipsum maximè Salomonicum Templum excitaturum, ut illic veteri Ritu Judæi Sacrificia offerant, & in terra Patrum suorum secundùm carnem beatè, ac feliciter vivant. Hac esca Gregalium suorum spes crudas alunt; stolidæ Plebi fortunata tempora, & Soles candidos adpromittunt; standum animis admonent, donec excussa, qua premuntur ubique gentium, misera Servitute, bona pace, & Avorum suorum hæreditate perfruantur. Hinc & Jesum nostrum veri Messiæ partibus defuisse audacissimè colligunt, quòd nihil ejusmodi quidquam Judæi ejus ætate experti sint: minùsque Servatoris Officio functum effutiunt, a cujus tempore Judæi extorres, & profugi ubique gentium vagantur, & errant; quos tamen a promisso sibi Servatore colligendos Prophetæ veteres prænuntiarunt.

Quantùm Illos ea fallat Opinio, ex parte hactenus demonstravimus, dum Leviticum Sacerdotium, Legemque Mosaicam a promisso Messia antiquandam, ac rescindendam probaremus. Hinc quippe nullam excitandi Salomonici Templi necessitatem superesse, facilè colligas. Verùm, ne potissimum istud Judaicæ perfidiæ Caput perfunctoriè tantùm attigisse videamur, id præsenti Prælectione demonstrabimus: Omnem prorsus instaurandæ Hierosolymæ, & excitandi Salomonici Templi spem Judæis ademptam esse; frustraque illos Messiam alterum præstolari, qui istud miseræ, ac profugæ Genti officium præstet.

Et certè Divino quodam Numine factum est, ut post annos mille sexcentos, & quod excurrit, Salomonicum Templum a Tito, & Vespasiano Solo æquatum nequaquam excitaretur; tametsi Judæi molitionem attentarint sæpe numero. Verumenimvero Templi, & Urbis instaurationem quoties Judæi aggressi sunt, toties repressi, atque submoti cœptum Opus intermisere. Primùm quidem sub Hadriano Imperatore: tum sub Constantino tentantes Opus a militibus longè submoti manum quantocitius retraxerunt: postremò sub Juliano Apostata, qui Christianæ Religionis odio magnas Ju-

Judæis & opes, & operas ad Templum excitandum impenderat, Opus rursus aggressi ingenti portento repressi conciderunt; igne scilicet e fundamentis erumpente, & intempestivos conatus reprimente; ut Dei Numen in Molitores iratum experirentur Universi. Non hic Christianos Scriptores Facti Testes advocabo, a quibus Portentum hoc memoriæ commendatum est, tametsi spectatissimos, ac fide dignissimos; Joannem Chrysostomum *Serm.* 2. *in Judæos*, & *Homilia* 4. *in Matthæum*; Gregorium Nazianzenum *Orat.* 4.; Ambrosium *Epist.* 29. *ad Theodosium*; Theodoretum *Lib.* 3. *Historiæ Ecclesiasticæ Cap.* 20.; Socratem pariter *Lib.* 3. *Cap.* 20.; Sozomenum *Lib.* 5. *Cap.* 22.; Cassiodorum *Historiæ tripartitæ Lib.* 6. *Cap.* 43.; aliosque non paucos, in quos Judæi fortassis exceptionem facerent, uti Christianorum Partibus addictos. At Testem dabo omni exceptione majorem, Ammianum Marcellinum, Virum ethnicum, Christiani Nominis professum hostem, quem nobis ad Judæorum invidiam gratificari voluisse nemo dixerit. Is ergo *Lib.* 23. *Rerum gestarum* de Juliano Apostata ita scribit: *Imperii sui memoriam magnitudine Operum gestiens propagare, ambitiosum quondam apud Hierosolymam Templum, quod post multa, & interneciva certamina, obsidente Vespasiano, posteaque Tito, ægre est expugnatum, instaurare sumptibus cogitabat immodicis; negotiumque maturandum Alypio dederat Antiochensi, qui olim Britannias curaverat Pro-Præfectus. Cum itaque rei idem fortiter instaret Alypius, juvaretque Provinciæ Rector, metuendi globi flammarum prope fundamenta crebris assultibus erumpentes fecere locum exustis aliquoties Operantibus inaccessum: hocque modo elemento destinatius repellente cessavit inceptum.* Hæc Scriptor ethnicus, Christianorum adversus Judæos Caussam agens.

Neque minùs Divino Numine factum æstimare par est, ut in ejus tandem Principis potestatem cederet Hierosolyma, magni quondam Nominis umbra, qui Christiano Nomini præ cæteris infensus est; ne fortè fatalis Urbis instaurationem Christianorum artibus impeditam Judæi dicant: sed ultricem Dei Manum in se concitatam experiantur. Neque enim, ne instauretur, obsistimus nos, aut repugnamus, qui nihil in eo Terræ tractu potestatis obtinemus. Obstat Nominis nostri professus hostis Turcarum Imperator, nullo certè impendendi nobis officii studio motus, sed cœcus Divinæ Ultionis Administer. Imò obstat secreto, atque occulto judicio Deus ipse, qui pro ea, quam habet in flectendis, movendisque Hominum cordibus mirabili, atque ineffabili potestate, Judæos ipsos ab eo instaurandæ Hierosolymæ audaci consilio tandem aliquando procul avertit. Neque enim a multis sæculis Opus faciundum susceperunt Judæi, aut etiam attentarunt.

Jam

Jam verò quàm inaniter adventante Messia tentandum instaurationis Opus hariolentur cœci Homines, iis manifestum fore arbitror, qui sacra Prophetarum Oracula vel obiter lectitarint. Omnem enim & instaurandæ Hierosolymæ, & reparandi Templi spem Mortalibus adimunt : Isaiæ *Cap.* 25. : *Posuisti Civitatem in tumulum, urbem fortem in ruinam, domum alienorum: ut non sit Civitas, & in sempiternum non ædificetur* : Jeremiæ *Cap.* 19. : *Hæc dicit Dominus exercituum: sic conteram Populum istum, & Civitatem istam, sicut conteritur vas figuli, quod non potest ultra instaurari* : Amos *Cap.* 5. : *Audite verbum istud, quod ego levo super vos planctum: Domus Israel cecidit, & non adjiciet, ut resurgat. Virgo Israel projecta est in terram suam, non est qui suscitet eam* : Danielis *Cap.* 9. : *Et Civitatem, & Sanctuarium dissipabit Populus cum Duce venturo: & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmavit autem Pactum multis Hebdomada una : & in dimidio Hebdomadis deficiet Hostia, & Sacrificium, & erit in Templo abominatio desolationis: & usque ad consummationem, & finem perseverabit desolatio.* Unde est ergo fatua illa Templi Salomonici tandem aliquando per Messiam instaurandi spes, stolidæ Judæorum Plebi a Magistris suis, atque Doctoribus tam liberaliter facta? Sic sanè Simplicium credulitati illudendum, ut id demum instauratum iri jactitetur, quod *in sempiternum non ædificandum* vaticinatus est Isaias; *non ultra instaurandum* Jeremias; *non erigendum, nec suscitandum* Amosus; perpetua demum, atque *ad finem usque* duratura *desolatione* dissipandum Daniel prænuntiavit?

Accedit Oseæ locupletissimum Vaticinium *Cap.* 3. miserum Judæorum Statum, quo sine Rege, sine Templo, sine Sacerdote, sine Laribus futura est perfida Gens, ad extremum usque Mundi diem duraturum vaticinantis; quo demum tempore Christum agnoscent Judæi, sed serò nimis : *Dies multos sedebunt filii Israel sine Rege, & sine Principe, & sine Sacrificio, & sine Altari, & sine Ephod, & Teraphin* . (hoc est sine Pontifice, & sine Propheta). *Et post hæc revertentur filii Israel, & quærent Dominum Deum suum .... & pavebunt ad Dominum, & ad bonum ejus novissimo dierum.* Nulla ergo instaurandi Templi spes illis affulget, si ad novissimum usque diem sine Sacrificio, sine Altari, sine Pontifice mansuri sunt.

Sed videamus nunc tandem, quid illorum spes potissimùm excitarit, ut stultam adeo Fabulam venditarent. Amosi Prophetæ luduntur Oraculo perperam intellecto *Cap.* 9., ubi Deum ita loquentem inducit : *In die illa suscitabo Tabernaculum David, quod cecidit .... & reædificabo illud, sicut in diebus antiquis.* Et post pau-

pauca, v. 14.: *Et convertam captivitatem Populi mei Israel: & ædificabunt Civitates desertas, & inhabitabunt: & plantabunt vineas, & bibent vinum earum: & facient hortos, & comedent fructus eorum. Et plantabo eos super humum suam: & non evellam eos ultra de terra sua, quam dedi eis, dicit Dominus Deus tuus.* Luduntur & aliis longè pluribus, quæ Judæos quaquaversum dispersos, & profugos in pristinum Statum, & Locum a Christo venturo restituendos vaticinantur: Isaiæ *Cap.* 11.: *Levabit* (Dominus) *signum in Nationes, & congregabit profugos Israel, & dispersos Juda colliget a quatuor plagis terræ*: Jeremiæ *Cap.* 29.: *Et reducam captivitatem vestram: & congregabo vos de universis Gentibus, & de cunctis locis, ad quæ expuli vos, dicit Dominus: & reverti vos faciam de loco, ad quem transmigrare vos feci. Cap.* 30.: *Et convertam conversionem Populi mei Israel, & Juda, ait Dominus: & convertam eos ad terram, quam dedi Patribus eorum, & possidebunt eam. Cap.* 23.: *Et ego congregabo reliquias Gregis mei de omnibus terris, ad quas ejecero eos illuc: Et convertam eos ad rura sua: & crescent, & multiplicabuntur.* Ezechielis *Cap.* 34.: *Sicut visitat Pastor Gregem suum in die, quando fuerit in medio ovium suarum dissipatarum: sic visitabo oves meas, & liberabo eas de omnibus locis, in quibus dispersæ fuerunt in die nubis, & caliginis. Et educam eas de Populis, & congregabo eas de terris, & inducam eas in terram suam: & pascam eas in montibus Israel, in rivis, & in cunctis sedibus terræ. In pascuis uberrimis pascam eas, & in montibus excelsis Israel erunt pascua earum.*

Magna fateor, & larga Promissa, quæ carnalium Judæorum oculos statim feriant, Animosque ad temporalia duntaxat bona inhiantes rapiant, atque devinciant! Quæ tamen magna ex parte nonnisi figurato sensu accipi debent; ut ad spiritualem Judæorum liberationem per Fidem, necnon ad mysticam Hierosolymorum instaurationem, Ecclesiam scilicet, a Christo instituendam, consecrandamque referantur. Quod ni fiat, in sexcenta absurda impingitur: quorum duo hic leviter notare satis erit in uno Amosi Vaticinio, quod Judæis præ cæteris fucum facit. Tabernaculum scilicet Domini reædificandum ominatur Amosus sicut in diebus antiquis: *Ut possideant reliquias Idumææ, & omnes Nationes, eo quòd invocatum sit Nomen meum super eos*; *Cap.* 9. Quis autem dicat, Zorobabelis ætate, ac etiam secutis inde temporibus Nationes omnes Judæorum Imperio fuisse subditas: cum ii potius exterarum deinceps Nationum dominatum, ac etiam tyrannidem passi sint? Addit idem Amosus *v.* 15. *Plantabo eos super humum suam: & non evellam eos ultra de terra sua, quam dedi eis, dicit*

dicit Dominus Deus tuus. Cùm tamen perspectum sit, totam Judaicam Gentem suis subinde Sedibus fuisse depulsam, dissipatam, perpetuoque exsilio ad hæc usque tempora damnatam. Non itaque ad temporalem Hierosolymorum instaurationem, sed ad spiritualem Judæorum liberationem per Fidem, Ecclesiæque institutionem referenda illa sunt; uti in *Actibus Apostolicis Cap.* 15. referuntur. Interea tamen quæ de materiali, ut ajunt, Hierosolymorum instauratione, deque temporali Judæorum liberatione, & in pristinum locum restitutione promittuntur tot illis productis Oraculis, stolidè prorsus expectantur etiamnum, quæ dudum destinatum exitum habuerunt: soluta nimirum sub Cyro Persarum Rege Captivitate Babylonica, instaurato secundis curis Salomonico Templo, Judaico Populo in Judæam reducto, atque in integrum restituto annis ante Christum nostrum amplius quingentis, *Lib.* 2. *Paralip. Cap.* 36.: Esdræ 1. *Cap.* 1. Cùm enim durante Captivitate Babylonica Propheticum munus obirent Amos, Jeremias, Ezechiel; ad illam primam instaurationem, quæ, soluta post annos septuaginta Captivitate, facta est, oculos intendebant; ut Judæorum captivorum animos erigerent, data illis spe bona futuræ prope diem liberationis, & Templi quantocitius excitandi. Id ut dicamus, gemina ratio cogit: prima, quòd instaurandi Templi facultatem a Cyro Persarum Rege datam notet Esdras, *ut compleretur verbum Domini ex ore Jeremiæ*: Secunda, quia, si de altera Hierosolymorum instauratione, qualis nunc ab Hebræis expectatur post secundam cladem a Tito, & Vespasiano illatam, Prophetas illos locutos diceremus, palam sibi, apertèque repugnarent; quippe qui & Hierosolymam, & Templum nunquam deinceps instaurandum, locis paulò ante laudatis apertissimè contestantur.

Reponunt nihilosecius Judæi, modicam, tenuemque admodum fuisse eam Hierosolymorum instaurationem, quæ sub Cyro post primam eversionem tentata est: cùm tamen futurum prænuntiaverint Jeremias *Cap.* 31., & Zacharias *Cap.* 14., ut instaurata Hierosolyma finitima circumquaque Loca, Colles, ac Valles occuparet: atque hinc colligunt, Messiam expectandum esse, qui, secunda instauratione facta, tantam Urbi amplitudinem tribuat, quantam Prophetæ laudati promiserunt. Adduat, & hoc quoque Jeremiam spopondisse *Cap.* 31., fore ut instaurata Civitas *non evelletur, & non destructur ultra in perpetuum*: Et Zachariam *Cap.* 14. perinde scripsisse: *Anathema non erit amplius: sed sedebit Jerusalem secura*: cùm tamen post factam primam illam sub Cyro instaurationem, sub Tito deinde, ac Vespasiano deleta sit. Ut ergo (subjungunt) sua iis Oraculis veritas constet, nova cumulatissimaque instauratio expectanda est, ultra quam nullus deinceps eversionis,

ac vaſtationis metus eſſe poſſit; placidèque ad Dominum ſuum Judæi exſules revertantur.

Sed in eo quoque deluduntur; nec ſatis intelligunt, Prophetas pro more ſuo a typo, ſeu figura ad veritatem greſſum facere; ab inſtauratione temporali Hieroſolymorum, quæ ſub Cyro peracta eſt poſt primam everſionem, ad ſpiritualem Eccleſiæ inſtitutionem; ut carnales Judæorum animos a temporalibus bonis ad ſpiritualia erigerent. Quæ ergo de inſtauratæ tunc primùm Hieroſolymæ amplitudine, ornatuſque perennitate Sacris Literis adnotantur, hæc de Eccleſiæ inſtitutione, de myſtica, & ſpirituali inſtauratione intelligenda omnino veniunt. Ne porro Judæi mortiferæ Literæ tenaciùs hærentes nobis obtrudant, Chriſtianorum Effugium iſtud eſſe, ac pro arbitrio confictum, ut objectam illorum Difficultatem declinemus potius, quàm ſolvamus; hujuſce dati Reſponſi rationes prorſus invictas ſubjicimus, quæ Judaicarum interpretationum vanitatem in propatulo ponant; idque totum de ſpirituali inſtauratione accipiendum evincant.

Ratio prima hæc eſt: quòd non abſimilem inſtaurationem, liberationem, redintegrationem Sodomitis, & Samaritanis adpromiſerit Deus, ac laudatis ante Oraculis Judæis dicitur ſpopondiſſe: Ezechielis *Cap.16.: Soror tua Sodoma, & filiæ ejus revertentur ad antiquitatem ſuam: & Samaria & filiæ ejus revertentur ad antiquitatem ſuam: & tu, & filiæ tuæ revertemini ad antiquitatem veſtram:* hoc eſt, ad antiquam Sedem, opes, & gloriam. At Samariam, Sodomam, vicinaſque Urbes igne ſuccenſas nunquam temporaliter reſtituendas Judæi conſentiunt: ſpiritualis igitur duntaxat eis promittitur inſtauratio. Parem Moabitis, ac Judæis liberationem promiſit Jeremias *Cap.48.: Convertam captivitatem Moab in noviſſimis diebus, ait Dominus.* Parem, & Ammonitis ſpopondit *Cap.49.: Et poſt hæc reverti faciam captivos filiorum Ammon, ait Dominus.* Cùm tamen nec Ammonitas, nec Moabitas e temporali captivitate rediiſſe, Judæi fateantur. Quæ ergo illis promittitur liberatio, ſpiritualis eſt; puta converſio ad Deum per Chriſtum. Quidni ergo pari jure laudatis Prophetarum Vaticiniis ſpiritualem Iſraelis, ac Hieroſolymorum inſtaurationem intelligamus, Eccleſiæ ſcilicet inſtitutionem?

Ratio altera hæc eſt: quòd Dei Domum, & Hieroſolymam inſtaurandam in eum modum, ac formam Prophetæ vaticinentur, quam ad literam, & ſecundùm verborum ſuperficiem accipere, ineptiſſimum ſit: *Ecce ego*, inquit Deus Iſaiæ *Cap.54., Sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in Sapphiris, & ponam jaſpidem propugnacula tua*: Quæ quis extra figuram dicta putet? *Et erit*, inquit Iſaias *Cap.2. præparatus mons domus Domini in vertice*

tice montium, & elevabitur super colles : Quæ quis secundùm nativum verborum sensum accipienda sibi fingat? *Et erit*, subjungit idem Isaias *Cap.66.*, *mensis ex mense, & sabbathum ex sabbatho : veniet omnis caro, ut adoret coram facie mea.* Qua vero forte fieri posset, ut toto Orbe diffusæ Gentes quovis Mense, imò & quovis Sabbatho Hierosolymam tandem instauratam adirent, verum illic Deum adoraturæ? Addit Zacharias *Cap.* 14. convolaturas illuc Gentes omnes *ad celebrandam festivitatem Tabernaculorum :* Rem utique, si nudam literam spectes, penitus impossibilem. Sed & Isaias toties jam appellatus instauratæ semel Hierosolymæ, Populique ad pristinas Sedes reducis beata tempora describens, ea de Vallibus, ac Montibus, de diebus, ac noctibus, de brutis demum Animantibus narrat, quæ si quis stricto sensu, ac citra allegoriam velit accipere, omnium cachinnis, ac sibilis excipietur : *Cap.* 40. : *Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons, & collis humiliabitur; & erunt prava in directa, & aspera in vias planas : Cap.* 24. : *Erubescet Luna, & confundetur Sol, cùm regnaverit Dominus exercituum in Monte Sion, & in Jerusalem : Cap.*30. : *Et erit lux Lunæ sicut lux Solis, & lux Solis erit septempliciter, sicut lux septem dierum in die, qua alligaverit Dominus vulnus Populi sui, & percussuram plagæ ejus sanaverit : Cap.* 11. : *Habitabit Lupus cum Agno : & Pardus cum Hædo accubabit : Vitulus, & Leo, & Ovis simul morabuntur, & Puer parvulus minabit eos. Vitulus, & Ursus pascentur : simul requiescent Catuli eorum : & Leo quasi Bos comedet paleas. Et delectabitur Infans ab ubere super foramine Aspidis : & in caverna Reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet. Non nocebunt, & non occident in universo monte sancto meo.* Hæc itaque spirituali, & allegorico sensu citra dubium intellecta, nonnisi ad spiritualem Hierosolymorum, & Judaicæ Gentis instaurationem, liberationem, salutem, ac pacem referuntur.


Tertia demum ratio, quæ Judæis jugulum petit, ista est : quòd sua laudatis paulò ante Jeremiæ, & Zachariæ Oraculis veritas minimè constaret, si de temporali Hierosolymæ instauratione locuti dicantur. Hanc enim, ut primùm instaurata fuerit sub Cyro Persarum Rege, *non evellendam* ultra, *nec destruendam*, nec futuram deinceps *anathema ;* sed summa *securitate* potituram affirmant. Quod certè, si de temporali securitate, atque perennitate dictum velint, quis non videat, esse falsissimum? Cùm toties subinde a Romanis oppugnata, capta tandem, incensa, deletaque sit. De mystica itaque Hierosolymorum instauratione, deque spirituali Judæorum restitutione locutos Prophetas oportet, dum futuræ sub Cyro Persarum Rege restitutionis, atque instaurationis Adjuncta, ac Circumstantias prænuntiaverunt ; ut a typis (quod Prophetis familiare

est) ad antitypa gressum facerent, a Templo scilicet Salomonico sub Cyro *Christo Domini* temporaliter instaurato ad Spirituale Templum (Ecclesiam intellige) a Christo Jesu excitandum, exstruendum, & consecrandum.

Hinc depulsam arbitror alteram Judæorum hallucinationem, qua Terram Chanaam Abrahamo, & semini ejus a Deo datam gloriantur *in possessionem æternam*, *Genesis Cap.* 17. Unde colligere sibi putant, Terram hanc adveniente Messia sibi fore restituendam, ut illam æternùm possideant, juxta Isaiæ Vaticinium *Cap.* 60.: *Populus autem tuus omnes justi, in perpetuum hæreditabunt Terram, germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum*: Et Ezechielis *Cap.* 37.: *Et habitabunt super Terram, quam dedi servo meo Jacob, in qua habitaverunt patres vestri: et habitabunt super eam ipsi, & filii eorum, & filii filiorum eorum usque in sempiternum: & David servus meus princeps eorum in perpetuum*. Ut enim omittam hic, quod in superioribus Hebræorum Magistrorum Authoritate probatum est; iis loquendi formulis *æternum*, *in perpetuum*, *in sempiternum*, non semper durationem omni fine carentem intelligi, sed prolixum quandoque tempus significari duntaxat; quis quæso vel mediocriter sapiens prima fronte non videat, isthæc per allegoriam dicta esse, & Terræ Chananeæ symbolo cœlestem Felicitatem adumbrari in perpetuas æternitates a veris Abrahæ Filiis possidendam? Nam si res secundùm carnem, & juxta literæ corticem pensare Judæi velint, dicant, qua ratione fieri posset, ut Abrahæ semen, quod toto Terrarum Orbe diffundendum promiserat Deus *Genesis* 13., unico Chananeæ sinu contineri posset? Dicant, qua forte Terra Chanaam æternùm possidenda esset, quam ab annis mille sexcentis, & eo ampliùs, minimè possident? Dicant, qua digna mercede fidem Abrahæ Deus Optimus compensasset, si unicum illi, ejusque semini Terræ angulum in præmium concessisset? Mentem ergo erigere necesse est, ne & Abrahæ fidei, & Dei Liberalitati injuriam irrogemus. Quare Chananæam a Posteris Abrahæ re ipsa, ac longo annorum tractu possessam olim ultrò concedimus; at insinuatam illam possessionis perennitatem ad Cœlestem Patriam, cujus hæc symbolum erat, referendam judicamus. Aliàs sua Dei Oraculo veritas constare non posset.

At erit fortè, qui dicat, Jesum nostrum nec sic quidem veri Messiæ officio functum esse; qui Judæos toto Orbe dispersos, ac profugos nec spiritualiter quidem collegit, nec in unius Ecclesiæ societatem adduxit: quod tamen, fatentibus nobis, verus Messias Sacris Oraculis prænuntiatus facturus erat. Imò, inquio ego, Judæos in unius Ecclesiæ sinum collegit Jesus noster, quotquot colligen-

gendos Prophetæ veteres prænuntiarunt; veros Abrahæ Filios: Filios, inquam, non Carne, sed Spiritu; Filios non ex Fœmore, sed ex Fide; Filios non Corpore circumcisos, sed Mente: *Non enim omnes, qui ex Israel sunt, ii sunt Israelitæ: neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filii:* inquit Apostolus *ad Romanos Cap.* 9. Quin & id observatione longè dignissimum est; Judaicæ Gentis partem plurimam Christo Domino adhæsisse, ac consensisse; partem alteram repugnasse; ut Prophetarum Oracula omni ex parte implerentur. Cùm etenim Prophetæ Judæorum alios Messiæ consensuros, alios repugnaturos prænuntiarint; vocandos allos, aliós rejiciendos; minùs Propheticæ veritati consultum esset, si vel Omnes, excepto nemine, Christo Domino consensissent; vel Omnes, dempto nemine, repugnassent. Duplicem igitur Israelem secernere necesse est; Spiritualem unum, Carnalem alterum; Fidelem illum, Infidelem istum; eum verum Abrahæ Filium, istum spurium, ac degenerem; eum promissis Benedictionibus cumulatum in Christo Jesu, cui credidit; istum reprobatum a Jesu, quem tradidit; illum in Ecclesiæ Catholicæ unitatem Fidei professione susceptum, istum in effusi Sanguinis pœnam toto Orbe profugum, & extorrem. Sic sanè Scripturas nullo negotio conciliamus; donec ad Sæculi finem, ac in secundo Christi Adventu infelices illæ *convertentur reliquiæ* Israelis, *Reliquiæ, inquam, Jacob ad Deum fortem*; ut est apud Isaiam *Cap.* 10.



PRÆ-

PRÆLECTIO VI.

Judæorum hallucinatio Christum bellatorem, ac manu fortem venturum sibi blandientium, quem imò pacificum, atque humilem Sacri Vates prænuntiarunt, validissimis Momentis retegitur, ac demonstratur.



Uccedit ordine quinta prænuntiati Messiæ Nota, quæ uti carnalium Judæorum genio magis arridet, ita & ab iis majori animorum contentione defenditur. Horum una vox est, una sententia, Messiam, Prophetarum Oraculis prænuntiatum, Virum manu fortem, ac bellatorem futurum; qui & ingentes ducat Exercitus, & iis cum summo imperio præsit. Cùm enim in unam qua toto Orbe premuntur, temporalem Servitutem oculos intendant, eum tandem oriturum sibi Liberatorem opinantur, qui miseram Gentem armatæ manu, ac stricto gladio vindicet, densaque Gentibus exteris strage illata optatam diu Suis libertatem restituat. Ea spe bona lactantur Miseri, ventura felicia tempora præstolantur, futurumque tandem existimant, ut hoc suo Messia Duce, ac Vindice, quem sibi ad arbitrium effingunt, Nationum, quibus hodie serviliter parent, sanguine saginentur.

Ludam operam, si quotquot in hanc rem Scripturarum Oracula congerunt cœci Homines, velim hic minutatim, atque distinctè recensere. Selectiora breviter dabo, quibus figmentum istud nituntur adstruere. *Numerorum Cap.* 24., ubi Christi Adventus quàm disertissimè prænuntiatur: *Orietur stella ex Jacob, & consurget virga de Israel: & percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth. Et erit Idumæa possessio ejus: hæreditas Seir cedet inimicis suis: Israel verò fortiter aget. De Jacob erit, qui dominetur, & perdet reliquias Civitatis. Psalmo* 109.: *Dominus a dextris tuis confregit in die iræ suæ Reges. Judicabit in Nationibus, implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum.* Isaiæ *Cap.* 42.: *Dominus sicut fortis egredietur, sicut vir præliator suscitabit zelum, vociferabitur, & clamabit: super inimicos suos confortabitur*: Jeremiæ *Cap.* 12.: *Gladius Domini devorabit ab extremo terræ usque ad extremum ejus.* Joelis *Cap.* 2.: *Dominus dedit vocem suam ante faciem exercitus sui: quia multa sunt nimis castra ejus, quia fortia, & facientia verbum ejus.* Habacuc *Cap.* 3.: *In fremitu conculcabis terram: in furore obstupefacies Gentes. Egressus es in salutem Populi tui: in salutem cum Christo tuo.* Zachariæ

Cap.

Cap. 9. : *Extendi mihi Judam quasi arcum, implevi Ephraim : & suscitabo filios tuos Sion super filios tuos Græcia : & ponam te quasi gladium fortium*. Et alia id genus multa, quæ passim in Prophetis occurrunt : unde Messiæ bellatoris, Copiarumque ductoris effingendi ansam Judæi recentiores, ac veteres arripuerunt.

Sed neque unico isto Actu Messiæ bellicosi Fabula luditur. Addunt liberales næniarum istarum Venditores, Messiam post confecta bella, eam Orbi pacem temporalem allaturum, quæ nullo deinceps bello, nulla inter se Gentium dissensione turbetur. Ita quippe colligere sibi videntur ex variis Prophetarum Oraculis : *Psalmo* 45. : *Venite, & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super Terram : auferens bella usque ad finem Terræ. Arcum conteret, & confringet arma : & scuta comburet igni*. *Psalmo* 75. : *Notus in Judæa Deus : in Israel magnum nomen ejus. Et factus est in pace locus ejus : & habitatio ejus in Sion. Ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium, & bellum*. Isaiæ *Cap.* 2. : *Conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces : non levabit Gens contra Gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium*. Michææ *Cap.* 4. : *Judicabit* (Dominus) *inter Populos multos, et corripiet Gentes fortes usque in longinquum : et concident gladios suos in vomeres, et hastas suas in ligones : non sumet Gens adversus Gentem gladium : et non discent ultra belligerare. Et sedebit vir subtus vitem suam, et subtus ficum suam, et non erit qui deterreat ; quia os Domini exercituum locutum est*. Aliaque non absimilia Prophetarum Oracula, quæ distinctiùs, & accuratiùs recensere longum esset.

Quid plura? Talem Orbi pacem a Christo bellatore, ac domitore datum iri fabulantur, quæ bruta etiam Animantia inter sese conciliet, societque mutuò ; quæque ingenitam illis feritatem adimat, ne ultra deinceps Hominibus noceant. Ut plane quod in effingenda aurea Saturni ætate a Poetis ingeniosè confictum est, totum id in effingendo Messiæ Sæculo somniasse Judæorum aliqui videantur. Nec desunt, quæ in hujus Commenti fidem ostentent Prophetarum Vaticinia : Isaiæ *Cap.* 11. : *Habitabit Lupus cum Agno : et Pardus cum Hædo accubabit : Vitulus, et Leo, et Ovis simul morabuntur, et Puer parvulus minabit eos. Vitulus, et Ursus pascentur : simul requiescent Catuli eorum : et Leo quasi Bos comedet paleas. Et delectabitur Infans ab ubere super foramine Aspidis : et in caverna Reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet. Non nocebunt, et non occident in universo monte sancto meo*. Quæ totidem fermè verbis inculcantur *Cap.* 65. : *Lupus, et Agnus pascentur simul, Leo, et Bos comedent paleas : et Serpenti pulvis panis ejus : non nocebunt, necque occident in omni mon-*

monte sancto meo, *dicit Dominus*. Ezechielis *Cap.* 34. : *Faciam cum eis Pactum pacis, et cessare faciam Bestias pessimas de terra: et qui habitant in deserto, securi dormient in saltibus : v.* 28. *: Et non erunt ultra in rapinam in Gentibus, neque Bestiæ terræ devorabunt eos : sed habitabunt confidenter absque ullo terrore*. Oseæ *Cap.* 2. : *Percutiam cum eis Fædus in die illa, cum Bestia agri, et cum Volucre Cæli, et cum Reptili terræ : et arcum, et gladium, et bellum conteram de terra : et dormire eos faciam fiducialiter.*

Quid autem, positis illis Judaicæ perfidiæ Fundamentis, adversus Jesum nostrum consequatur, in aperto est; Illum nempe a nobis perperam, uti Messiam, agnosci, & coli, quem nec Virum bellatorem, nec manu fortem extitisse, satis scimus; nec ulla nobis hujusce promissæ Pacis, aureæque Ætatis paulò ante narratæ beneficia contulisse profitemur.

Ut ergo pro more nostro & Instituto inanes illas Judæorum Argutias retundamus, duo hæc demonstrare nobis est opus: Primùm; Messiam illum bellatorem, tot illis Vaticiniis prænuntiatum, non temporalia, non carnalia bella gesturum fuisse, ut Judæi sibi inaniter blandiuntur; sed spiritualia, quibus Animæ hostes, & vitia pelleret : Alterum; pacem a Messia bellicoso Hominibus redonandam Spiritus esse, non Carnis; Animæ, non Corporis; piam Mentis, & Fidei securitatem, non externam variarum Gentium in servandis finibus consensionem. Sic certè Judæos cœcos Scripturarum Interpretes ostendemus; & Jesum nostrum verum Messiam iis ipsis Principiis demonstrabimus, quibus illi pertinaciter negant.

Ut itaque promissum Bellatorem, Bellaque ab ipso gerenda certissimè dignoscamus, arma ipsa, quibus usurus erat, observare sat erit. Ex armorum quippe genere Belli quoque gerendi genus sine controversia definiemus. Hæc porro nobis indigitat Isaias, cujus Suffragio turpiter abutuntur, *Cap.* 11. : *Percutiet terram virga oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium. Et erit justitia cingulum lumborum ejus : et fides cinctorium renum ejus*. Bellum igitur spirituale gesturus erat Bellator ille, spiritualia duntaxat arma tractaturus, verba scilicet, spiritum, justitiam, & fidem. Quæ totidem a fidelibus illius Discipulis tractanda monet Paulus Apostolus *ad Ephesios Cap.* 6. : *Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induti loricam justitiæ, et calceati pedes in præparatione Evangelii pacis : in omnibus sumentes scutum Fidei, in quo possitis omnia tela Nequissimi ignea extinguere : et galeam salutis assumite : & gladium spiritus : (quod*

est

est verbum Dei. Quibus in verbis Christi Apostolum Prophetæ mirum in modum consentientem habemus, ut unius interpretationem ex alio colligamus.

Idem Belli genus, spirituale scilicet, nil minùs egregiè, & luculenter ostendit Isaias idem *Cap.* 8.; ubi de Christo bellicoso in ipsa quoque pueritia bella gerente sic habet: *Et dixit Dominus ad me: voca nomen ejus, Accelera Spolia detrahere: festina prædari. Quia antequan sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ, coram Rege Assyriorum*. Jam ergo vagitu ad arma vocaturus erat bellator Infantulus; signa belli, non tuba, sed crepitacillo daturus: nec ex equo, vel de curru, vel de muro, sed de Nutricis, aut Gerulæ suæ collo hostem aggressurus; atque ita Damascum, & Samariam pro mamillis subacturus. Quidni ergo figuratam hic locutionem, & spirituale Bellum adumbratum intelligamus; quo nimirum præmatura professione Virtutis internos Animi hostes, Damasci, & Samariæ symbolo designatos, adhuc Puer superaret? Sed hæc est Judæorum improba cœcitas, ut non alios Hominis hostes putent, præter Ægyptios, Assyrios, Babylonios, aliosque id genus antiquos suæ Gentis domitores: nec alia idcirco Bella, ab eo, quem præstolantur, Liberatore gerenda norint, nisi quæ temporalem illis libertatem, ac pacem attulerint. Vah cœcas mentes! Verus Hominis hostis peccatum est, quo uno læditur Anima, & servituti addicitur. Legant suæ Gentis Annales; nusquam Judæos servituti addictos invenient, nisi ob Idololatriam, aut scelus aliquod ingens. Ita Ægyptiis, Moabitis, Ammonitis, Philistæis, Madianitis, Assyriis, Babyloniis, Persis, Medis, Græcis, Romanis per varia temporum intervalla ob admissa identidem scelera servierunt. Ut hinc noverint, peccata veri nominis hostes esse, unde prima tot servitutum, totque malorum origo nata est: Ægyptios verò, Moabitas, Philistæos, aliosque id genus Populos non tam hostes, quàm Dei vindicis Administros. Is ergo verus Messias, verus Liberator habendus erit, qui vitiis, non qui Gentibus bellum indixerit; qui spiritualia, non qui carnalia arma tractarit; qui Mentis, non qui Corporis libertatem attulerit. Hinc frequentes illæ Prophetarum voces: *Si in toto corde vestro revertimini ad Dominum, auferte Deos alienos de medio vestri, Baalim, & Astaroth: & præparate corda vestra Domino, & servite ei soli, & eruet vos de manu Philistiim Lib.* 1. *Reg. Cap.* 7.

Sed nihil æquè Judaicam hoc in Capite vanitatem exsufflat, quàm decretorium Sapientis Oraculum *Sapientiæ Cap.* 5., ubi venturi Liberatoris bellicum Apparatum describens, hostesque ab eo conterendos adumbrans, nil, nisi spirituale Bellum, ab eo geren-

dum insinuat : *Dextera sua teget eos, & brachio Sancto suo defendet illos. Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum. Induet pro thorace justitiam, & accipiet pro galea judicium certum. Sumet scutum inexpugnabile æquitatem : acuet autem duram iram in lanceam, & pugnabit cum illo Orbis Terrarum contra insensatos.* En tibi promissi Bellatoris armaturam; justitiam, judicium, æquitatem, ac zelum : quæ illis instar thoracis, & galeæ, instar scuti, & lanceæ futura erant. Quò plane collineat Oseæ Dictum *Cap.* 1. : *Domui Juda miserebor, & salvabo eos in Domino Deo suo : et non salvabo eos in arcu, & gladio, & in bello, & in equis, & in equitibus.* Næ ergo Judæi mente, & sensu capti, qui suæ Gentis Liberatorem Alexandri, ac Cæsaris Apparatu proditurum hariolantur : mortiferamque secuti literam nil, nisi quæ carnis sunt, sapiunt. Hunc longè alium nobis effingit Isaias *Cap.* 42.; ut mitem potius, humilem, pacificum dignoscamus : *Ecce*, inquit, *servus meus, suscipiam eum: electus meus, complacuit sibi in illo anima mea : dedi spiritum meum super eum, judicium Gentibus proferet. Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox ejus foris. Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet: in veritate educet judicium. Non erit tristis, neque turbulentus; donec ponat in terra judicium : & Legem ejus Insulæ expectabunt.*

Hanc autem Pacem a Messia domitore, ac bellatore Hominibus redonandam Spiritus esse, non Carnis; (quod alterum præsentis Instituti Caput est) ex hoc primo sponte sua fluere, nemo non videt. Ut enim Belli fructus Pax est, spiritualem ab eo Pacem donari necessum erit, qui non nisi spiritualia Bella gesserit, & spiritualia arma tractarit. Patet id nihilosecius adhuc luculentiùs, & apertiùs ex Aggæi Oraculo *Cap.* 2.; ubi de Templo Salomonis post solutam Captivitatem Babylonicam restituto sub Cyro Persarum Rege sermonem habens loquitur in hæc verba : *Veniet desideratus cunctis Gentibus: & implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum ..... Magna erit gloria domus istius novissimæ plusquam primæ, dicit Dominus exercituum. Et in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.* Quæram etenim a Judæis, num fortè Pax temporalis Templo huic a Zorobabele restituto data fuerit, quod creberrimis Bellis appetitum est ab Antiocho, Pompejo, Cajo, ac tandem post horrendas calamitates funditus a Romanis excisum est? Negabunt profectò, si sapiunt, temporali Pace donatum esse Templum illud : spiritualem itaque Pacem huic duntaxat promissam fuisse fateantur necesse est. Quam scilicet Jesus noster eo in Templo oblatus Æterno Patri Ho-

Hominibus quæsivit Sanguine suo, placato Deo, & Hominibus reconciliato, sedatisque Conscientiæ motibus, qui teterrimum Peccatoribus Bellum inferunt.

Quod ergo Isaiæ *Cap.* 2. de Messiæ temporibus legimus, unde Judæi præsidium petunt: *Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces: non levabit Gens contra Gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium*; Uti & alterum Michææ *Cap.* 4. a Judæis proferri solitum; figuratæ loquendi formulæ sunt, a Prophetis usurpari solitæ, spiritualem Animæ Pacem iis symbolis designantes. Nempe deponendam significavit Avaritiam, Superbiam, Cupiditatem, aliosque pravos Animi motus, unde injusta Bella nascuntur. Qualia ex dominandi libidine Nabucodonosor, Antiochus, Assyrii, Chaldæi, Persæ, Græci, Romani, nondum nato Christo, moverunt. Non quòd sub Messiæ Imperio injusta etiam Bella esse non possint: quot enim experimur in dies? Sed quòd istiusmodi nulla a veris, piisque Christi Fidelibus excitentur; ad quos memoratæ Isaiæ, & Michææ Promissiones diriguntur. Ut enim Bella hæc Christi Lege vetantur; ita qui ex dominandi cupiditate, atque libidine Bella movent, non Christiani verè sunt, sed Pagani.

Se verò longè magis deridendos propinant recentiores Hebræi, qui Pacis temporalis, aureæque, quam fabulantur, ætatis sub Messiæ Imperio rediturae vestigia in brutis etiam Animantibus quærunt, Oseæ, Isaiæ, & Ezechielis Oraculis abusi turpiter. Quasi verò adveniente Messia ferocia Animalia mitibus sociari debuerint, eodem pasci pabulo, eademque caula concludi. Hæc sanè usque adeo inepta sunt, ut nequidem in cucurbitæ caput ventura existimaverim; nisi hæc ipsa a Synagogæ Primoribus jactari propriis ipse auribus audivissem. Has tamen Gregalium suorum ineptias derident, qui aliquanto plus sapiunt, Synagogæ Magistri: Rabbi Samuel, Rabbi David Kimchi, Rabbi Moyses Benmaimon. Ecquis enim non videat, Lupum, Pardum, Ursum, Leonem, feraque id genus Animantia, uti impiarum Gentium simulacra, a Prophetis assumi; Agnum verò, Hædum, Vitulum, mansuetas pecudes, fideles Israelitas adumbrare; quorum summa erit inter Gentes pax, atque tranquillitas Animi, ubi semel in unius Ecclesiæ societatem coaluerint? Barbaras enim Gentes brutorum Animalium simulacris adumbrari, testis est Propheta Joel *Cap.* 1.; ubi Judææ vastationem a Babyloniis, Persis, Græcis, Romanis inferendam prænuntians, Erucæ, Locustæ, Bruchi, & Rubiginis symbola mutuatur: *Residuum*, inquit, *Erucæ comedit Locusta, & residuum Locustæ comedit Bruchus, & residuum Bruchi comedit Rubigo*: hoc est, ut ipsimet Judæi nobiscum interpretantur, reliquias Imperii Babylonici vastavit Persarum Imperium;

reliquias Perfidis vastavit Græcia; reliquias Græciæ vastavit Roma. Testis & Daniel, qui oblatum sibi divinitus *quatuor grandium Bestiarum* visum enarrat *Cap.* 7. eadem illa quatuor Regna designantium : *Hæ quatuor Bestiæ magnæ quatuor sunt Regna, quæ consurgent de Terra.*

Certè si nihil in Propheticis Oraculis exponendis allegoriæ damus, sed mortiferam secuti literam omnia κατὰ λέξιν sumi volumus, ut auream Messiæ ætatem effingamus; non modò deponendam brutorum Animantium feritatem effutiemus; sed etiam complanatum iri Terræ Sola fabulabimur, ut nulli tunc Montes, nullæ Valles existant : dicente scilicet Isaia *Cap.* 40. : *Omnis Vallis exaltabitur, omnis Mons, & Collis humiliabitur, & erunt prava in directa, & aspera in vias planas.* Quin etiam novo absurditatis, ac repugnantiæ genere Flumina plaudentia manibus, Montes, Silvasque Caprarum more saltantes fabulabimur; Regio scilicèt Vate inclamante *Psal.* 97. : *Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt a conspectu Domini, quoniam venit* : & *Psal.* 95.: *Tunc exultabunt omnia ligna silvarum a facie Domini, quoniam venit.* Quæ certè, ut alibi observavimus, præterquam sunt absurdissima, pugnant insuper inter sese; cùm & Montes exultare a conspectu Domini, quod ait Regius Vates, impossibile sit; si nulli tunc Montes, ut loquitur Isaias, futuri sunt, sed Solo æquandi.

Fateantur itaque, velint nolint, miseri Recutiti, aureum illud promissi Messiæ Sæculum, nonnisi figuratè, ac spiritualiter, accipiendum esse : aliàs Figmenta sua jampridem ebibita novis, iisque turpioribus cumulabunt; quibus sese non solùm mente, sed & sensu captos magis, ac magis exhibebunt.



PRÆ-

PRÆLECTIO VII.

Ex turpissima Christi morte, Humanique Generis Sacro suo Sanguine expiatione, Sacrorum Oraculorum Authoritate, verè illum fuisse Messiam adpromissum, evincitur.



Uòd Christum divinis Oraculis prænuntiatum Virum bellatorem, copiarumque ductorem Judæi commenti sint, parum illis visum erat, nisi eundem etiam immortalem effutirent. Ita se Sacris Literis edoctos ajunt, ubi tam sæpe venturi Messiæ perennitas, ejusque Regni æternitas commendatur: *Psalmo* 109.: *Tu es Sacerdos in æternum secundùm Ordinem Melchisedech*: *Psal.* 71.: *Permanebit cum sole, & ante lunam, in generationem, & generationem*: Isaiæ *Cap.*9.: *Multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis: super solium David, & super regnum ejus sedebit: ut confirmet illud, & corroboret in judicio, & justitia, amodò, & usque in sempiternum*: Ezechielis *Cap.* 37.: *David servus meus princeps eorum in perpetuum*: Danielis *Cap.* 7.: *Dedit ei potestatem, & honorem, & regnum: & omnes Populi, Tribus, & Linguæ ipsi servient: potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur: et regnum ejus, quod non corrumpetur*: Michææ *Cap.* 4.: *Regnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc nunc, et usque in æternum*: & alibi sæpius.

Hinc validissimum adversus Jesum nostrum telum cudere arbitrantur; qui cùm morte, & quidem turpissima, sit affectus, Christus a sacris Vatibus prænuntiatus esse non possit. Neque verò Commentum istud ab iis recèns excogitatum æstimare par est: illo enim ipso Jesum quoque viventem, & cum Hominibus conversantem impetierunt, teste Joanne *Cap.* 12. Evangelii. Cùm enim is Christum sese Judæis daret, ac prædicaret, seque tamen Cruci suffigendum, & exaltandum innueret, *Respondit ei turba: nos audivimus ex Lege, quia Christus manet in æternum: & quomodo tu dicis, oportet exaltari Filium hominis? Quis est iste Filius hominis?* Nempe jam tunc Christum a Lege promissum nequaquam moriturum arbitrabantur. Quo fit, ut & fabulæ loco habeant delictorum nostrorum expiationem Christi Sanguine faciendam: tametsi noxas Hominum quodam sensu laturum Christum, illorum Aliqui fateantur; quem idcirco *Virum expiationis* appellant.

Quare, ut hoc etiam oppansum Judæorum oculis telum reducamus,

mus, ne eo fortè præjudicio occupentur, quominus verum Christum agnoscant; duo hæc ostendenda veniunt: Primum; Christum Divinis Oraculis prænuntiatum mortem, & quidem turpissimam, subiturum fuisse, Impiorum circumventione, ac malis artibus: Alterum; eumdem illum noxas Hominum effuso Sanguine expiaturum. Age nunc, rem agamus, & ad positæ Assertionis probationes accedamus.

Messiam ab Impiis morte plectendum adeo luculenter Prophetæ veteres præcinuerunt, ut meridiana in luce cæcutiisse Judæos necesse sit, qui inde contra Christum nostrum Argumentum arripuerunt, quòd sustinendæ mortis genus, Crucis scilicet, obiter innuisset: *Ego*, inquit, *si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum*, Joannis *Cap.* 12.

Daniel in eo percelebri Vaticinio, quo Messiam post certas Hebdomades venturum vaticinatus est *Cap.* 9., eum tandem occidendum disertè significat: *Post Hebdomades*, inquit, *sexaginta duas occidetur Christus.*

Sapiens *Cap.* 2.: Impiorum adversus Christum conatus, & oblocutiones percensens, ita illos eum blasphemantes inducit, ut mortem ei turpissimam inferant: *Tanquam nugaces æstimati sumus ab illo, & abstinet se a viis nostris tanquam ab immunditiis, et præfert novissima justorum, et gloriatur, patrem se habere Deum. Videamus ergo, si sermones illius veri sint, et tentemus, quæ ventura sunt illi, et sciemus, quæ erunt novissima illius. Si enim est verus filius Dei, suscipiet illum, et liberabit illum de manibus contrariorum. Contumelia, et tormento interrogemus eum, ut sciamus reverentiam ejus, et probemus patientiam illius. Morte turpissima condemnemus eum.* Quo nihil disertius, nihil apertius.

Isaias Christi in subeunda morte mansuetudinem commendans, eundem profectò moriturum pro certo ponit *Cap.* 53.: *Oblatus est, quia ipse voluit, et non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obtumescet, et non aperiet os suum. De angustia, et de judicio sublatus est: generationem ejus quis enarrabit? Quia abscissus est de terra viventium: propter scelus Populi mei percussi eum.* Quo Oraculo disertissimo Eunuchum Reginæ Candacis ad Christi Fidem vocatum scribit Lucas, dum ejus illi sensum Philippus aperuit, *Actorum Cap.* 8.

Non absimiliter Jeremias *Cap.* 11.: *Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam: et non cognovi, quia cogitaverunt super me consilia dicentes: mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium, et nomen ejus non memoretur ampliùs.*

Omnibus verò explicatiùs Zacharias *Cap.* 12., ubi Deum ita loquen-

quentem inducit : *Effundam super domum David, & super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ, & precum: & aspicient ad me, quem confixerunt : et plangent eum planctu, quasi super unigenitum, & dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti.*

Quis ergo Judæos ferat tam temere, tamque audacter effutientes, Christum a Lege promissum nequaquam fuisse moriturum : eaque de caussa Jesum nostrum pro vero Christo, atque Messia promisso haberi non posse, quòd is morte, eaque turpissima, sit affectus? Cùm contra, hoc ipsum Prophetæ veteres præcinuerint fore, ut Christus turpissimam mortem obiret.

At nec id satis. Nedum moriturum Messiam Sacri Vates cecinere; verùm etiam mortis genus, quo Nazarenus noster affectus est, omniaque oppetitæ mortis Adjuncta, & Circumstantias adeo distinctè, & explicatè notarunt, ac retulerunt, ut illum ipsum exerto digito demonstrasse, nec tam Prophetias, quàm Evangelium adornasse videantur.

Quid etenim? Jesu nostro capiendo, tenendo, ducendoque ad mortem prælusit Principum Sacerdotum, Seniorumque Consilium; de quo Matthæus *Cap. 26. : Tunc Congregati sunt Principes Sacerdotum, & Seniores Populi in atrium Principis Sacerdotum, qui dicebatur Caiphas: & consilium fecerunt, ut Jesum dolo tenerent, & occiderent.* Et hoc ipsum David vaticinatus est *Psal. 2. : Astiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adversus Dominum, & adversus Christum ejus.* Figuratè verò *Psal. 21. : Circumdederunt me Vituli multi: Tauri pingues obsederunt me. Aperuerunt super me os suum, sicut Leo rapiens, & rugiens....... Quoniam circumdederunt me Canes multi: Consilium malignantium obsedit me.*

Jesus noster venditur triginta Argenteis, ejusque venditionis pretio projecto Ager figulinus emitur. Et hoc prænuntiatum est a Zacharia *Cap. 11. : Appenderunt mercedem meam triginta Argenteos. Et dixit Dominus ad me: proiice illud ad Statuarium, decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis. Et tuli triginta argenteos : & projeci illos in domum Domini ad Statuarium.* Similiter ab Amos *Cap. 2. : Hæc dicit Dominus : super tribus sceleribus Israel, & super quatuor non convertam eum: pro eo quod vendiderit pro argento Justum, & pauperem pro calceamentis* : Hoc est, vili pretio.

Jesus a Judæis captus est. Prædictum hoc etiam a Jeremia *Trenorum Cap. 4. : Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris.*

Jesus noster conspuitur, & in faciem cæditur. Præcinuerunt & id Prophetæ non pauci : Isaias *Cap. 50. : Corpus meum dedi percu-*

cutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus, & conspuentibus in me: Jeremias *Threnorum Cap.* 3.: *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis:* Michææ *Cap.* 5.: *In virga percutient maxillam Judicis Israel:* Quo titulo non alium, nisi Christum, intellectum voluit; de quo Isaiæ *Cap.* 33. dicitur: *Dominus enim Judex noster, Dominus Legifer noster, Dominus Rex noster: ipse salvabit nos.*

Jesus noster flagellis cæditur. Et id a Davide prædictum *Psal.* 34.: *Adversum me lætati sunt, et convenerunt: congregata sunt super me flagella, et ignoravi: Psalmo* 37.: *Quoniam ego in flagella paratus sum: et dolor meus in conspectu meo semper: Psalmo* 72.: *fui flagellatus tota die, et castigatio mea in matutinis.*

Jesus noster iniquè a falsis Testibus accusatur. Prænuntiavit & hoc Regius Vates *Psal.* 34.: *Surgentes Testes iniqui, quæ ignorabam, interrogabant me: Psalm.* 37.: *Qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates: et dolos tota die meditabantur: Psalm.* 26.: *Insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi.*

Jesum ad Montem Calvariæ procedentem, & Cruci, quam gestabat, suffigendum plaudentium, & lamentantium Turba comitatur. Præcinuit hoc Zacharias *Cap.* 12.: *Effundam super domum David, et super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ, et precum: et aspicient ad me, quem confixerunt. Et plangent eum planctu, quasi super unigenitum, et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti.*

Jesus noster Ligno Crucis suspenditur, pedibus, manibusque confossis. Ita plane prædictum a multis: Ab Jeremia *Cap.* 11.: *Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam: et non cognovi, quia cogitaverunt supra me consilia dicentes: mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium.* A Davide *Psal.* 21.: *Foderunt manus meas, et pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea:* A Zacharia *Cap.* 13.: *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet: his plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.*

Jesus unà cum Latronibus Cruci suffigitur, & pro suis Tortoribus Deum rogat. Sic sanè Isaiæ *Cap.* 53.: *Cum sceleratis reputatus est: et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit.*

Jesu nostri de Cruce pendentis vestimenta partiuntur sibi Milites; in Tunicam inconsutilem mittunt sortem. Ita Plane *Psalmo* 21.: *Ipsi verò consideraverunt, et inspexerunt me: diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.*

Jesus in Cruce sitiens felle, & aceto potatur. Ita Psalmo 68.: *Dederunt in escam meam fel: & in siti mea potaverunt me aceto:*

ro : Et Jeremiæ *Threnorum Cap.* 3. *Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absynthio*. v. 19. : *Recordare paupertatis meæ, & transgressionis meæ absynthii, & fellis*.

Jesus Noster in Cruce pendulus irridetur a Prætereuntibus capita sua moventibus, ac tolerata etiam supplicia exprobrantibus. Est & id apud Davidem *Psalmo* 21. : *Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis. Omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labiis, & moverunt Caput : speravit in Domino, eripiat eum ; salvum faciat eum, quoniam vult eum*. Quæ plane iisdem ferme verbis Christo probra jaciebant Principes Sacerdotum cum Scribis, & Senioribus : *Alios salvos fecit, se ipsum non potest salvum facere : si Rex Israel est, descendat nunc de Cruce, & credimus ei : confidit in Deo, liberet nunc, si vult eum ; dixit enim, quia filius Dei sum* Matth. *Cap.* 27. : Iterum *Psal.* 88. : *Exprobraverunt inimici tui Domine, exprobraverunt commutationem Christi tui* : Item Psal. 108. : *Ego factus sum opprobrium illis : viderunt me, & moverunt capita sua*. Quæ omnes Impiorum in Christum de Cruce pendentem derisiones, & probra distinctiùs prænuntiantur laudato supra *Sapientiæ* loco, *Cap.* 2.

Jesu tandem moriente Sol obscuratur, tenebrescit dies, Terra movetur in signum doloris, & luctus. Neque id a Prophetis silentio missum : Amos *Cap.* 8. : *Nunquid super isto non commovebitur Terra, & lugebit omnis habitator ejus? .... Et erit in die illa, dicit Dominus Deus : occidet Sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis : & convertam festivitates vestras in luctum, & omnia cantica vestra in planctum*. Joel *Cap.* 2. : *A facie ejus contremuit Terra, moti sunt Cœli : Sol, & Luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum*.

Cùm ergo & Messiam moriturum Prophetæ dixerint, & mortis a Jesu nostro oppetitæ circumstantias tam multas, tam singulares, quæque in alium neminem cadant, minutatim, atque distinctè notarint ; tantum abest, ut ei Messiæ titulum propterea derogare Judæi possint, quòd mortem obierit ; ut potius non alium ab eo agnoscere, atque excipere cogantur ; quem intento veluti digito Prophetæ veteres præmonstrarunt.

Unam fortè Judæi evadendi sibi viam aperient, si dixerint : quæ hactenus magno numero prolata sunt Prophetarum Oracula, queis Christus patiens moriensque præsignatus est, de Christo, illiusque morte non esse propheticè dicta ; etsi casu duntaxat, atque fortuito in illo exitum habuisse videantur. At nec illâ quidem evadent viâ, nisi duo hæc simul ostenderint : primum, de quo alio propheticè dicta sint ; alterum, in quo alio exitum obtinuerint : quæ tamen, quantumlibet Ingenium torqueant, nunquam ostendent. Ac

de Davide quidem plana res est, illum non de se ipso, sed de altero quopiam dixisse propheticè, quæ ex ipsius Psalmis hactenus recitavimus; etsi illatas sibi injurias narrasse videatur. Quandonam enim aut flagellis cœsus est David, aut ab iniquis Testibus accusatus, aut pedes manusque confossus, aut cum sceleratis reputatus, aut felle, & aceto potatus, aut ejus demum vestimenta inter Prædatores divisa sunt, aut sortitione illis sunt attributa? De Christo itaque certissimè dixit Propheta Regius, cujus & ipse typus erat, cui & ipsum Davidis nomen Sacris in Literis sæpius attribuitur. De Salomone, Isaia, Jeremia, Zacharia, Michæa, & Amoso nil minùs certum, illos de Christo perinde dixisse propheticè; seu quòd res narrent, quæ in illos ipsos minimè cadant; seu quòd Christum ipsum, cui eventura erant, ex ipsius nomine nonnunquam appellent; seu quòd Deum ipsum, qui hæc a Judæis in assumpta Natura passurus esset, loquentem inducant. Neminem autem unquam inventum esse, in quo quæcumque ex laudatis Vatibus recitata sunt exitum habuerint, usque adeo notum est, ut ne Judæos quidem, tametsi obstinatè refractarios, inficiaturos putem.

Nonnulla potius, quantùm conjicio, ex prolatis Vaticiniis cavillabuntur, quæ de Christo minimè dicta contendent, ac longè aliò referenda volent. Et quidem in Amosi Oraculo nodum quærunt illorum Aliqui: *Super tribus sceleribus Israel, & super quatuor non convertam eum: pro eo, quòd vendiderit pro argento justum*, *Cap.* 2. Quod de futura Christi venditione (cujus caussa sine ulla spe veniæ Israelem repulerit Deus) propheticè dictum inficiantur, sed de Josephi venditione historicè dictum volunt. Ineptè tamen, & contra Facti notitiam. Non enim Josephi venditio quartum Israelis scelus numeratur, sed primum: neque illius caussa absque conversionis spe repulsus est Israel, sed charus etiam Deo subinde fuit. Hoc etenim ordine Israelis scelera recensentur juxta Sacrarum Scripturarum Fidem; ut primo loco Josephi venditio ponatur; secundo, adoratio Vituli in Oreb; tertio, occisio Prophetarum; quibus tamen venia data est; quarto, venturi Christi venditio omni conversionis, & veniæ spe Israelitis prorsus adempta.

Vitiligant Alii longè plures Versionis Vulgatæ lectionem ad *Psalmum* 21. *v.* 17.: *foderunt manus meas, & pedes meos*; additisque pro arbitrio punctis hebraicis, non utique *foderunt* ex hebraico vocabulo *Charù* legi volunt, ne tam patenti Vaticinio convincantur; sed *sicut Leo* ex vocabulo *Chaari* legi malunt; ex quo nullus plane sensus elicitur. Quid etenim sibi vult, *sicut Leo manus meas, & pedes meos*? Cùm præsertim,

tim, quæ sequuntur, minimè congruant, *& dinumeraverunt omnia ossa mea*; quæ tam bellè cum priori Vulgatæ Lectionis parte consentiunt. Sed & audacibus Interpolatoribus ora verberant septuaginta Interpretes, qui *Charù* non *Chaari* in hebraico Textu legerunt; *foderuntque*, non *sicut leo* verterunt: ita quippè adamussim reddidere ὤρυξάν με πόδας καὶ χεῖρας, *foderunt pedes meos, & manus*.

Cavillantur pari audacia allatum supra Oraculum Jeremiæ *Thren. Cap. 4. v. 20.: Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris*. Quod non de Christo promisso, seu Messia dictum existimant, sed de Josia Rege, qui non pro suis, sed pro Populi peccatis a Nechaone Rege Ægypti occisus est. Verùm Cavillatoribus refractariis genuinum infringit Paraphrastes Caldæus, missis circuitionibus, & ambagibus vertens *Rex Messias captus est*: infringit & ipse Textus Hebraicus, qui loco vocabuli *Dominus*, Dei nomen Tetragrammaton ponit, *Jehova* scilicet, nulli plane aut appropriatione, aut accommodatione conveniens, sed ei soli, qui Naturâ ipsâ suâ Deus est.

Nugantur demum in Regii Vatis Dicto *Psal. 72. v. 14.: fui flagellatus tota die*; quasi de Christo nostro nequeat intelligi; qui non tota die, sed media vix hora de mane flagellatus est. At non advertunt, si nugis illis est locus, neminem omnino fore, in quem Regii Vatis verba cadere possint; cùm nemo unquam die tota, & integra flagellatus inveniatur. Horum ergo verborum duplex est sensus: primus, ut flagellorum nomine non verbera duntàxat intelligantur, sed quæcumque tormenta, quæcumque supplicia, quæcumque pœnæ per totam illam diem toleratæ, quæ a matutina castigatione, seu verberatione initium habuere: qua de caussa sit dictum, *fui flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis*. Alter sensus est, ut Christus flagellatus sit tota die; quòd flagellorum, verberumque dolorem senserit tota die; ob illorum nimirum acerbitatem, illatasque sibi plagas atrocissimas; tametsi mediam duntaxat horam de mane flagellatio tenuisset.

Stant itaque undecumque, omnique ex Capite invictæ probationes, quibus primam statutæ Assertionis partem ostendimus; promissum Sacris Oraculis Christum mortem, eamque turpissimam fuisse subiturum. De cætero eundem illum noxas Hominum proprio Sanguine expiaturum fuisse, (quod membrum statutæ Assertionis est alterum) ex superiori demonstrato Capite consectarium arbitror. Cùm id non ob aliud Judæi inficientur, quàm quòd Messiam nequaquam moriturum existiment. Unicum ad Caussæ cumulum addam Isaiæ Oraculum *Cap. 53.*; quod alio-


H ij rum

rum bene plurium inftar erit : *Verè languores noftros ipfe tulit, & dolores noftros ipfe portavit : Et nos putavimus eum quafi leprofum, & percuffum a Deo, & humiliatum. Ipfe autem vulneratus eft propter iniquitates noftras, attritus eft propter fcelera noftra : difciplina pacis noftræ fuper eum, & livore ejus fanati fumus. Omnes nos quafi oves erravimus, unufquifque in viam fuam declinavit : & pofuit Dominus in eo iniquitatem omnium noftrum .... Propter fcelus Populi mei percuffi eum.* Quod ad præfens Inftitutum fatis fuperque eft.

Nec quenquam movere poteft decantata toties Judæorum cantilena, qua Chrifti Regni perennitatem oftentant, ut eum nunquam moriturum evincant. Imò idcirco moriturum fuiffe dicimus, ut Regnum æternum, atque cœlefte adipifceretur. Cùm etenim Meffiæ Regnum toties a Prophetis defcriptum, ac prænuntiatum, non terrenum, fed fpirituale omnino fit ; non hujus Mundi, fed alterius ; mori illum neceffe fuit, ut obitæ mortis merito Regnum æternum obtineret, Hominibufque Sanguine fuo quæfitis, atque redemtis in omne ævum dominaretur : *In hoc enim Chriftus mortuus eft, & refurrexit, ut & vivorum, & mortuorum dominetur, ad Rom. Cap. 14. : Nonne hæc oportuit pati Chriftum, & ita intrare in gloriam fuam?* Lucæ *Cap.* 24.

Qua parte Judæi deluduntur turpiter, feque fupinos, ac cœcos Scripturarum Interpretes produnt, dum Meffiæ Regnum, de quo toties mentionem ingerunt Sacri Codices, aut mundanum, hujufque fæculi, aut aliter, quàm obitæ mortis merito ei datum arbitrantur. Supinam cœcitatem caftigant laudata Prophetarum Oracula. Hinc Ifaias *Cap.* 53. Chrifto dominatum, atque triumphum, nonnifi in meritum mortis oppetitæ, adjudicat: *Ideo difpertiam ei plurimos, & fortium dividet fpolia, pro eo, quòd tradidit in mortem animam fuam.* Hinc idem ille Evangelicus Vates promiffum Meffiam, non præfentis, fed futuri fæculi Patrem appellat ; ejufque Principatum, nonnifi ex Cruce ipfa, quam humeris geftaturus erat, derivavit *Cap.* 9. : *Parvulus enim natus eft nobis, & filius datus eft nobis ; & factus eft Principatus fuper humerum ejus, & vocabitur nomen ejus Admirabilis, Confiliarius, Deus, fortis, Pater futuri fæculi, Princeps pacis.* Hinc & Propheta Regius Chriftum Gentium, Populorumque Caput conftitutum monet non ob aliud, quàm ob toleratam contradictionem, & reprobationem ab Impiis, *Pfal.* 17. : *Eripies me de contradictionibus Populi : conftitues me in caput Gentium : Pfal.* 117. : *Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eft in caput anguli.* Sed eft illa Judæorum denfa cœcitas, ut quoties de Regno æterno audiunt,

diunt, nonnisi terrenum intelligant: quoties de Davidis Solio in ævum possidendo, & instaurando legunt, nil nisi mundanum cogitent, externo mortiferæ literæ sensui duntaxat hærentes. Adeo scilicet juxtà Isaiæ Pronuntiatum *Cap.6.*, *Excæcatum est cor Populi hujus*; bonisque terrenis, ac perituris duntaxat inhiat more pecudum, quibus nulla futuræ, supernæque Vitæ spes est: *Incrassatum est enim cor Populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos suos compresserunt; ne fortè videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur, & sanem eos: Actorum Cap.28.*



PRÆ-

PRÆLECTIO VIII.

Messiam Sacris Oraculis præmonstratum, non purum futurum Hominem, sed Hominem Deum cum Hominibus conversantem, ostenditur.



Irum fortè videri queat, Judæos, qui in reddenda promissi sibi Liberatoris imagine audaci adeo, liberoque usi sunt penicillo, ut illum contra quod veritas habet, Gentium domitorem, bellicosum, Copiarum ductorem, ac prorsus immortalem effingerent; eundem tamen, (quod verissimum erat) Deum verum factum Hominem, & cum Hominibus conversantem nec leviter expressisse. Nihil tamen est, quod miremur, si alterum, quo tenentur, Errorem attendimus. Fecit hoc enim fatalis illa, qua jamdudum laborant, Mysterii Trinitatis ignoratio. Cùm enim promissum sibi Messiam, Liberatoremque a Deo mittendum ubique legerint; Deum autem uti Natura, ita & Persona unum, non trinum agnoscant; necessaria consecutione factum est, ut Messiam illum suum, non Deum, a quo mitti debuit, sed alterum a Deo sibi fingerent. Cùm contra, si Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero, ut Catholica Fides habet, genitum agnovissent, Deum a Deo in assumpta Hominis Natura mitti posse, de facili comperissent. Ut igitur hunc illis scrupulum eximamus, nobilissimamque adumbrati Messiæ Notam, ex qua maximè dignosci debeat, præfigamus, ac definiamus, illud nunc, quod rei Caput est, ex veteris Testamenti Oraculis ostendere aggredimur: Messiam, tametsi mittendum a Deo, Deum tamen & ipsum esse debuisse, in assumpta Hominis Natura cum Hominibus conversantem. Unde & hoc alterum Judæi simul intelligent; Deum, tametsi individua Naturâ, non ideo tamen Personâ unum esse; sed, Deum de Deo, ex ipsa æternitate, Mente genitum; ut & hoc pacto a Genitore Genitum mitti in assumpta Natura, ac etiam in tempore, nihil vetet, nihil repugnet.

In eo Sacrorum Oraculorum genere limpidissimum, disertissimumque illud mihi semper visum est, quod legitur in *Libro* Baruch; qui tametsi hebraicè modo non extet, hebraicam tamen originem refert; *Cap.* 3.: *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius adversus eum. Hic adinvenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Jacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum Hominibus conversatus est.* De vero etenim

nim illic Deo sermonem fieri, ne Judæos quidem arbitror negaturos: de suo, inquam, Deo, quem coluerunt, & adorarunt, a quo & disciplinæ Legem acceperunt. Is autem, si Barucho, Jeremiæ Scribæ, & Amanuensi fides est, in terris visus est, & cum Hominibus conversatus est. Quod sanè aut nunquam, aut in Christi promissi Persona exitum habuit. Deus igitur ille fuit, & in Terris visus, & cum Hominibus conversatus.

Reponent illi fortè, Deum ex Baruchi Vaticinio in Terris videndum fuisse, & cum Hominibus conversaturum, non Persona propria Naturæ nostræ substantialiter unita, atque ita Hominum oculis conspicua; sed sola miraculorum, & prodigiorum patratione, quæ in electi Populi beneficium editurus erat. At si non alio pacto Deus videndus fuisset in Terris, nihil singulare, ac peculiare in futurum tempus promisisset Baruchus, ut diceret, *post hæc in terris visus est*; cùm tot, tantaque portenta, atque prodigia in tradenda Disciplinæ Lege diu ante edidisset. Ut sileam, Deum, quòd in Hominum beneficium prodigia patret, non idcirco censeri cum Hominibus conversari; nisi quandam nobiscum in Natura communionem, & societatem habeat. Accedit, quòd patrationem miraculorum Prophetæ quandoque notent tanquam quid consectarium, ac veluti fructum Dei ipsius ad nos venientis: Isaiæ *Cap.* 35.: *Deus ipse veniet, & salvabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut Cervus Claudus, & aperta erit lingua Mutorum.* Et Cap. 25: *Ecce Deus noster iste, expectavimus eum, & salvabit nos: Iste Dominus, sustinuimus eum, exultabimus, & lætabimur in salutari ejus. Quia requiescet manus Domini in monte isto: & trituratibur Moab sub eo, sicut teruntur paleæ in plaustro. Et extendet manus suas sub eo, sicut extendit natans ad natandum: & humiliabit gloriam ejus cum allisione manuum ejus.* Non igitur eatenus ad nos Deus ipse venisse censendus est, non eatenus a nobis est visus, ac nobiscum est conversatus, quòd ejus nomine, atque virtute ingentia sint patrata miracula; sed quòd præsens ipse, nobisque in Humana Natura sibi unita conspicuus miracula illa patrarit, nostramque Salutem sit operatus.

Pari ad præsens Institutum nostrum vi, ac potestate est Isaiæ Vaticinium *Cap.* 48, & sequentibus, si penitius expendatur, & primis ultima conferantur: *Audi me Jacob, & Israel, quem ego voco: Ego ipse, ego primus, & ego novissimus. Manus quoque mea fundavit terram, & dextera mea mensa est Cælos . . . . . . Accedite ad me, & audite hoc: non a principio in abscondito locutus sum: ex tempore, antequam fieret, ibi eram: & nunc Dominus meus misit me, & Spiritus ejus. Hæc dicit Dominus Redem-*

demptor tuus sanctus Israel : Ego Dominus Deus tuus docens te utilia, gubernans te in via, qua ambulas. En tibi Deum verum, Finem utique, atque Principium rerum omnium, Cœli, & Terræ Conditorem, qui se a Domino suo missum dicit in Salutem, & Redemptionem Israelis. Deum ergo de Deo fateri necesse est, Deum verum de Deo vero, ad Salutem Hominum missum, ut in assumpta Natura Israelem redimeret. Quis ille porro, nisi Messias Israeli, ac per Israelem Mundo promissus?

In eundem plane sensum *Cap.* 45 *: Hæc dicit Dominus : Labor Ægypti, & negotiatio Æthiopiæ, & Sabaim viri sublimes ad te transibunt, et tui erunt : Post te ambulabunt, vincti manicis pergent : et te adorabunt, teque deprecabuntur : Tantùm in te est Deus, et non est absque te Deus. Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator.* Et hic quoque qui loquitur, verus Deus est : *Hæc dicit Dominus* : neque enim alium ea formula loquentem inducunt Prophetæ. Is itidem, quem alloquitur, perinde verus est Deus in Israelis Salutem missus *: Deus,* inquam, *absconditus,* a nobis exorandus, & adorandus; absque quo non est Deus; hoc est, qui solus est Deus, ex trita loquendi formula superiori *Capite* usurpata *v. 6. : Hæc dicit Dominus Rex Israel, et Redemptor ejus, Dominus exercituum : ego primus, et ego novissimus, et absque me non est Deus.* Qui igitur in Salutem Israelis venturus erat, Deus verus est a Deo vero missus; cum quo tamen unus, ac solus est Deus, unitate nempe Naturæ, etsi Personâ ab eo distinctus.

Nec absimiliter Zachariæ *Cap.* 2., & sequentibus, Dominus exercituum sese a Domino exercituum missum dicit bis, ac etiam tertiò : missum autem etiam ad Gentes, ut & illæ ad Deum converterentur, ejusque tunc demum Populus fierent : *Hæc dicit Dominus exercituum : post gloriam misit me ad Gentes, quæ spoliaverunt vos : qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei : Quia ecce ego levo manum meam super eos, et erunt prædæ his, qui serviebant sibi : et cognoscetis quia Dominus exercituum misit me. Lauda, et lætare filia Sion : quia ecce ego venio, et habitabo in medio tui, ait Dominus. Et applicabuntur Gentes multæ ad Dominum in die illa, et erunt mihi in Populum, et habitabo in medio tui, et scies quia Dominus exercituum misit me ad te.* Quis non hìc Deum verum a Deo vero missum intelligat; Messiam Deum a Deo Patre; cum quo tamen Naturâ unus est Deus, etsi Personâ distinctus ab eo? Observatio est Augustini *Lib.* 20. *de Civitate Dei. Cap.* 30. *: Ecce dicit Dominus Omnipotens a Domino Omnipotente se missum. Quis hìc audeat intelligere, nisi Christum loquentem?* Quod idem ex altero paris formæ Oraculo intulerant

Pa-

Patres Concilii Sirmiensis, ex *Genesis* scilicet Dicto *Cap.* 19. : *Dominus pluit super Sodomam, & Gomorrham sulphur, & ignem a Domino de Cœlo.* Ita quippe *Anathematismo* 16. pronuntiant laudati Patres, ut est apud Hilarium *Libro de Synodis* : *Si quis*, pluit Dominus a Domino, *non de Filio, & Patre intelligat, sed ipsum Filium a se dicat pluisse, anathema sit. Pluit enim Dominus Filius a Domino Patre.*

Confirmat ista vel maximè, quòd promisso Messiæ tributas Divinitatis Prærogativas legamus, Characteres, ac Titulos iis ipsis Scripturæ Locis, quos de Messia scriptos Judæorum Vulgus agnoscit; ut perennitatem *Psalmo* 71. : *Permanebit cum Sole, & ante Lunam, in generatione, & generationem* : Totius Mundi dominatum *v.* 8. : *Dominabitur a mari usque ad mare : & a flumine usque ad terminos Orbis Terrarum* : Adorationis cultum eidem a Regibus exhibendum *v.* 11. : *Adorabunt eum omnes Reges Terræ, omnes Gentes servient ei* : Miserorum liberationem per ipsum afferendam *v.* 13. : *Parcet pauperi, & inopi : & animas pauperum salvas faciet. Ex usuris & iniquitate redimet animas eorum*: Benedictionem Gentibus omnibus largiendam *v.* 17. : *Benedicentur in ipso omnes Tribus Terræ : omnes Gentes magnificabunt eum:* Nomen ejus in æternum benedicendum *ibi* : *Sit nomen ejus benedictum in sæcula: ante Solem permanet nomen ejus*; & *v.* 19.: *Benedictum nomen majestatis ejus in æternum, & replebitur majestate ejus omnis terra* : Æternitatem demum Michææ *Cap.* 5. : *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda : ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel : & egressus ejus ab initio a diebus æternitatis.* Futile quippe est, quod nonnulli Rabbini reponunt, Messiam ex æternitate esse oportere in Mente Divina duntaxat, non in se ipso. Nihil enim peculiare, ac singulare haberet eo ex Capite; cùm ex æternitate in Mente Divina sint quæcumque Creaturæ, ex ipsarum etiam conditione vilissimæ.

Nec modò Divinitatis Prærogativas, ac Notas promisso Christo tributas legimus; sed & distinctum Dei Nomen eidem assertum Isaiæ *Cap.* 9. : *Parvulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus : Et vocabitur Nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.* Ingentis enim audaciæ est Dei Nomen in eo Isaiæ Oraculo expunctum velle, quod & Textus hebraicus, & Chaldaicæ Paraphrases, & Versiones Syriaca, & Arabica constantissimè retinent.

Sed nec qualecunque Dei Nomen Messiæ tributum legimus; sed sacrum & ineffabile Tetragrammaton *Jehova*; quod nulli plane Creaturæ, quantumlibet præcellenti, per figuram, & transla-

tionem accommodari potest; sed huic uni designando consecratur, qui solus Naturâ suâ verus est Deus. Videas id in Jeremia *Cap.* 23. *: Ecce dies veniunt, dicit Dominus : & suscitabo David germen justum : & regnabit Rex, & sapiens erit : & faciet judicium, & justitiam in terra.* Quod certè de venturo Messia dictum, ne Judæi quidem inficiantur. Tum sequitur e vestigio : *In diebus illis salvabitur Juda, & Israel habitabit confidenter : & hoc est Nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster.* In hebræo verò pro *Dominus* est Nomen *Jebova* : uti & *Cap.* 33., & sequentibus, ubi eadem Sententia paucis immutatis recitatur : *Ecce dies veniunt, dicit Dominus : & suscitabo verbum bonum, quod locutus sum ad domum Israel, & ad domum Juda. In diebus illis, & in tempore illo germinare faciam David germen justitiæ : & faciet judicium, & justitiam in terra. In diebus illis salvabitur Juda, & Jerusalem habitabit confidenter : & hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster :* apposito perinde Nomine *Jebova*, loco *Dominus*, in Textus hebraico; ut promissus Messias, venturusque Salvator veri, propriique nominis Deus intelligatur.

Non me fugit, quantùm Judæorum oculos urat illa tam elegans, tamque distincta Dei appellatio promisso Messiæ tributa, ac per Nomen etiam Tetragrammaton *Jebova*, quod de nullo plane, nisi de vero Deo, figuratè dicitur. Idcirco illorum Aliqui Aquilam, Symmachum, Theodotionem Semichristianos Judaizantes secuti, Dei Titulum ex Isaiæ Oraculo audacter expungunt. At, ut diximus, audaces Interpolatores falsi convincunt Textus hebraicus, Paraphrastæ Chaldæi, Versiones Syriaca, & Arabica, Dei Nomen, ac Titulum referentes. Alii in geminum Jeremiæ Contextum petulantiùs grassantur; iique duplici ordine distinguuntur. Alii enim legi nolunt *hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster*; quo significatur, Christum venturum a suis Fidelibus vocatum iri Dominum justum nostrum, seu Dominum justificantem nos; sed, violato pro nutu sacro Textu, legi malunt *; hoc est nomen, quo vocabit eum Dominus, Justus noster*; quasi Messias vocandus sit a Domino *Justus noster*; non ipse tamen Dominus Deus sit. Verùm reclamant Hebraici Codices punctis, & apicibus Massoreticis illustrati, Paraphrases Chaldaicæ, Versiones Syriaca, & Arabica, verbum plurali numero *vocabunt*, non singulari *vocabit* referentes, ut plane Fideles vocaturos, non vocaturum Dominum notent. Ut mittam, Deum, si *justi* Nomine Messiam vocaturus erat, non utique dicturum *Justus noster*, seu justificans nos *;* sed potius *Justus vester*, seu justificans vos; cùm is non Deum, sed Populum justificaturus esset. Idcirco Cæteri, eo relicto Suffugio, cùm Messiam Dominum justum nostrum

ipso

ipso nomine *Jehova* nuncupatum hoc loco videant, eò se recipiunt, ut dicant, ipsum quoque Tetragrammaton nomen *Jehova* non per proprietatem quidem, sed per translationem Creaturis quandoque tribui Sacris in Literis; ut *Genes.* 22. Mons, super quem Abraham Sacrificium obtulit, dictus est *Dominus videt*, usurpato perinde nomine *Jehova*, loco *Dominus*; quòd illic vidisset Deus, probassetque Abrahæ obedientiam: *Exodi* 17. Altare constructum a Moyse ab eodem dictum est *Dominus exaltatio mea*, usurpato nomine *Jehova*; quòd ibi Deus Moysen exaltasset, concessâ illic victoriâ de Amalecho: Ezechielis *Cap.* 48. Hierosolyma dicitur *Dominus ibidem*, per vocabulum *Jehova*. Aberrant nihilominus isti toto ostio; nec suis illis Exemplis quidquam evincunt. Nec enim Mons, nec Altare, nec Hierosolyma, *Jehova*, seu Dominus absolutè dicuntur; sed addito ubique vocabulo aliquo exercitam illic operationem significante; nempe *Dominus videt*, *Dominus exaltatio mea*, *Dominus ibidem*. Quare non ipsam Dei Essentiam, atque Naturam illis rebus convenientem significat nomen *Jehova*; sed Divinam tantùm Operationem, atque Virtutem iis in rebus elucentem. At in laudatis Jeremiæ Locis Messias *Jehova justus noster* simpliciter dicitur; quo quidem Dei Natura, atque Essentia, uti Messiæ propria, denotatur. Maximè cùm Messias Persona quædam sit, quæ hujus appellationis capax esse potest; cætera laudatis Exemplis allata inanimata prorsus, in quæ Dei Nomen simpliciter, & absolutè sumtum cadere non posse, nemo non videt. Quare non modò Deus in Christo, ac per Christum justificat nos; sed ipsemet Deus est *Justitia nostra*, ut habet Textus hebraicus, hoc est, Author Justitiæ nostræ.

Non est tamen dissimulandum, non deesse eruditos Interpretes, ac etiam summè Catholicos, qui ad secundum Jeremiæ Locum mendum irrepsisse putent in Vulgata Versione, ac pro *vocabunt eum*, legi velint, *vocabit eam*; ita quidem ut sensus sit, quòd *Dominus justus noster* Civitatem illam vocabit nomine Jerusalem. Et sanè generis fœminini pronomen unâ cum verbo in numero singulari *vocabit* referunt Exemplaria Latina bene multa (ut notatur in margine ad eundem Prophetæ Locum in Bibliis antiquioribus) & ipse etiam hebraicus Textus hodiernus.

Verùm vitiatum ab Judæis interpolatoribus Textum illum, ne tam patenti Oraculo premerentur a Christianis, pluribus Momentis evinco. Primò, quia Septuaginta Interpretes, quos certè hebraicæ Linguæ peritissimos fuisse, nemo unquam inficiabitur, ita græcè verterunt, ut habet Vulgata: *hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster*: ut observavit Lyranus. Secundò, quòd idipsum vertunt & Paraphrastæ Chaldæi; nempe, *& hoc est nomen,*

 quod

quod ipsi dicent ei : quod quidem in idem recidit. Tertiò, quia eo pari modo legitur etiam in Versione Syriaca. Quartò, quia, si legendum esset, ut contendunt Hebræi, *vocabit eam*, nominis appellatio caderet in Jerusalem, quam Dominus eo nomine foret nuncupaturus : at verò Jeremiæ temporibus, imò pluribus in antecessum Sæculis, eo nomine jam vocabatur Civitas illa, ut nescit nemo : Quid itaque eo nomine a Deo vocanda fuisset imposterum? Quintò, quia impropria prorsus, & supervacanea in ea Hypothesi esset additio illa *justus noster*, seu *justitia nostra*, vel *justificans nos*, ut vertunt Interpretes : potiori etenim jure scribere debuisset Propheta Sanctissimus *justus ejus*, seu *justificans eam*, si de Jerusalem Dictum illud intelligi voluisset. Tandem haud levem ingerit suspicionem, vitiatum fuisse in hebraico Textu Locum illum, *Versiculus Sextus Capitis* 23.; ubi tam pronomen masculini generis, quàm verbum plurali numero usurpatum legimus in ipso etiam hebraico Textu : *& hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster* : quæ profectò nuda est repetitio *Versiculi 16. Capitis* 33., de quo modò Controversia agitatur. Quibus omnibus addiderim ego observationem minimè pœnitendam, quam Vir hebraicæ Linguæ satis peritus, ac omnimoda Eruditione excultus, non ita pridem mihi subministravit : nimirum, in veteri hebraico Textu, qui punctis Massoreticis caret (quæ longè post Jeremiæ tempora sunt adinventa) perinde legi posse *vocabit*, ac *vocabitur*; cùm literæ, quibus Futurum illud in tertia persona conflatur, non minùs passivam, quàm activam reddant significationem, solisque punctis variè notatis de una transeat in alteram, activè *ikrà*, passivè *ikarè*. Quo fit, ut ex punctorum positione perperam facta, quod passivæ fortè significationis in originali Textu verbum erat, in activam transierit. Porro, si passivè velimus sumere *ikarè vocabitur*, eundem prorsus sensum reddet, quem habet Vulgata nostra, *& hoc est nomen, quod vocabitur ei* : eo vel maximè, quòd in originali Textu pronomen *lab* tertii esse Casus, compertum est. Nec verò quicquam obest, fœminini generis esse pronomen illud : tunc etenim ad Spiritualem, & Mysticam Hierosolymam referendum erit; videlicet ad Christi Ecclesiam suo tempore ædificandam; cujus typus (saltem triumphantis) Civitas illa erat, juxta illud Ecclesiæ *Cœlestis Urbs Jerusalem, beata pacis visio*; cuique Ipsummet Christum, tanquam dilectissimæ Sponsæ, nomen suum communicare voluisse, verosimile est.

Dispendium operæ fuerit intactum, si hic præterirem celebratum Zachariæ Vaticinium ; quod, uti in Jesu nostro impletum memorat dilectus Apostolus *Cap.* 19. Evangelii, ita luculentum est Divinitatis Argumentum in Christo prænuntiato. Extat illud *Cap.* 12. his

12. his verbis expressum : *Effundam super Domum David, & super habitatores Jerusalem Spiritum Gratiæ, & Precum : & aspicient ad me, quem confixerunt*. Ex quo ita colligere licet : Qui illic loquitur, Deus verus profectò est; nec enim alius Spiritum Gratiæ, & Precum super domum David, & super Habitatores Jerusalem effundere potuit, nisi Deus : is ille porro futurum spondet, ut in ipsum aspiciant Jerusalem Habitatores, ipsumque configant. Deum itaque in assumpta certè Natura & aspecturi erant, & confixuri Hierosolymorum Habitatores : isque vicissim Humanam Naturam assumpturus erat, ut ab iis configi posset.


Non sum inscius, variare Hebræorum Exempla, & expressas inde ab antiquo Versiones, Græcam, Syriacam, & Arabicam; ac in nonnullis Hebræorum Exemplis legi *dekarou*, *confixerunt*; in aliis *recadou*, *insultaverunt* : nato nimirum errore ex duarum quamsimilium literarum hebraicarum trajectione, ד daleth, & ר resh. At præterquàm melioris notæ Codices, ac longè plures priorem lectionem referunt, eam calculo suo probavit Joannes Evangelista hebræus ex hebræis, laudato jam Evangelii loco legens, *videbunt in quem transfixerunt*. Utcunque tamen legere lubeat, perinde Jesu nostro patiente impletum jure dicitur Vaticinium Zachariæ, cùm & illum Judæi confixerint, & illi Cruci affixo Judæi petulantiùs insultarint : de quibus narrat Matthæus *Cap. 27.* : *Prætereuntes autem blasphemabant eum moventes capita sua, & dicentes : Vah qui destruis Templum Dei, & in triduo illud reædificas : Salva temetipsum : si filius Dei es, descende de Cruce*.

Cæterùm, ne memorato sub hujus Disputationis initium obice teneantur Hebræi, quominus summum illud Fidei Caput agnoscant; neve Deum factum Hominem a Deo mitti posse inficientur, quòd plures in eo Personas agnoscere reformident, alteram ab altera spiritualiter genitam, Deum scilicet de Deo, Deum verum de Deo vero; (quanquam sit hoc ex Momentis secundo ordine positis abunde probatum) pleniùs tamen, ac luculentiùs *ex Psalmo* 2. & ex *Psalmo* 109. demonstratur. Prioris hæc verba sunt *v. 7.* : *Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te : Postula a me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*. Alterius autem *v. 1. et seq.* : *Dixit Dominus Domino meo; sede a dextris meis : Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion : dominare in medio inimicorum tuorum .... Tu es Sacerdos in æternum secundùm Ordinem Melchisedech*. Quo ex loco Christus noster tam luculentam æternæ suæ ab æterno Patre Generationis probationem eruit, ut Pharisæis ora præcluserit; uti est apud Matthæum *Cap. 22.* Dum enim inquit Regius Vates : *Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego*

bodie

hodie genui te : & rursus, *Dixit Dominus Domino meo ...... in splendoribus Sanctorum ex utero ante Luciferum genui te*, duas profectò Personas secum veluti loquentes inducit, alteram ex altera genitam, & quidem ex æternitate : atque ita utramque Divinam; cùm nihil ex æternitate sit præter Deum. Perfatuum enim est, quod recentiores Hebræi nonnulli contra Majorum suorum fidem commenti sunt, verba hæc Davidis ipsius esse, Salomonem alloquentis. Quis enim Salomonem, aut alium quemvis Hominem, in Splendoribus Sanctorum editum dicat? Quis ante Luciferum genitum fabuletur? Quis Salomonem, aliumve Mortalem Sacerdotem æternum commentus est unquam, ac etiam secundum Ordinem Melchisedech? Quis Davidem Salomonis Hostes ad illius pedes prostravisse sibi fingat; Gentes illi in hæreditatem dedisse, totumque Terrarum Orbem possidendum contulisse? Non alterius ergo, nisi Æterni Patris verba illa esse possunt æternum Filium alloquentis, in quem unum cadere queunt; ut multis ostendit Apostolus *in Epistola ad Hebræos Cap.* 1., *&* 7.

Plura addere facilè fuerit: sed jam satis est probationum. Audiendi modò Judæi in oppositum adnitentes; Christumque a Deo promissum purum Hominem futurum ostendere aggredientes. At, ut multa ad suam illam Perfidiam sustinendam congerere solent, quæ intra breve spatium expediri a nobis, atque refelli omnino non possunt; idcirco istud operis in alteram Prælectionem polemicam mittimus, majori otio perficiendum.



PRÆ-

PRÆLECTIO IX.

Judæorum sibi promissi Christi Divinitatem cum Arianis, cæterisque Infidelibus impiè pernegantium Momenta refelluntur.



Romissi Messiæ Divinitate, quantùm ex veteris Testamenti Oraculis licuit, bono in lumine collocata, id unum nobis in præsenti reliquum est, ut Judæorum conatus improbos, queis lucidissimæ veritati nebulas offundere moliuntur, vanos prorsus, atque irritos ostendamus. Qua in re id unum dolet, quòd ab Arianis, ac Socinianis, eodem Errore implicitis, vires accipiant, quibus in oppugnanda Fide Catholica audaciores fiunt, atque valentiores. Hujus tamen, cujus hic Caussam agimus, præsidio tuti fœderatorum Synagogæ militum tela eadem arte, & opera retundemus.

Hoc itaque paralogismo Judæi primùm in aciem veniunt: Deus, inquiunt, venturum Christum hisce verbis promisit Moysi *Deuteronomii Cap.* 18.: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui: & ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi.* Non esset autem similis Moysi, sed eo longè major, si Deus re ipsa foret. Qua ratione eum Moyse digniorem facit Apostolus noster *ad Hebr. Cap.* 3.: *Amplioris enim gloriæ iste præ Moyse dignus est habitus, quantò ampliorem honorem habet domus, qui fabricavit illam.* At quidni, quæso, ex quo Deus factus est Homo, ex conditione assumptæ Naturæ Moysi similis esset, qui nobis omnibus ab eodem Apostolo similis dicitur *ad Philipp. Cap.* 2.: *In similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut Homo*: Tametsi ex Divinæ Naturæ conditione Moysen infinitis titulis antecellat?

Urgent nihilosecius: Adeo non erat Christus noster verus Deus, ut potius se a Deo derelictum fassus sit, de Cruce exclamans: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Matth. *Cap.* 27. Nempe id nesciunt cœci Homines, & in isto Argumenti genere minùs versati, & eruditi, in extrema Vitæ periodo Divinitatem Christum Dominum deseruisse foris, ut non esset illi ad defensionem contra Tortores, atque Carnifices; quo acerbiùs pro nobis pati posset: non deseruisse tamen intus quoad unionem Hypostaticam, ut Deus, Deique Filius semper esset. Qua de re pleniùs disputabimus loco suo. Quanquam, si quoad unionem Hypostaticam in extrema Vitæ periodo deseruisse fateremur, Judæi vel ex hoc

hoc Capite Caussâ caderent. Inde quippe consequens esset, Christi Domini Humanitatem toto antea Vitæ decursu ea unione Hypostatica fuisse donatam.

At ecce insurgit illorum Unus, qui in rebus nostris, atque in Historia Euangelica præ cæteris Sodalibus versatus videri amat: Usque adeo, inquit, conscius sibi erat Jesus noster, non esse se Deum, ac Dei Filium, imò nec Christum a Lege promissum; ut quanquam per circuitus, & ambages eum sese quandoque jactaret, nunquam tamen apertè, distinctè, conceptisque verbis eum se præbuerit, ac venditarit, a Judæis quantumlibet provocatus: Joann. *Cap.* 10.: *Circumdederunt ergo eum Judæi, & dicebant ei: quosque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam.* Quin etiam Matthæi *Cap. 16.: Tunc præcipit Discipulis suis, ut nemini dicerent, quia ipse esset Jesus Christus.*

Quibusnam, quæso, hæc edisserit Recutitus? Christianis non puto, Historiam Euangelicam probè callentibus: Turcis fortasse, aut Sinis, nonnisi Alcorani deliria, & Confucii somnia lectitantibus. Quotquot enim Euangelium evolverunt, norunt sanè, quàm clarè, atque distinctè Christum sese, Deique Filium dixerit Jesus noster: Joannis *Cap.* 4.: *Dicit ei mulier* (Samaritana): *scio, quia Messias venit, qui dicitur Christus: Cùm ergo venerit ille, annuntiabit nobis omnia. Dicit ei Jesus: Ego sum, qui loquor tecum:* Matthæi *Cap. 26.: Princeps Sacerdotum ait illi: Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus filius Dei. Dicit illi Jesus: Tu dixisti*: hoc est, ex Hebræorum loquendi formula, ita est, ut dixisti: Marci *Cap.* 14.: *Summus Sacerdos interrogabat eum, & dixit ei: Tu es Christus filius Dei benedicti? Jesus autem dixit illi: Ego sum*: Lucæ *Cap. 22.: Et ut factus est dies, convenerunt Seniores Plebis, & Principes Sacerdotum, & Scribæ, & duxerunt illum in Concilium suum dicentes: si tu es Christus, dic nobis. Et ait illis: si vobis dixero, non credetis mihi; si autem & interrogavero, non respondebitis, neque dimittetis. Ex hoc autem erit Filius Hominis sedens a dextris virtutis Dei. Dixerunt autem omnes: Tu ergo es Filius Dei: Qui ait: Vos dicitis, quia ego sum:* hoc est, ego sum, uti dicitis: unde subiunxerunt: *Quid adhuc desideramus testimonium? Ipsi enim audivimus de ore ejus;* nempe esse se Filium Dei: Joannis *Cap.* 10.: *Vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum?* Quin & hoc ipso, qui nobis obiicitur, Loco Joan. *Cap.* 10, cùm Jesu nostro dixissent Judæi: *Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam*; hoc ipsum, quod quærebatur, professus est palam: subiungit enim Euangelista: *Respondit eis Jesus: loquor vobis, & non creditis:* Nempe, quod ex me quæritis, loquor vobis, nec tamen cre-

creditis : *Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me : sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis*. Imò usque adeo palam se, apertèque Dei filium præbuerat Jesus noster toto Vitæ decursu, ut hac ipsa de caussa a Judæis ad mortem postulatus sit : *Nos Legem habemus*, ajebanr illi, *& secundùm Legem debet mori, quia filium Dei se fecit*; Joan. *Cap.* 19.. Quotquot etiam se Illi primùm adiunxerant, eundem uti Messiam, seu Christum a Lege, & Prophetis promissum habebant, Joan. 1. *vers.* 41. : *Andreas invenit Simonem, & dicit ei : invenimus Messiam, (quod est interpretatum Christus)* : Et *v.* 45. : *Invenit Philippus Nathanael, & dicit ei : quem scripsit Moyses in Lege, & Prophetæ, invenimus Jesum filium Joseph a Nazareth*. Quòd ergo Apostolis præceperit Jesus, ne cui tunc dicerent, ipsum esse Christum; non ideo fuit, quòd talem se Ipse non præberet, palamque non prædicaret; sed quòd unius tunc Christi Missionis tempus esset, non item Apostolorum : nec in hujus Ministerii partem ingredi possent ii, nisi post Christi mortem, & illapsum Spiritus S. Priùs enim pro tuenda veritate Jesum mori necesse fuit, quàm cæteros pro eadem illa vitam profundere.

Sed neque se Deum esse tacuit Christus, quanquàm ex ore ejus nunquam vox illa prodierit *Deus ego sum* : quia eos sibi Titulos sumsit, qui uni Deo congruunt, unde & ipsi Judæi satis dignoscerent, Eum pro Deo prorsùs haberi velle. Hinc Joan. *Cap.* 5. : cùm in Judæorum cœtu dixisset Christus : *Pater meus usque modò operatur, & ego operor*; mortem illi statim intentarunt, quòd ea loquendi ratione *Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo*. Non absimiliter Joan. *Cap.* 10., cùm alio in cœtu dixisset Christus, *Ego, et Pater unum sumus*, Divinitatem sibi his verbis attributam intellexere Judæi; sumtisque, quibus illum obruerent, lapidibus dixere : *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, quia tu Homo cùm sis, facis te ipsum Deum*. Rursus Joan. *Cap.* 8., cùm perinde dixisset Christus, *Amen amen dico vobis, antequam Abraham fieret ego sum*, arrogatam sibi eo verbo Eternitatem, Divinitatemque intellexere; eaque de caussa *tulerunt Lapides, ut jacerent in eum*. Cur porro non ita perinde distinctis, conceptisque verbis Deum sese dixerit Christus toto mortalis Vitæ suæ tempore, ac subinde dixere, atque scripsere ejusdem Discipuli, & Apostoli; ratio in promptu est : quòd necdum tunc Trinitatis Mysterium expresè, distinctèque revelatum esset; sed subobscurè tantùm, & in velamine Sacrificiorum, & Figurarum; adeoque periculum esset, ne hac ipsa de caussa Christi prædicationem Judæi rejicerent, si Deum a Deo, (quem Personâ, non se-

cus ac Naturâ, unicum noverant) missum audirent : donec illapsu Spiritus S. plenioris, distinctiorisque Revelationis recipiendæ capaces fierent. Neque enim æstimare par est, Judæorum Vulgus ullam tunc Mysterii Trinitatis notitiam habuisse, nomineque *Filii Dei*, quod sibi sumebat Christus, alteram Trinitatis Personam intellexisse, ejusdem cum æterno Patre Naturæ, atque Substantiæ ; sed singularis duntaxat Sanctitatis, & Excellentiæ Virum a Deo ad Salutem Israelis specialiter missum. Non est itaque cur silentium Christo nostro objiciant Recutiti.

Nova tamen hic oritur Difficultas, quæ, ut aliquos male torquet, ita a nobis resolvi postulat. Sit ita, inquiunt Aliqui; Christus se Filium Dei vocitarit, eoque illum ornarint Titulo Apostoli ejus, atque Discipuli; attamen nonnisi Filius Dei adoptivus erat, ea videlicet Adoptione, quæ ex Gratia, singularibusque Spiritus S. Donis sobolescit; non Filius naturalis ex ipsa Patris Substantia genitus, ejusdemque Naturæ Divinæ communione consubstantialis. Id ex duplici Scripturæ Loco colligere sibi videntur. Primus occurrit Joan. *Cap.* 10., ubi cùm Christus adstantibus Judæis se ipsum Dei Filium nuncupasset; iique idcirco commoverentur, Eumque lapidibus oppetere vellent, quasi per summam blasphemiam Dei Titulos sibi arrogasset; Christus eorum impetum sedavit his verbis, quibus emissum verbum interpretatus est, & emollivit *v.* 34. : *Nonne scriptum est in Lege vestra*, (Psal. 81.) *quia* Ego dixi Dii estis? *Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura : quem Pater sanctificavit, et misit in Mundum, vos dicitis; Quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum?* Ex quibus ita colligunt : Idcirco probat Christus Dominus, nullam se blasphemiam admisisse, Dei Filii Titulum sibi arrogando, quia in Scripturis Filii Dei, ac etiam Dii appellantur ii, ad quos sermo Dei factus est : at ii, ad quos factus est sermo Dei, Prophetæ nimirum, & Justi veteris Testamenti, non aliter Dii dicuntur, & Filii Dei, quàm ex Gratia Adoptionis : non itaque alio sensu Christus ipse Filius Dei, ac Deus haberi voluit. Rursus Filiationem suam idcirco probat eo loci Christus Dominus, quia a Patre sanctificatus est : *quem Pater*, inquit, *sanctificavit, et misit in Mundum; vos dicitis; Quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum?* Non alia ergo Filiatio illi est, quàm quæ Sanctificatione obtinetur : hæc porro nonnisi gratuita est, & adoptiva. Et quidem si Christus naturalem se Dei Filium, verumque Deum appellasset, nunquam se contra Judæos ab ea, cujus accusabatur, blasphemia liberasset allato Prophetarum, atque Justorum Exemplo, quos Scriptura, nonnisi improprio, & translatitio sensu Deos appellat. Hoc primum.

Al-

Alterum ex Lucæ *Cap.* 1. petitur Argumentum, ubi Angelus Christi Incarnationem Virgini pariturae prænuntians, cùm illa adeo felici Nuntio respondisset : *Quomodo fiet istud, quoniam Virum non cognosco?* Reposuit *v.* 35. : *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Ideo ergo Christus, de Virgine natus, vocatus est Filius Dei, quia superveniente Spiritu Sancto, obumbrante Altissimo conceptus est : At Filiatio, quæ non aliter habetur, quàm merito purissimæ conceptionis temporalis, & ex superveniente Spiritus Sancti Gratia, accidentaria duntaxat est, adoptiva, gratuita, non naturalis, ac substantialis, quæ ex æternitate, ac necessariò habetur : Christus igitur Filiationem Divinam, substantialem, naturalem, æternam non habet ; sed ut ut maximè, gratuitam, accidentariam, uno verbo dixerim, adoptivam. Hoc alterum, quod Aliquos male torquet, Argumentum est.

Non est tamen difficile, utrumque refellere. Ad id ergo, quod primo loco positum est, reponi imprimis potest ; Christum, quoties se Dei Filium Turbas alloquens vocitavit, non illico id omne ab iis intelligi voluisse, quod illis suberat verbis ; esse se nimirum Dei Filium naturalem ex æterni Patris Substantia genitum ; quia (necdum expressè, distinctèque revelato Trinitatis Mysterio) æterna illa secundùm Substantiam Generatio longissimè erat a Judæorum intelligentia, sensuque disiuncta : sed id unum tunc temporis intelligi voluisse, illum se esse singularis Virtutis, Sanctitatis, & Excellentiæ Virum, quem venturum in Salutem Israelis Lex, & Prophetæ promiserant : adeoque nihil mirum, si eo se Titulo, in illum duntaxat sensum intellecto, dignum probarit Prophetarum, ac Justorum Exemplo ; qui cùm tantæ Dignitatis, & Excellentiæ non essent, Dii tamen, ac Filii Dei sunt appellati *Psalmo* 81. : *Ego dixi : Dii estis, et Filii Excelsi omnes.*

Quidni quoque reponamus ; Christum Dei Filii Titulum strictò prorsus sensu, (ut re vera erat) sibi arrogantem, objectam sibi a Judæis blasphemiæ Notam depulisse, non facta comparatione sui ipsius cum Prophetis, & Justis ; qui ideo tantùm sunt dicti Dii, ac Dei Filii, quia ad ipsos *sermo Dei factus est* ; sed Argumento, ut Logici loquuntur, a minori ad majus ; Quasi diceret : si illos Scriptura Deos appellat, ad quos sermo Dei factus est, Prophetas scilicet, ac Justos veteris Testamenti ; quantò magis citra blasphemiam Filius Dei appellari potest ille, qui substantialis Dei Sermo est ? Si Justi quilibet Filii Dei nuncupantur vel hoc solo Titulo, quòd per adventitiam, & accidentariam Spiritus S. Gratiam sanctificati sunt ; quantò magis eo Titulo dignus erit ille, quem Pater sanctificavit ea Sanctificatione substantiali, quam ex

ipsa sui æterna Generatione sortitur? De qua Paulus *ad Romanos Cap.* 1.: *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundùm Spiritum sanctificationis*, nimirum æternæ.

Alterum ex verbis Angeli Virginem salutantis delibatum Argumentum mero laborat æquivoco; quod enodare, & expedire facile sit. *Spiritus S.*, inquiebat Nuntius ille Cœlestis, *superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei*. Bene profectò: at perperam infertur; Christus ergo habet, quod Filius Dei sit appellatus, quia obumbrante Spiritu Sancto conceptus est. Minimè gentium: quia *τὸ nascetur ex te* non appellat supra Personam Christi absolutè, & secundùm sese spectatam, sed supra Personam, quatenus subsistit in Natura assumpta. Nihil itaque aliud sibi volunt Angelica verba, quàm obumbrationem Spiritus Sancti, qua Deipara Virgo fœcundata est, in caussa fuisse, cur Homo ille, ex Virgine natus, Filius Dei vocetur, & sit. Quatenus scilicet Humana Natura ex Spiritus Sancti obumbratione obtinuit, ut Dei Filio Hypostaticè jungeretur; eaque ratione vocaretur, & esset, quòd ex Virgine natum est. Non itaque absolutè, ac sine modo inferendum est, Christum ex sua Conceptione temporali habuisse, quòd Filius Dei nominetur; sed restrictè Christum, ut Hominem, eam Filii nomenclaturam obtinuisse ex ea Conceptione purissima, qua Humana Natura Hypostaticè Verbo Dei unita est.

Si cui fortè Responsum istud videtur obscurius, & impeditius, hoc alterum sibi habeat. Ideo Christum Dei Filium dictum esse, quòd obumbrante Spiritu Sancto de Virgine Matre conceptus sit, quia vel ex hoc solo, quasi a posteriori, & a signo externo Christum Deum esse, ac Dei Filium naturalem certò colligimus; propterea quòd soli Deo temporaliter genito mira illa, ac prodigialis Conceptio debeatur: juxta quod Ecclesia canit: *Miretur omne sæculum; talis decet partus Deum*. Unde non ait Angelus: *Ideoque & quod nascetur ex te Sanctum, erit filius Dei*; sed *vocabitur filius Dei*: nimirum ab Hominibus eum ex hujusmodi signo discentibus. De cætero enim ratio a priori, ac necessaria, cur Christus verus sit, ac naturalis Dei Filius, est, quia ex Substantia Patris ante sæcula genitus est. En tibi enervatum illum, non Judæorum quidem, (nec enim solent illi adeo subtiliter disputare) sed Arianorum, & Socinianorum Achillem.

Quandoquidem autem in hanc aleam cum Arianis, ac Socinianis ingressi sumus, juvat levi saltem manu, reliqua Momenta refellere, quibus Christi Divinitatem pari perfidia aggrediuntur. Congerunt itaque Illi ea omnia Evangelii Loca, ubi Christus suæ veluti conditionis, & sortis oblitus Divinitatis Titulos recusare,

atque

atque a se amovere visus est : ut Præscientiam rerum omnium, ac præsertim extremi Judicii, quam sibi inesse diffitetur Marci *Cap.* 13.: *De die autem illo, vel hora, nemo scit, neque filius* : summam largiendi, cui voluerit, Regni Cœlestis potestatem, quam se habere negat Matth. *Cap.* 20. : *Sedere ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo* : Omnipotentiam, qua se præditum negat Joan. *Cap.* 5.: *Non potest Filius a se facere quidquam* : æqualitatem cum Patre, quam sibi fatetur indebitam Joan. *Cap.* 14. : *Pater major me est* : summam Bonitatem Marci *Cap.* 10. : *Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi unus Deus*. Quo ultimo loco supremam Bonitatem, uti sibi minùs debitam, non modò a se amover, sed ea maximè ratione, quòd Deo soli debeatur; satis profectò innuens, ab eo se Titulo longè esse. Ad restis funiculum addunt Apostoli Dictum *ad Romanos Cap.* 1. *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundùm Spiritum sanctificationis*. Cùm enim prædestinatio non sit, nisi de rebus liberis, & futuris; eum nec ex æternitate, nec ex necessitate Naturæ Dei Filium esse colligunt, sed ex tempore tantùm, atque ex liberæ adoptionis Gratia, qui Divina prædestinatione factus est Filius Dei.

Sed sunt hæc plane ludicra, atque futilia. Utque singula distinctè percurram; Quis prudens diffiteri audeat, extremi Judicii diem fuisse Christo perspectam, si, quæ de ipso Scriptura narrat, paulisper attenderit? *Constitutus est a Deo Judex vivorum, & mortuorum*; ait D. Petrus *Act.* 10. Quis porro Judex ignoret pronuntiandæ Sententiæ, & ferendi Judicii diem? Author ille est Sæculorum, atque ita extremæ diei : *Per quem fecit & sæcula; ad Hebræos Cap.* 1. Quis verò Opifex suum opus ignoret? In illo *thesauri omnes scientiæ, & sapientiæ* conditi erant : qua ergo forte hoc Illum Divinæ Sapientiæ Arcanum latuisset? Idcirco itaque extremum Judicii diem se nescire respondit ab Apostolis interrogatus, quia Dei Patris Legatus erat ad Homines missus; atque ita Legatorum more respondit, qui ea se nescire dicunt, quæ tenent sub sigillo : ea quippe re ipsa nesciunt ut Legati, quia eorum revelatio illis delegata non est; Nec propterea aut amphibologia, aut æquivocatione usus est Christus, ut nonnullis Christianæ morum Disciplinæ Corruptoribus visum est; qui eo Christi Exemplo abutuntur, ut æquivocationum, & amphibologiarum usum Fidelibus licitum faciant. Non, inquam, iis usus est Christus; quia cùm verba significandi vim ex publico usu recipiant, quisquis verbis juxta publicum usum significantibus utitur, sine æquivocatione, & amphibologia censendus est loqui : nec Mentis, ut ajunt, restrictione opus habet, ne mendacii reus evadat ita loquens. Porro verbum

bum *nescio* in ore Legati de Secreto Regis interrogati ex publico usu, in quacumque Republica bene constituta recepto, id sonat unum, *nescio ut revelem*; etsi aliunde noverit, ut occultet. Quare Legatus, qui ita ore rotundo se nescire respondet, ubi de Secreto Principis interrogatur, tam non mentitur, nec æquivocatione utitur, quàm nec Confessarius, qui de rebus in sacro Tribunali auditis interrogatus, simpliciter, & absolutè respondet, *Nescio* : quia nimirum ex publico Ecclesiæ usu verbum *nescio* id unum in ejus ore sonat : *nescio, ut Homo*: *nescio, ut revelem*: adeoque Mentis Restrictione non indiget, qui sic loquitur; ut mendacium evitet; si tamen nugaci illa arte vitari posset. Cæterùm Christum Dominum, aut etiam Angelos, Patriarchas, Prophetas, Apostolos Æquivocis, aut Amphibologiis usos esse, Commentum est insulsum, erroneum, impium, ab universo Clero Gallicano damnatum solemni Censura anno 1700. die 4. Septembris pronuntiata adversus hæc, aliaque fœtida sordentium quarundam Scholarum purgamenta. Propositio Episcoporum Censuræ subjecta hæc erat : *Patrarchæ, & Prophetæ, Angeli, ipse Christus, nedum Viri justi, & sancti, Æquivocationibus, sive Amphibologiis, & Restrictionibus mentalibus usi sunt* : Episcoporum verò Censura his verbis expressa fuit : *Hæc Propositio scandalosa est, temeraria; mysticè, propheticè, parabolicè, sivè œconomicè ad insinuandam altiùs veritatem dicta, vel tacita, cum vulgaribus gestis confundit, Sanctorum Patrum Acta ludibrio vertit, ipsis etiam Angelis injuriosa, erga Christum contumeliosa, & impia*. Ita religiosissimi, doctissimique Præsules Galliarum. Sed hæc obiter ad eam Assertionem morum corruptricem refellendam. Alia jam Judæorum, & Arianorum objecta paucis expedio.

Quo titulo extremi Judicii diem perspectam habuit Christus Dominus, ita & habuit conferendi, cui liberet, Regni Cœlestis arbitrium, quod nobis Sanguine suo mercatus est. Annon enim Cœleste Regnum pro summa potestate Latroni pœnitenti largitus est? Tantumque abest, ut hoc inesse sibi negarit arbitrium Filiorum Zebedæi Matrem alloquens, quin potius confirmavit. Non enim ait: *Non est meum dare, sed Patris* : verùm : *non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre*. Quasi dicat : non est æquum dare vobis Titulo, quem obtenditis, Consanguinitatis; sed iis dandum est, quibus ob Virtutis meritum a Deo Patre, & a me quoque paratum est. Uno verbo, non inesse sibi negat conferendi potestatem, sed iis inesse negat obtinendi meritum, qui a Deo Patre prædestinati non sunt.

Quod ad Omnipotentiam attinet, plana res est, non posse Filium *a se facere quidquam*, hoc sensu : quòd uti Naturam habet a Patre, non a se ipso; ita & agendi Virtutem, quæ Divinæ Na-

turæ

turæ est indivulsa, non habet a se, sed a Patre. Nec tamen idcirco minùs potest : imò, ut ait Ipsemet, *quæcumque enim ille* (Pater) *fecerit, hæc & Filius similiter facit*, Joannis *Cap.* 5. Id itaque non imbecillitatis, sed suæ a Patre Processionis est Argumentum.

Ruit mole sua illud alterum de æqualitate cum Patre, quam Christum his verbis negasse volunt, *Pater major me est*. Per omnium quippe ora volitat trita Responsio, Christum, uti Hominem, Patre quidem esse minorem, tametsi, uti Deus, sit illi non æqualis modò, verùm etiam omnino consubstantialis; juxta vulgatum illud Symboli Divo Athanasio perperam adscripti : *Æqualis Patri secundùm Divinitatem, minor Patre secundùm Humanitatem* : quo vel uno, Christi Domini Dictum Arianis eripitur. Quia tamen interpretationem illam minimè patiuntur quorumdam Patrum Testimonia, Gregorii scilicet Nazianzeni, Basilii, Cyrilli Alexandrini, Chrysostomi, Athanasii, Tertulliani, Hilarii, qui Christum, etiam uti Deum, quodam dicendi modo, Patre minorem agnoscunt; idcirco istud quoque ad solutionis cumulum addimus : Patrem æternum in ratione Principii Processionis quadam (ut Schola loquitur) relata Dignitate, atque Præstantia gaudere, Filio, ac Spiritui Sancto minimè communi. Sic etenim Pater & Filii, & Spiritus Sancti Principium est, ut ii vicissim Patris Principium nequaquam sint. Quæ tamen Excellentia, atque Præstantia, cùm merè relata sit, absolutam in Natura æqualitatem minimè lædit. Ne quis verò putet, quæsitum de Scholæ tribulis, ac vepretis Suffugium illud esse potius, quàm genuinum Patrum illorum interpretamentum, S. Cyrilli verba dabo, quibus & suam, & aliorum Patrum Sententiam in eum plane modum exponit *Lib.* 2. Thesau. *Cap.* 3. : *Quamvis ergo*, inquit, *secundùm rationem Substantiæ Patris, æqualis, & penitus similis sit; major tamen ipso Pater est, qui eum generat, in hoc solummodo, quia ex eo Filius est : & sic Principium Filii secundùm originem Pater est.*

Quintum minùs urget, si Christi loquentis scopum attendimus. Dum enim Cuipiam Eum Magistrum bonum appellanti respondit, *Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi solus Deus*, Marci *Cap* 10. non, inesse sibi aut Bonitatem, aut Divinitatem, inficiari voluit; sed interrogantis incredulitatem retundere; qui, cùm Ipsum Deum nollet agnoscere, bonum Eum nihilominus appellabat. Quare Argumento velut ad Hominem usus dixit : cùm me Deum abneges, quid me tamen bonum appellas? Cùm bonus verè nemo sit, nisi solus Deus.

Postremi, quod Pauli est, Testimonii explicandi duæ apparent viæ. Una est, si dicamus cum Doctore Angelico, in ea Propositio-

tione, *Christus prædestinatus est Filius Dei*, τὸ *Filius* Propositionis, Subjectum esse, non Prædicatum; quò significetur, Filium Dei prædestinatum esse, ut Homo fieret, Hominesque redimeret. Altera, si dixerimus τὸ *Christus* non supponere pro Persona absolutè sumpta, sed quateaus in Humana Natura subsistit; ut sit sensus, Humanam Naturam in Christo prædestinatam esse, ut assumeretur ad conditionem Filii Dei per unionem Hypostaticam cum Verbo Dei. Qua duplici explicatione Difficultas omnis elisa est.

At interim, dum Arianos insequor, a suscepto munere, & instituta cum Hebræis Disputatione procul abscedo. Dum enim promissum sibi Christum, Deum fore diffitentur, ac etiam evincere satagunt, a Sanctorum Patrum Testimoniis, & a Scholæ nostræ subtilitatibus procul abstinent, in quibus fatentur, mediocriter se esse versatos. Quare ab opere supervacuo abstinendum, & progrediendum ad alia. Ut autem Judæi intelligant, quantùm a veritate procul aberrent, dum Christo nostro Divinitatem eripere moliuntur, rem haud prorsus inutilem fore duco, si antequam de postrema Messiæ Nota (Partu nimirum Virgineo, quo edendus erat) verba faciam, quid Gentiles ipsi (Pilatus, atque Tiberius Cæsar, sub cujus Imperio mors Christi contigit) de illo senserint, fusiùs exponam: quod, Divino favente Numine, proximè futuræ academicæ Prælectionis Argumentum erit haud fortè injucundum.



PRÆ-

PRÆLECTIO X.

De Christi Virtutum, atque Prodigiorum Narratione a Pilato Judææ Præside ad Tiberium Cæsarem missa; deque ejusdem Apotheosi apud Romanum Senatum tentata disseritur.



Hristum nostrum, nedum Messiæ Sacris Oraculis prænuntiati, verùm etiam veri Dei a Deo Patre in Mundum missi, ut Hominum noxas sacro suo Sanguine expiaret, Characteribus præfulsisse, satis, ut puto, in antehabitis Prælectionibus adversus perfidam Synagogam, cum Arianis hoc in Capite fœderatam, multiplici Argumentorum genere demonstravimus. Superest tamen unum, quod, uti palmare magis, ac crassioribus proinde eorundem Ingeniis accommodatius, prætermittere, nefas existimaverim: ut inde Judæi intelligant, & quotquot cum illis de Christi nostri Divinitate perperam sentiunt, quàm procul a vero absint, dum Illum purum fuisse Hominem, quin & Seductorem, & Impostorem (hos enim Ei Characteres affingunt miseri Recutiti) impiè blasphemant. Audiant porro quid de Illo Pilatus ipse, qui Eum invitus morte damnaverat, quid Tiberius Imperator senserit Romæ, ac pertentarit: ut hinc appareat, quàm alienam ab ea, cui adhuc adhæret perfida Judæorum Natio, Ethnici illi (quantumvis Idololatriæ, aliisque fatalibus præjudiciis præoccupati) de Christo nostro opinionem conceperint, atque tenuerint.

Vixdum Christus Cœlo redditus erat, ejusque Divinus Spiritus in Discipulos effusus; cùm Virtutum ejus, ac Prodigiorum Fama, longè lateque diffusa, Romam quoque ipsam occupavit. Pilatus Judææ Præses Res, quæ illic contigissent magni Momenti, ad Cæsarem scribere solitus, patratorum a Christo Signorum, Divinarumque Virtutum, Excitationis Ipsius a mortuis, novæque ab Eo conditæ Religionis Narrationem ad Tiberium misit. Hic, perceptis Actis, reque, quantum licuit, intellecta, retulit ad Senatum, ut & Christus inter Deos, quos Roma coleret, referretur. Renuit Senatus Augustus: Cæsar tamen perstitit in Sententia; Christianosque ob eam, quam de Christo conceperat, opinionem, singulari Benevolentia, quandiu vixit, perpetuò fovit. Non ea porro hìc proferimus, ut Christi Divinitatem, Excellentiam, probitatem ex Ethnici Imperatoris opinione evincamus: absit a Theo-

logo Christiano absurditatis genus. Sed hæc duntaxat exponimus, ut vel ex ipsa profana Historia, quam, si quid sapiunt, coguntur Judæi admittere, ex abundanti eos impetamus; dum nimirum, quem Ipsi nedum, uti Deum, colere, ac venerari detrectant, sed etiam impium, Seductorem, blasphemum ore rotundo proclamant, ac detestantur, Eundem ab Ethnicis ipsis, qui Ejus ætate vixerunt, uti justum, pium, summis Virtutibus præditum, Prodigiorum patratione præclarum, ac tandem Religionis Cultu, Divinisque Honoribus perquàm dignissimum habitum fuisse, monstramus.

Totum id tamen variis Difficultatibus obstructum est; & a Nonnullis quidem ex parte, ab Aliis ex integro vocatur in controversiam. Quare, ut sua dictis veritas constet, tria nobis impræsentiarum quærenda sunt: Primò; constet ne prorsus, Pilatum de rebus a Christo præclarè gestis Tiberium Cæsarem monuisse, Cæsaremque Christi Apotheosim tentasse apud Senatum Romanum? Secundò; quæ caussæ, ut renueret, Senatum impulerint? Tertiò; quid de Epistolis, quæ vulgò circumferuntur, a Pilato ea occasione ad Cæsarem datis, sentiendum veniat? Quibus ad liquidum perductis, plana expeditaque res erit.

Primum, illudque potissimum, usque adeo, meo quidem judicio, certum est, ut citra summam audaciam in dubium verti nequeat; utpote Testium omni exceptione majorum Suffragio communitum. Tertullianus *in Apologetico adversus Gentes Cap. 5.: Apud vos*, inquit, *de humano arbitratu Divinitas pensitatur. Nisi Homini Deus placuerit, Deus non erit: Homo jam Deo propitius esse debebit. Tiberius ergo, cujus tempore nomen Christianum in Sæculum introivit, annuntiatum sibi ex Syria Palæstina, quod illic veritatem illius Divinitatis revelaverat, detulit ad Senatum cum prærogativa Suffragii sui. Senatus, quia non ipse probaverat, respuit. Cæsar in Sententia mansit, comminatus periculum Accusatoribus Christianorum*: & *Cap. 21.*, præmissa brevi prodigialium Christi Gestorum analysi, ita subdit: *Ea omnia super Christo Pilatus, & ipse jam pro sua Conscientia Christianus, Cæsari tum Tiberio nuntiavit. Sed & Cæsares credidissent super Christo, si, aut Cæsares non essent Sæculo necessarii, aut si & Christiani potuissent esse Cæsares.*

S. Justinus martyr *in Apologia 2. ad Antoninum Imperatorem*, in hæc ipsa Acta, a Pilato ad Tiberium missa, digitum intendit, dum, nonnullis Christi Prodigiis enarratis, subjungit: *Hæc ita gesta esse, cognoscere ex Actis, quæ sub Pilato sunt conscripta, potestis.* Tum aliis interjectis: *Et quòd ista fecerit*, Christus, *ex eis, quæ sub Pilato conscripti sunt, Commentariis cognoscere potestis.*

S. Lucianus in Deciana Persecutione Nicomediæ martyr ad eadem illa Pilati Acta videtur Præsidem provocasse, dum diceret: *Consulite*

hite Annales vestros, & invenietis Pilati temporibus, dum pateretur Christus, media die fugatum Solem, & interruptum diem. Verisimile quippe est, Pilatum inter tam multa, de quibus ad Cæsarem scripsit, Portenta atque Prodigia, mirabilem illam Solis obscurationem, quæ Christo patiente contigerat, minimè siluisse.

Eusebius Cæsariensis *Lib.* 2. *Hist. Eccles. Cap.* 2. Rem totam sat fusè prosequitur : *Cùm per omnem jam locum*, scribit, *de Resurrectione, & mirabilibus Domini Jesu Christi, & de Ascensione ejus ad Cœlum felix Fama loqueretur, ac per omnium aures beati hujus rumoris volveretur opinio ; quoniam antiqui moris erat apud Romanos, ut Provinciarum Judices, si quid fortè novi in his, quas regebant, Provinciis accidisset, vel Principi, vel Senatui nuntiarent, uti ne ex his, quæ gerebantur, ignorare aliquid viderentur, de Resurrectione a mortuis Domini, & Salvatoris nostri Jesu Christi, quæ jam in omnem locum fuerat pervulgata, Pilatus Tiberio Principi refert. Sed & de cæteris mirabilibus ejus, & ut post mortem, cùm resurrexisset, a quamplurimis jam Deus esse crederetur. Tiberius, quæ compererat, retulit ad Senatum. Senatus autem sprevisse dicitur, pro eo quòd non sibi prius hujus rei judicium fuerit delatum, sed authoritatem suam prævenerit Vulgi Sententia; Lex enim erat antiquitus designata, ne quis apud Romanos Deus haberetur, nisi Senatus Decreto, & Sententia confirmatus. Porro autem pro vero hoc erat, quod agebatur, ne Divina Virtus humanis putaretur assertionibus indigere. Cùmque secundùm ea, quæ supra diximus, renuisset Senatus, Tiberius tamen tenuit Sententiam suam, ut ne quid adversum Doctrinam Christi contrarium moliretur.*

S. Joannes Chrysostomus hujus perinde fidem facit *Hom.* 26. *in Epist.* 2. *ad Corinth.* : *Romanorum Senatus*, inquit, *hanc potestatem habebat, ut Deos crearet, atque conscriberet. Quippe, cùm res omnes a Christo gestæ nuntiatæ sunt, Romam misit Is, qui Judæorum Nationi præerat, sciscitans ex ipsis, num eum quoque Deum creare placeret. Id vero Illi facere recusarunt, quòd iniquo, atque infenso animo ferrent, ante Decretum suum, atque Sententiam, Crucifixi Potentiam effulgentem universum Orbem ad sui cultum, & venerationem attraxisse.*

Hegesippus, non ille quidem, qui Aniceti, & Eleutherii Romanorum Pontificum temporibus floruit, sed alter junior, qui, cadente Sæculo IV., post Constantini tempora vixit, *in Anacephalæosi Librorum suorum de excidio Urbis Hierosolymorum* hæc habet : *Quamvis enim idem Pilatus manus laverit dicens* : Mundus ego sum a Sanguine Justi hujus, vos videritis*; nequaquam tamen minùs extitit reus, qui gloriam Dominicæ Resurrectionis agnoscens, præditare invitus studuit, sed credere perfidus contemsit;*

 sicut

ficut teſtatur ejuſdem Epiſtola Cæſari in hunc modum directa : Tum Epiſtolam ſubjicit, de qua nobis paulò poſt ſermo erit.

Paulus Oroſius *Lib.* 7. *Hiſt. Cap.* 4., *Poſtquam*, inquit, *paſſus eſt Dominus Chriſtus, atque a mortuis reſurrexit, & Diſcipulos ſuos ad prædicandum dimiſit, Pilatus Præſes Palæſtinæ Provinciæ ad Tiberium Imperatorem, atque ad Senatum retulit de Paſſione, & Reſurrectione Chriſti, conſequentibuſque Virtutibus, quæ vel per Ipſum palam factæ fuerant, vel per Diſcipulos Ipſius in Nomine Ejus fiebant, & de eo, quòd certatim creſcente plurimorum Fide Deus crederetur .... Senatus indignatione motus, cur non ſibi priùs ſecundùm morem delatum eſſet, ut de ſuſcipiendo Cultu priùs Ipſe decerneret, Conſecrationem Chriſti recuſavit, Edictoque conſtituit, exterminandos eſſe Urbe Chriſtianos ; præcipuè cùm & Sejanus Præfectus Tiberii ſuſcipiendæ Religioni obſtinatiſſimè contradiceret. Tiberius tamen Edicto Accuſatoribus Chriſtianorum mortem comminatus eſt.*

S. Gregorius Turonenſis *Lib.* 1. *Hiſtoriæ Cap.* 24. Factum paucis enarrat : *Pilatus*, ait, *Geſta ad Tiberium Cæſarem mittit ; & ei tam de Virtutibus Chriſti, quàm de Paſſione, vel Reſurrectione Ejus inſinuat. Quæ Geſta apud nos hodie retinentur ſcripta. Tiberius autem hoc ad Senatum recenſuit : quod Senatus cum ira reſpuit, pro eo, quòd non ad eum primitus adveniſſet.* Rem Poſteris pergratam feciſſet Gregorius, ſi quæ Geſta apud ſe ſcripta retinere dixit, publicaſſet : cujus illa coloris ſint, probaremus.

Extremum Facto, quod hìc unicè quærimus, ſigillum ponit Nicephorus Callixtus *Lib.* 2. *Hiſt. Cap.* 8., cujus hæc verba ſunt : *Conſuetudo jam inde a plurimis annis obtinuerat, ut qui Præfecturas, ac Provincias ſortiti eſſent, res novas, quæ ſub eis accidiſſent, ſingulas ſummum Imperium habenti Cæſari ſignificarent, ut Illum nihil prorſus rerum lateret. Itaque de Reſurrectione ex mortuis, aliiſque Prodigiis Jeſu Chriſti Tiberio Cæſari ſcribens Pilatus, cùm res ejus pleraſque, tum quòd ex mortuis redivivus, ſibique ipſi ſuperſtes, Deus jam a multis, & quidem præcipuus eſſe crederetur, renuntiavit. Quam rem Tiberius ad Senatum retulit. Senatus autem non eſſe deliberandum de ea cenſuit, ſub illo quidem prætextu, quòd Ille non prius, veteri more, ipſius Senatus Sententiâ in Deos eſſet relatus : re autem ipſa, quòd Divinæ Doctrinæ Diſciplina humano prorſus non indigeret auxilio. Sed enim, etiamſi Senatus ad eum modum verbum de Servatore rejeciſſet, Cæſar tamen in Sententia ſua perſtitit, ſalutarique Prædicationi impedimento non fuit.*

Sic ſanè Summi Viri per omnem ætatem a II Chriſtiani Nominis Sæculo ad XIII. pleno conſenſu tradiderunt. Iis porro refragari, ac repugnare velle, an non Summæ temeritatis eſt, atque De-

Dementiæ? Repugnat tamen, ac refragatur hac ipsa ætate nostra Tanaquillus Faber, in Protestantium Schola Professor Salmuriensis, Tertullianum ex Actis Pilati apocryphis Fabellam hauisse dictitans; quam Cæteri deinceps ex ejus Fide descripserint imprudenter, transmiserintque ad Posteros. Scilicet non advertit imprudens ipse, Acta Pilati de Christi Virtutibus ad Tiberium missa, ad quæ deinceps Tertullianus, S. Justinus, & S. Lucianus, ambo Martyres, Romanos, cæterosque Ethnicos provocabant, ab iis longè diversa esse, quæ a Maximino Tyranno, Christianis infensissimo, conficta esse, narrat Eusebius *Lib. 9. Hist. Eccl. Cap. 6.*, plena impietatis, atque blasphemiæ. Ab iis quoque longè esse distincta, quibus, ùt Author est D. Epiphanius *Hæres.* 50., Quartodecimani Hæretici insigniter abutebantur; nec ad ea summos, quos retulimus, Viros digitum intendisse; sed ad illa potius, quæ, curante Pilato, a publicis Notariis excepta, Romamque transmissa, in publicis Archivis summâ curâ, & integra Fide servabantur. Unde & ad illorum Annales, ad illorum Commentarios, atque Archiva Tertullianus, Justinus, Lucianus liberè provocabant. Quis autem putet, Illos & famæ suæ, & Christiani Nominis gloriæ tam male consuluisse, ut ad spuria Instrumenta, quæ in Romanorum manibus essent, tam fidenter, tam liberè provocarent; quorum falsitatem Romani ipsi tam facilè retexissent; nec sine Christiani Nominis derisione, atque ludibrio suggillassent?

Sed nec ab omni veri specie abhorret, uti Tanaquillus contendit, Tiberium, Christo Ejusque Religioni minimè addictum, de Illo curasse, ut de ejus Apotheosi retulerit ad Senatum. Quidni enim id eum tentasse verisimillimum sit, Christi quidem, quæ didicerat, Operum admirabilitate permotum? Certè nec Christo, nec ejus Religioni addictus erat Adrianus Imperator: & is tamen, ut Author est Ælius Lampridius, ethnicus & ipse, *in ejus Vita, Templa sine Simulacris jusserat fieri; quæ ille ad hoc parasse dicebatur, ut Christo Jesu consecraret, nisi Sacrorum Consultores deterruissent*; veriti nempe, ne, si id egisset Adrianus, ad Christi partes, relicto Idolorum Cultu, Universi transirent. Nihilo magis Christo, Ejusque Religioni addictus erat Alexander Severus: & Hunc tamen *Christo Templum facere, Eumque inter Deos recipere voluisse*, idem Lampridius memorat; tametsi nefariis circumventus Consiliis executioni non dederit. Quid ergo, simile quidpiam tentasse Tiberium, qui, cùm Christi temporibus in vivis ageret, de Illius Mirabilibus eo faciliùs, ac certiùs instrui poterat, quòd sub ipsis Pilati oculis, Clientis ac Præsidis sui, patrata fuerant, a veri specie prorsus abhorreat?

Abhorret multò minùs a vero (qui alter Tanaquilli cavillus est)
Se-

Senatum Romanum respuisse, quod placuisset Tiberio. Ea quippe Tiberius erat Animi moderatione, ut sibi, suisque consiliis Senatum repugnare, ubi aliqua, vel specie tenus, justa subesset ratio, molestè non ferret. *Quædam*, inquit Svetonius *in vita Tiberii Cæsaris Cap.* 31. *adversus sententiam suam decerni, ne questus quidem est.* Imò, cùm vocem minùs idoneam, seu fortè barbaram, inter scribendum usurpasset aliquando, quam idcirco honoris gratia usu imposterum recipiendam, ac jure Latii donandam Aliqui dicerent, Quendam, Marcellum nomine, morosum verborum exactorem, æquo animo tulit liberè pronuntiantem: *Hominibus Cæsarem Civitatem Romanam dare posse, dictionibus non posse*; ut scribit Dio Cassius *Lib.* 57. Et mirabimur, Senatum Romanum optatam a Cæsare Christi Domini Apotheosim rejecisse, idque pacato animo tulisse Tiberium? Qui profectò, ni tantum tribuere Senatus Authoritati voluisset, negotium istud ad eum minimè detulisset.

Mirabimur longè minùs, si quæ Senatum Romanum, ut repugnaret, rationes impulerint, perpendamus: quod Caput est susceptæ Disputationis alterum. Prima, a Patribus paulò ante laudatis diligenter observata, ista est: quòd antea Christo Domino Divini Honores delati fuissent, quàm integra ad Senatum ipsum delata Res esset. Quare præreptam sibi Sacrorum Honorum decernendorum Athoritatem cùm ferret ægerrimè, Apotheosim, a Tiberio licèt optatam, decernere noluit. Altera; quòd, nisi cæteris Gentium Diis sua Sede pulsis, Jesus solemni Apotheosi consecrari non posset; quippe qui solus coli vellet, neminemque Divinorum Honorum consortem pateretur; ut ex ipsa Christianæ Religionis Doctrina probè novisse poterant, cùm ex ipso Pilato Cæsari scribente, tum ab aliis Christianæ Religioni jam addictis, qui fortè Romæ tunc aderant. Tertia; quòd Christum cernerent Paupertatis, Humilitatis, Mansuetudinis Assertorem, terrenæque gloriæ, fastus, & ambitus contemtorem, ac penitus inimicum; quæ quidem omnia præ cæteris Romano Imperio, quod armis stabat, & opibus, humanâque gloriâ, & dominandi libidine apprime fervebat, contraria videbantur. Quarta; quòd externa Sacra recipi vetuisset non ita pridem Senatus Augustus, ut innuere videtur Titus Livius *Lib.* 39. Quinta; quòd infami supplicio Christus fuisset affectus, Judæis quidem (popularibus suis) instantibus, atque urgentibus, sed tamen Viro Romano, qualis Pilatus erat, Sententiam pronuntiante. Sexta etiam addi posset; quòd videlicet Judæus genere Christus erat; Natio etiamtum Romanis invisa, vel saltem perperam affecta. Quibus tamen omnibus, ut ad negandam Christo Domino Apotheosim, rationibus moverentur, Divini Judicii Sapien-

pientia fecit: ne videlicet Christus, falsorum Numinum instar, Divinitatem ab Hominibus precariò videretur accipere: neve Christiana Religio, toto Orbe propediem diffundenda, Senatus Romani judicio, atque præsidio tuta, ejusdem Authoritate propagata in dies censeretur. Quibus addiderim ego, nec fortè addidisse pigebit, id etiam fortassis contigisse, ne tot præclarissimi Martyres Martyrii corona fraudarentur. Nullus etenim extitisset Tyrannus, in Romanorum saltem Dominio, semel ac a Romano Senatu publica Authoritate Christiana Religio approbata, Rituque solemni Divini Honores Christo nostro destinati fuissent.

Restat, ut de Epistolis videamus, quæ a Pilato ad Tiberium tunc temporis datæ referuntur: quas quidem spurias, ac pro arbitrio a quibusdam Nebulonibus confictas Nullus dubitat. Horum tria producuntur Exempla, quorum falsitas, suppositio, notheia in ipsos incurrit oculos. Primum, illudque pervetustum, *Claudio* inscriptum exhibet Hegesippus *in Anacephalæosi Librorum suorum de excidio Hierosolymorum*, quarto cadente Christiani Nominis Sæculo: ex quo illud transcripsit Baronius *in Annalibus ad annum Christi* 34. Alterum in eundem omnino sensum, elegantioribus tamen verbis, *Claudio Tiberio Neroni Imperatori* inscriptum refert Sixtus Senensis *Lib. 2. Biblioth. Sanctæ*, *in vetustis*, ut præmonet, *Bibliothecæ Vaticanæ Monumentis repertum*. Tertium in lucem edidit Florentinius *in Notis & Exercitationibus ad Apostolorum Indiculum: quod a Notatore quodam*, ut ait, *in antiqua pagina cum aliis memoratu dignis circa annum* 1480 *scriptum* invenit, a superioribus Exemplis & verbis, & sensu longè diversum. Quod, quia a Viris hodie eruditis melioris aliquantò notæ judicatur, integrum subijcere non pigebit. Est igitur hujusmodi apud Florentinium loco laudato pag. 113. *Pilatus Tiberio Cæsari Salutem. De Jesu Christo, quem tibi plane postremis meis declaraveram, nutu tandem Populi acerbum, me quasi invito & subticente, supplicium sumptum est. Virum hercle ita pium, ac sincerum nulla unquam ætas habuit, nec habitura est. Sed mirus extitit Populi conatus, omniumque Scribarum, & Seniorum Populi consensus: suis Prophetis, & more nostro Sybillis, præmonentibus, hunc Veritatis Legatum crucifixere: Signis etiam super Naturam apparentibus, dum penderet; & Orbi universo, Philosophorum judicio, lapsum minantibus. Vigent illius Discipuli opere, & vitæ continentiâ Magistrum non mentientes; imò in ejus Nomine beneficentissimi. Nisi ego seditionem Populi prope exstuantem pertimuissem, fortasse adhuc nobis ille Vir viveret. Etsi tuæ magis Dignitatis fide compulsus, quàm Voluntate mea adductus, pro viribus non restiterim. * Sanguinem justum, totius accusationis immunem; verùm Hominum malignitate ini-*

iniquè in eorum famen (ut Scripturæ interpretantur) exitium pati, & verecundari. Vale. IV. Nonas Aprilis.

In Singulis tamen Epiſtolarum Exemplis, ſeu Hegeſippi, ſeu Sixti Senenſis, ſeu demum Florentinii, aperta ſunt falſitatis, & ſuppoſitionis indicia. Vel enim iis ipſis Epiſtolis conſtant Acta integra a Pilato ad Tiberium Cæſarem miſſa, ad quæ Juſtinus, Tertullianus, Lucianus Ethnicos provocabant; aut certè tranſmiſſis fuſioribus Actis comites Epiſtolæ datæ ſunt. Primum illud tam falſum eſt, quàm quod maximè: cùm nonnulla iis Actis contenta notent laudati Patres, de quibus nihil extat in citatis Epiſtolis. Alterum non eſt veriſimile: cùm ſubmiſſa ſimul Acta nequaquam appellent Epiſtolæ illæ; ſed paucula Chriſti Prodigia compendio notent; nulloque interim verbo ſignificent, fuſiùs illa, atque prolixiùs adjunctis Actis contineri: quod certè Pilatum facere congruebat, ſi prolixioribus Actis conjunctas Epiſtolas dediſſet Imperatori.

Quid etiam, quòd ejuſdem ſenſus, ejuſdemque ſententiæ ab Hegeſippo, & Sixto Senenſi producuntur Epiſtolæ, verbis duntaxat inter ſeſe, ac loquendi formulis diſcrepantes? ut qui eas legerit, binas ejuſdem Autographi, Græci fortè, aut, ſi mavis, Hebræi, interpretationes latinas putet. Pilatus porro, ſi quas tunc Tiberio unà cum ſubmiſſis Actis dedit Epiſtolas, latinas profectò dedit; ut binas illarum verſiones latinas facere, neceſſe non eſſet. Niſi fortè quis dicat, Hegeſippum Græcè ſcribentem Pilati qualeſcumque Epiſtolas Græcè reddidiſſe; unde variæ deinceps interpretationes latinæ prodierint, verbis duntaxat, loquendique formulis aliquantò diverſæ. At nec id quidem conſtat, Hegeſippum Judæum genere, Græcè ſcripſiſſe: cujus imò Operum nullum Græcum extat Exemplar; uti Renatus Laurentius Barrenſis *in Prænotatione ad Libros de excidio Hieroſolymitano* ſapienter admonet.

Inſuper priora Exempla duo ab illius ætatis ſtilo non parum abhorrent; maximè verò primum ab Hegeſippo publicatum. Nonnulla præterea continent ambo, quæ Pilatum, Virum Romanum ac Cæſaris Adminiſtrum, literis ad Ipſum datis ſignificaſſe, non eſt veriſimile: ut quòd *Jeſus Judæorum Rex jure, ac meritò diceretur*: cùm alium Judæis Regem conſtituiſſet Tiberius. Unumquodque etiam illorum complectitur aliquid, aut apertè falſum, aut Pilato minùs utique congruens. Falſa, inquam, eſt prioris Inſcriptio: *Pontius Pilatus Claudio Salutem*: Quanquam enim ex Claudia Stirpe natus Tiberius, *Claudius* quoque ſit dictus; nuſpiam tamen ita ſimpliciter eſt appellatus; ſed *Tiberius Claudius Nero*: unde & vulgatum ſcomma a Svetonio fertur, ut pro *Tiberio Biberius*, pro *Claudio Caldius*, pro *Norone Mero* ab Æmulis diceretur. Pilato quoque mi-

minùs congruit periodus illa alterius Exempli : *Hoc expectabant Judæi, ut Deus illorum per Virginem juvenculam mitteret, qui jure Rex eorum diceretur : hunc me præsente misit in Judæam.* Unde enim rescire Pilatus potuit, Jesum ex Virgine Matre in lucem fuisse editum? Non utique a Judæis a Christo aversis ; qui Eum, uti Mariæ, ita & Josephi habebant filium. Sed nec a Judæis sectatoribus Christi ; quorum profectò perpauci illibatæ Illius Conceptionis Mysterium noverant : qui verò noverant, necdum, ante illapsum Spiritus Sancti, & publicam Evangelii Prædicationem, propalandum rebantur.

Postremum tandem, quod descripsimus, Epistolarum Exemplar, tametsi notæ aliquantò melioris Eruditis hodie videatur, multis tamen Capitibus peccat, quæ fraudem produnt quàm patentissimam. Ipso enim statim initio significat Pilatus, se de Christo, priusquam morti addiceretur, priores ad Tiberium Epistolas destinasse : *De Jesu Christo*, inquit, *quem tibi plane postremis meis declaraveram, nutu tandem Populi acerbum, me quasi invito & subticente, supplicium sumptum est. Virum hercle ita pium, ac sincerum nulla unquam ætas habuit, aut habitura est :* quod scripsisse Pilatum, nemo sibi facilè in animum inducet. Si enim talem Jesum Tiberio datis antea Literis declarasset, incredibile omnino est, eum tam cito, ac nec spectato quidem Rescripto, importunis Judæorum querelis, atque clamoribus cessurum fuisse, ut acerbum de Illo supplicium sumerent. Imò qui Illum a morte liberare tantopere cupiebat, eo præsertim obtentu expectandi Rescripti Cæsarei, Caussam saltem traxisset in longum ; non hac ipsa die, qua cœpta est, latâ suis ingratiis Sententiâ finivisset. Addit subinde Pilatus, *Judæos Veritatis Legatum crucifixisse, signis etiam super Naturam apparentibus, dum penderet, & Orbi universo Philosophorum judicio lapsum minantibus*. At qui tunc Philosophi Hierosolymis aderant, qui ea de re judicium ferre possent? Attendit haud dubiè Epistolæ Fabricator ad vulgatum Dionysii verbum, qui Solem, quo tempore pendebat Christus, præter Naturæ Leges obscuratum cernens (erat etenim ea die Plenilunium, quo Solaris Eclipsis naturaliter contingere nequit) exclamasse fertur : *Aut Deus Naturæ patitur, aut Mundi Machina dissolvitur*. At hoc, præterquam a Recentioribus duntaxat est traditum, vertiturque in dubium, Athenis tamen a Dionysio dictum fertur, non Hierosolymis : cujus idcirco notitiam Pilatus, dum scriberet, nullam habere poterat. Subjungit : *Vigent illius Discipuli opere, & vitæ continentiâ Magistrum non mentientes ; imò in ejus Nomine beneficentissimi*. Nempe ad prodigia ab Apostolis in Hominum beneficium patrata alludit : qualia tamen nulla

ante illapsum Spiritus Sancti sunt acta : & tamen, si Superis placet, data notatur Epistola *IV. Nonas Aprilis*, diu scilicet antequam in Apostolos Spiritus Sanctus illaberetur. Prosequitur Epistolæ quisquis est Author : *Nisi ego Seditionem Populi prope exfluantem pertimuissem, fortasse adbuc nobis ille Vir viveret.* Certè de Christo extincto, ac nondum a mortuis excitato ista dicuntur : de Viro enim ad vitam reduce nemo sic diceret. Secunda tamen Aprilis die, qua data notatur Epistola, ad vitam redierat Christus ; si, quod habet communis Ecclesiæ Traditio, die 25. Martii in Crucem est actus : aut certè nondum secunda Aprilis die extinctus erat ; si, quod nonnulli ætatis nostræ Cronologi putant, die duntaxat Aprilis quarta suffixus est. Quòcunque ergo res cadat, in vitio deprehenditur Epistolæ Fabricator. Nec est, quòd quis nobis obtrudat, secundam illam Aprilis diem, qua data perscribitur Epistola, sequentis anni esse, non illius, quo passus est Christus ; eaque idcirco verba *fortasse adbuc nobis ille Vir viveret* Christi ad Superos Ascensum subindicare. Ecquis enim credat, Pilatum suam illam de rebus a Christo præclarè gestis, deque nova ab Eo indicta Religione narrationem in annum alterum distulisse? Cùm tanti Cæsaris interesset, ista rescire, ut si quos fortè motus exciret nova per Christum inducta Religio, Prudentiâ suâ sedaret, atque compesceret. Superest Epistolæ extrema periodus sensu vacua : *Sanguinem justum, totius accusationis immunem ; verùm Hominum malignitate iniquè in eorum famen (ut Scripturæ interpretantnr) exitium pati, & verecundari.* Quod tamen, non ipsi Epistolæ Fabricatori, sed antiquæ paginæ a Notatore descriptæ vitio tribuendum existimo.

Rejiciendæ sunt itaque, & ad quisquilias amandandæ, quæ a Pilato Judææ Præside ad Tiberium datæ feruntur Epistolæ : quanquam Eum submissis ad Cæsarem Actis & Instrumentis, patratorum a Christo Prodigiorum fidem facientibus, Literas Actorum comites addidisse, verisimillimum sit ; quæ tamen vetustate temporis interierint.

Tria itaque, Viri Theologi, in hoc, quod expendimus, de Christi nostri Divinitate Argumento hodierna luce præstitimus. Primo, alteroque Judæorum pervicaciam, qua Divinos Eidem Honores, atque Prærogativas impio conatu nituntur eripere, Ethnici Imperatoris Exemplo, qui Ejus Apotheosim, tametsi frustra, Romæ curaverat, & Romani Senatus judicio, qui injustis de caussis, & futilibus prorsus rationibus ductus eandem rejecit, infringere pertentavimus : tertio verò, oblata veluti occasione, Pilati de Christo Acta ad Cæsarem missa, ad quæ primorum temporum Christiani, & Martyres Sanctissimi Tyrannos suos, cæterosque Idololatriæ Sectatores provocabant, non ea profectò esse, quæ

ex

ex Pilati Epistolis (a Nebulonibus quibusdam pro arbitrio, uti dicebam, confictis, aliisque minùs cautis Scriptoribus ullo absque criterio probatis) contineri videntur, ostendimus: neque enim Christi Divinitas falsis, & spuriis indiget Testimoniis. Reliquum modò est, ut ad viam pristinam, a qua paulisper consultò defleximus, redeamus: novumque adversus Judæos, quos nondum plenè subegimus, ex postremo sacris Oraculis prænuntiati Messiæ Charactere certamen vehementiùs instauremus: quod proxima polemica Prælectione, Illo, cujus hìc Caussam nos agimus, opitulante, perficiemus.



PRÆLECTIO XI.

Christum de Virgine nasciturum Oracula Sacra testari; hocque adamussim in Jesu nostro fuisse expletum, quàm evidentissimè demonstratur.



E partu Virgineo, quo Christus in lucem edendus erat, nulla nobis cum Judaica Synagoga lis esset, si Deum illum futurum (quod jam abunde probavimus) unà nobiscum agnoscerent. Quid enim tam Deum deceat, Hominem inter Homines proditurum, quàm de illibata Virgine nasci? At, ut illud perfractè negant, ita & istud pari audacia, atque perfidia diffitentur. Quare, ut postremam istam promissi Messiæ Notam ex superioribus jam sponte fluentem paucis expediam, rem ferme totam ad unius Isaiæ Oraculi criterium revoco, cujus occasione gravis Christianos inter, atque Judæos Controversia dudum emersit: *Ecce virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum, & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum*, Isaiæ *Cap.* 7. Quod in Deiparæ partu impletum esse testatur Matthæus *Cap.* 1.: *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ecce Virgo in utero habebit, & pariet filium &c.*

Utque id ab Omnibus intelligi facilè possit, occasionem, qua fusum Oraculum est, paucis exponam. Rasin Rex Syriæ, & Phacee Rex Israel sociatis viribus, & Copiis Civitatem Jerusalem obsidione cinxerant, eamque vehementer urgebant, & Achazum Regem Juda ad extremas angustias adigebant; cùm Deus, misso Isaia Propheta, Regi Achazo periclitanti fecit animum, spoponditque brevi futurum, ut ab iis Hostibus eximeretur. Is minùs integram fidem Prophetæ præstitit; quòd in tam præcipiti rerum eventu promissam Liberationem ab omni veri specie remotissimam existimaret. Quapropter, ut Promissis fidem adderet Isaias, spopondit, se Miraculum, quodcumque liberèt, in Achazi oculis editurum in prolatæ Prophetiæ confirmationem. Renuit impius Rex, nolle se, inquiens, tentare Dominum. Tunc despectum se sentiens Isaias, converso sermone ad Domum David, cui duram in Deum cervicem exprobravit, futurum spopondit, ut Deus sponte sua Portentum omnium maximum ederet, Virginis scilicet pariturae, cujus Filius *Emmanuel*, hoc est, *nobiscum Deus*, vocandus esset: addiditque,

ditque, Terram duorum illorum Regum Jerusalem obsidentium devastatum iri, antequam Virginis pariturae Filius annos attingeret Rationi proximos : *Propter hoc*, inquit Propheta, *dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel : Butyrum, & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum. Quia antequam sciat Puer reprobare malum, & eligere bonum, derelinquetur Terra, quam tu d testaris, a facie duorum Regum suorum.*

Eo Oraculo prænuntiatum Messiæ ortum summo consensu contendimus quotquot Christiano nomine sumus ; favetque nativus Scripturæ sensus, si paulò penitius perpendatur. Cùm etenim impius Achaz fieri non posse crederet, ut Dei ope a duobus potentissimis Hostibus liberaretur, signaque in promissæ Liberationis confirmationem oblata respueret, significare voluit Deus, in ipsius nutu esse positum, ut majora Prodigia edat, & ab Hostibus longè potentioribus Homines liberet. Quare facturum se, inquit, ut etiam Virgo gravida gigneret, Deumque pareret, totumque Humanum Genus a Diaboli tyrannide, cujus levem imaginem duo illi Reges Jerusalem obsidentes præferebant, sine cunctatione liberaretur.

Judæi e contrario nihil, quod Messiam contingat, eo Vaticinio prænuntiari volunt ; Christianosque emunctioris esse naris existimant, qui magna inibi Mysteria subodorentur, ubi nulla re ipsa sunt. Quare tria ponunt hujusce Vaticinii occasione : primùm, perperam in Vulgata Ecclesiæ Versione legi *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium*; cùm hebraica vox *Habalmà*, quæ in primigenio Textu legitur, non Virginem necessariò sonet, sed Puellam adolescentulam, quæcumque sit illa, sive Virum experta, sive intacta, sive nupta, sive innupta. Secundò, nihil Miraculi fore ajunt, tametsi necessariò legendum esset *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium* : id enim, inquiunt, eo sensu dictum non esset, quasi Virgo servata Virginitate Deum conciperet ; sed quòd Virgo cùm esset antea, Filium, deflorata Virginitate, parturiret. Eo planè modo, quo Christus de Miraculis a se patratis Joanni renuntiari jussit, *Cæci vident, Claudi ambulant, Surdi audiunt*, Matth. *Cap.* 11. : non quasi in ipsa cœcitate, & surditate viderent, atque audirent ; sed quòd Cœci, Surdique cùm essent antea, sanata jam cœcitate, ac surditate, integris Sensibus uterentur. Tertiò, prænuntiatum eo Vaticinio contendunt longè alium a Messia ; Ezechiam scilicet filium Achaz, ut Aliquibus placet ; seu etiam ipsius Isaiæ Filium nasciturum ; ut Alii magis probant ; quo necdum ex ephebis egresso, Syriæ Regnum devastatum est.

Tria hæc æquè falsa demonstrare, Officii nostri est, si quo felici

lici exitu Judæos volumus exagitare, ac celeberrimum Vaticinium, quo maximè Fides Catholica nititur, ab impuris Cavillationibus vindicare. Agedum, nostram advocationem domesticæ Caussæ accommodemus. Hoc primum esto hodiernæ Prælectionis Caput: Legendum omnino in Isaiæ Oraculo *Ecce Virgo concipiet*, nec vox illa hebraica *Habalmà* cum articulo emphatico *ba* scripta anceps habenda, quasi in Puellam, sive quæ Virum passa sit, sive quæ ejus fuerit expers, ex æquo congruat: sed ei soli necessariò competit, quæ Virginitatem adhibitâ custodiâ servarit; quæque ad eam custodiendam abstinuerit publico, & intra parthenonos septa se continuerit.

Enimvero vox *Habalmà* ab hebraico themate *balàm*, quod abscondere propriè significat, derivatur. Hincque ad denotandam Virginem integram desumpta est, quod olim in more positum esset, ut Virgines magnâ diligentiâ secluderentur, & ab omni Virorum accessu semotæ custodirentur: ut videre est *Lib.* Esther *Cap.* 2.: tum apud Josephum *Lib.* 7. *Antiquitatum Judaicarum Cap.* 7., ut Scriptores profanos silentio mittam. Hinc Salomon Virginem describens *in Canticis Cap.* 4. *Hortus conclusus*, inquit, *soror mea Sponsa*, *bortus conclusus*, *fons signatus*; quòd nempe Virgines clausæ, obseratæ, obsignatæque essent, ut inviolatum Virginitatis suæ sigillum, & integra pudoris claustra custodirent.

Hoc ipsum confirmant alia non pauca Scripturarum Exempla, ubi eadem illa hebraica vox *Habalmà*, cujus occasione cavillari Judæi solent, ad Virginem Viro prorsus incognitam denotandam usurpata est, præmisso articulo illo emphatico *ba*. *Genesis Cap.* 24.; ubi de Rebecca nondum certè deflorata Versio latina habet, *Puella decora nimis*, *Virgoque pulcberrima*, *&* *incognita viro*, Textus hebraicus habet *Habalmà*. Idem Mariæ sorori Moysi attribuitur nomen *Exodi Cap.* 2, quo tempore necdum Viro subacta fuerat. Uno verbo, nullus in universa, qua latè patet, Scriptura Sacra Contextus adnotari potest, ubi ea hebraica Dictio usurpata legatur ad Iuvenculam Viro cognitam designandam. Nolim in his mihi fidem integram dari, quippe qui vix aliquid in hebraicis literis balbutire audeo; sed detur integra Hieronymo, Viro hebraicè longè doctissimo, qui hebraicos Codices non secus, ac digitos suos, & ungues noverat. *Ostendant itaque Judæi*, inquit ille, *in Scripturis alicubi positum* Hahalmà, *ubi Adolescentulam tantùm*, *&* *non Virginem sonet*; *&* *concedimus eis*, *illud*, *quod in Isaia apud nos dicitur* Ecce Virgo concipiet, & pariet *non absconditam Virginem*, *sed Adolescentulam significare jam nuptam*. Ita *Lib. Quæst. Hebr. in Genesim*. Quo circa tria esse hebraica nomina observat Sanctissimus Doctor *Lib.* 1. *contra Jovinianum*, quæ solent

lent hac in materia Sacris in Literis uſurpari : Primò, *Naarà*, quod adoleſcentulam ſimpliciter ſonat, ſeu virgo ſit, ſeu corrupta : eſtque propterea ætatis duntaxat nomen : Secundò, *Betbulà*, quod ex adverſo virginem ſonat, ſive adoleſcentula ſit, ſive ætate provecta : eſtque idcirco duntaxat integritatis nomen : Tertiò, *Habalmà*, quod utrunque ſimul ſignificat ; virginem ſcilicet, & adoleſcentulam, ut integritatis ſimul, & ætatis teneræ nomen ſit: eoque ultimo propterea uſum Iſaiam celebri illo, quod expendimus, Vaticinio, ut adoleſcentulam ſimul & virginem parituram deſignaret. Hinc & Lingua punica, quæ ex hebræa nata eſt, *Habalmà* Virginem ſonare, idem ille nobis eſt Author in ſuis ad Iſaiam Commentariis.

Accedit in hujuſce Catholicæ Veritatis confirmationem ſeptuaginta Interpretum fides ; quibus non ſtare Judæis religio debet eſſe : ii quippe & Genere, & Religione Judæi erant. Oraculum autem illud græcè vertentes, nulla circuitione uſi, Παρθένος reddiderunt, quod Virginem integram denotare nemo neſcit : ἰδοὺ ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ λήψεται υἱόν. *Ecce Virgo in utero concipiet Filium*. Ita pariter habent Paraphraſes Chaldaicæ, Verſiones Syriaca, & Arabica, *Virginem* perinde vertentes. Quibus ex recentioribus adiungendus venit R. David Kimchi *in Libro Radicum*, ubi eandem illam ſignificationem ineſſe Dictioni *Habalmà* disertè docet. Quare ridendi omnino veniunt recentiores Hebræi, qui Verſiones Symmachi, Aquilæ, Theodotionis nobis obtrudunt, ubi loco Virginis *Juvenculam* tranſtulerunt. Quis etenim neſciat, Symmachum Ebionitarum Hæreſi fuiſſe infectum, quibus Jeſu Matris Virginitatem inficiari ſolemne erat ; Aquilam, & Theodotionem Proſelytos fuiſſe judaizantes, qui ſuas Scripturæ Sacræ Verſiones ſuis Erroribus accommodarunt ? Egregij ſanè Viri, qui in hacce eliquanda Controverſia judices audiantur ! Scilicet, qui adverſæ Partis Erroribus polluuntur. Certè, conſule Atheos, negabis Deum. Quid ergo mirum, ſi profeſſi Marianæ Virginitatis oſores Semi-Judæi hoc illi Oraculum, quo ea maximè nititur, doloſis Verſionibus eripuerint?

Ludunt pariter, illuduntque, qui vulgatum noſtrum Interpretem, alia Scripturæ Loca reddentem, *Adoleſcentiam, & Adoleſcentulas* quandoque vertiſſe, nobis opponunt, ubi vocabulum *Habalmà* in Hebræo Textu poſitum erat : ut *Proverbiorum Cap.* 30. : *Tria ſunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro. Viam Aquilæ in Cælo, viam Colubri ſuper petram, viam Navis in medio mari, et viam Viri in Adoleſcentia*. Et *in Canticis Canticorum Cap.* 1. : *Adoleſcentulæ dilexerunt te*. Primam quippe adoleſcentiam intelligit Salomon *in Proverbiis*, qua quis adhuc deliteſcit, & abſconditus

tus est, adeoque Adolescentiam virginalem; idque sibi vult unum, ignorari viam Viri in prima adolescentia sua, quia ex prima Viri adolescentia dignosci non potest, quis tandem futurus sit. *Habalmà* itaque Adolescentiam sonare non diffitemur: at non qualemcunque, sed absconditam, ignotamque; adeoque virginalem, qualem professò Salomon intelligi vult, ejusdemque vulgatus Interpres. Nec minùs Adolescentulas Virgines intelligit *in Canticis Canticorum*, quas & a Reginis, & a Concubinis, quæ Virum scilicet passæ fuerant, apertè distinguit *Cap. 6.: Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta Concubinæ, & Adolescentularum non est numerus*; quæ nondum Viro subactæ fuerant.

Jam, quod alterum Judaicæ Cavillationis Caput attinet, id pari fide, atque constantia pronuntio: Virginem parituram eo Isaiæ Oraculo designari, quæ servata Virginitate Filium edat. Conceptum etenim Virginis portendit eo loci divinus Vates, uti Signum ingens; hoc est, veluti rem novam, inusitatam, prodigialem: *Pete tibi signum a Domino Deo tuo*, inquit ille, *in profundum Inferni, sive in excelsum supra*. Quid verò novi, ac prodigii haberet, si Puella more communi Fœminarum post delibatam Virginitatem Filium esset paritura? Unde Hebraicus Textus ita periodum effert, ut plane Virginitatem partui coniungat. Ita quippe, si voculas ipsas, ac syllabas religiosiùs æmulari velimus, legendum venit: *Ecce Virgo prægnans, & pariens filium*. Atque hæc ipsa novitas est omnibus retro Sæculis ignorata; quam verbis paululum immutatis vaticinatus est Jeremias *Cap. 31.: Creavit Dominus novum super Terram; Fœmina circumdabit Virum*: cùm tamen, si Judaicis interpretamentis aures accommodemus, nullam esse novitatem plane liqueat, totumque, quantum quantum est, Conceptionis Miraculum evanescat.

Tertium tandem, quod obtrudunt, ludricum prorsus est, ac desperatæ Caussæ apertissimum Argumentum: eo scilicet Isaiæ Oraculo portendi ortum Ezechiæ filii Regis Achazi, aut certè ortum Filii ipsiusmet Isaiæ Prophetæ. Insulsum plane Commentum. Fac enim, Filium de Virgine nasciturum non prænuntiari hoc loco: fac non promitti *Emmanuelis*, hoc est, *Pueri Divini* Conceptum: fac, uno verbo dicam, nihil nisi communem Partum denuntiari: necdum tamen ad Ezechiæ filii Achaz, aut etiam ad ipsius Isaiæ Filii Nativitatem prænuntiandam Oraculum istud flecti posset, ut Judæi plus nimio imprudentes, nec satis in Historia Sacra versati fabulantur. Qua etenim, amabo, forte Ezechiæ Ortum prænuntiasset tunc temporis Isaias, uti illorum Aliqui volunt; cùm is diu antea esset, multosque jam annos numeraret? Ita porro rem esse, ex Sacris Literis liquet: Achaz enim, quo regnante Vaticinium

nium istud fusum est, *sexdecim annis regnavit*, ut habetur *Lib.* 4. *Regum Cap.* 16. Achaz autem Ezechiam filium suum *annos viginti quinque natum* hæredem Regni reliquit, uti *Cap.* 18. legere est: annos ergo circiter decem numerabat Ezechias, dum Achaz Pater ejus Regnum obtinuit; atque adeo multò plures numerabat annos, dum Achazo Regnum obtinente Oraculum istud, quod expendimus, ab Isaia pronuntiatum est.

Sed neque felicioribus ventis mare istud enavigant, qui ipsius Isaiæ Filii Ortum portendi eo Vaticinio commenti sunt. Illius etenim Pueri Ortus portenditur, quo necdum annos Rationi proximos obtinente Samaria devastanda erat: *Antequam sciat Puer reprobare malum, & eligere bonum, derelinquetur Terra, quam tu detestaris a facie duorum Regum.* Seu, ut sequenti *Capite* dicitur *v.* 4. *Antequam sciat Puer vocare Patrem suum, & Matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ*: At, quo tempore Regnum Samariæ eversum est, annos facilè sexdecim Isaiæ Filius numerabat; utpote qui jam anno quarto Regni Achaz natus erat; adeoque diu ante bonum a malo secernere noverat; aut certè diu ante, Patrem, ac Matrem ex nomine appellabat. Rursus illius Pueri Ortus denuntiatur, cujus Mater, sin minùs Virgo, at saltem Juvencula erat; ita quippe Judæi volunt: at Isaiæ Uxor iuvencula tunc profectò non erat; sed vetula potius: non itaque illius Filii Ortus describitur eo loci. Suis igitur retibus implicantur Hebræi, dum ista Suffugia quærunt, ut eliquatissimæ veritati nebulas offundant, Partumque virgineum singularem promissi Messiæ Prærogativam inficientur.

Quod opponunt, nihilominus difficultatem non levem habet, multorumque torsit Ingenia. Ajunt quippe, incredibile prorsus esse, ut Isaias Achazo a duobus Regibus obsesso futuram liberationem promittens in hujus promissæ liberationis fidem Signum dederit Partum illum Virgineum, & Ortum Messiæ, quem nos annis circiter octingentis post Achazi obitum contigisse existimamus. Rei etenim promissæ Signum, quo nobis promissionis veritas confirmatur, rei promissæ exitum antevertere necesse est: aliàs nullam nobis promissæ rei fidem faciet. Non ergo Jesu nostri Ortus eo Vaticinio portenditur.

Verùm non est ita, ut ajunt, non est ita. Neque etenim Isaias Virgineum Partum, uti prognòsticum Signum futuræ liberationis Achazo dederat; sed contra potius, cùm prognosticum Signum, seu Miraculum ab Isaia edendum nollet Achaz, Prophetamque uti falsum Hariolum despicaretur, nullam Dictis ejus, & promissæ Liberationi fidem adjungens; is, ut verum se Prophetam ostenderet, Deumque majora præstare posse, quàm quæ hac occasione Achazo promittebat, significaret; Partum Virgineum Miraculorum omnium maximum, prænuntiavit, totumque Humanum Genus Diaboli tyrannide libe-

randum vaticinatus eſt. Non ergo Partus Virgineus, Ortuſque Meſſiæ, tanquam prognoſticum Liberationis Achazi Signum datum eſt; imò potius tanquam Signum poſthumum, ac rememorativum, ut ita loquar, Prophetiæ præcedentis: ut videlicet Homines a Diaboli tyrannide Meſſiæ Miniſterio tandem aliquando liberati anteactæ Liberationis Achazi recordarentur.

Extant Divinis in Literis iſtiuſmodi Signa poſthuma, ſeu memniſtica longè multa. *Exodi Cap.* 3. Deus Moyſen Populi Liberatorem mittens, *hoc habebis ſignum*, inquit, *quòd miſerim te: Cùm eduxeris Populum meum de Ægypto, immolabis Deo ſuper Montem iſtum*. Hæc porro Immolatio Populi exitum, Moyſiſque Miſſionem diu ſubſecuta eſt. *Primi Regum Cap.* 10. Samuel poſt inunctionem Saulis in Regem, *Et hoc tibi ſignum*, inquit, *quia unxit te Deus in Principem. Cùm abieris hodie a me, invenies duos Viros juxta ſepulchrum Rachel*; & alia, quæ nonniſi poſt Saulem inunctum geſta ſunt. Sunt igitur Signa poſthuma, & memniſtica priorum, non prognoſtica futurorum. Neque refert, quòd in vivis futurus non eſſet Achaz, dum Virgo Chriſtum eſſet paritura; quia non Achazo ipſi prodigiale illud Signum ab Iſaia datum eſt, ſed Domui David: *Audite ergo Domus David*: quæ ad id uſque temporis perennatura erat.

Reponunt Viri propoſiti tenaces, hujus Pueri Ortum portendi laudato Iſaiæ Vaticinio, quo diſcretionis annos nondum aſſecuto Regna Damaſci, & Samariæ devaſtanda erant: at non modò ante diſcretionis annos a Jeſu noſtro habitos, ſed & diu antequam oriretur in Terris utrunque Regnum fuerat devaſtatum: non itaque Prophetia illa refertur ad Jeſum. Verùm non advertunt Viri carnales, & in uno literæ cortice duntaxat hærentes, Prophetam pro more ſuo a Figura ad rem ipſam deſignatam tranſvolare; a temporali Liberatione Achazi, ab obſidione Raſin, & Phacee ad Liberationem Humani Generis a diabolica Servitute, cujus hæc nonniſi ſymbolum erat. Nihil ergo ſibi vult aliud Iſaias iis verbis, *antequam ſciat reprobare malum, & eligere bonum: antequam ſciat vocare Patrem ſuum, & Matrem ſuam*; quàm Genus Humanum precocibus venturi Meſſiæ Virtutibus, ac laboribus a peccati tyrannide liberatum iri. Quare & ea parte figurata locutio eſt. Sexcenta Prophetarum Exempla dare facilè fuerit, ubi eodem plane Contextu a typis ad antitypa, a Figuris ad Chriſtum tranſitum faciunt, niſi otioſi hominis eſſet in re compertiſſima demonſtranda diutiùs immorari.

Quæ hactenus in explicando, tuendoque Iſaiæ Vaticinio diximus, majorem ex aliis Oraculis lucem accipiunt, quæ Fœminam tandem aliquam abſque Viri copia parituram portendebant. Quanquam enim quis eo Partu in lucem edendus eſſet, non ita, ut Iſaias, adnotarint; hujus tamen Ortus Prærogativâ, ſi res ita contingeret, præ cæteris

teris dignum Messiam Judæos non arbitror negaturos. Et quidem *Levitici Cap.* 12. ita Moysen Deus alloquitur : *Loquere filiis Israel, & dices ad eos : Mulier, si suscepto semine pepererit Masculum, immunda erit septem diebus, juxta dies separationis menstruæ.* Ut quid verò clausula illa, *si suscepto semine pepererit*, si nulla unquam Mulier, nisi suscepto semine, paritura erat? Certè aut supervacua plane circumscriptio illa fuit, aut Mulierem aliquam nullo suscepto semine parituram eâ loquendi formulâ significavit. Pariter *Exod. Cap.* 13. : *Sanctifica mihi omne Primogenitum, quod aperit vulvam in filiis Israel, tam de Hominibus, quàm de Jumentis.* Quid hoc quoque, *quod aperit vulvam*, si nullus unquam futurus erat Primogenitus, qui Matris vulvam non aperiret, atque ex Matre integra nasceretur? Non absimiliter *Lib.* 2. *Regum Cap.* 7. ita Deus Davidem alloquitur: *Cùmque completi fuerint dies tui, & dormieris cum Patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo Regnum ejus* : Et *Psalmo* 131. : *Juravit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eam : de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Quod non de Salomone diu antea nato, sed de Christo ex Davidis Genere orituro intelligere necesse est. Quid hìc porro Christus ex Davidis *utero*, seu *ventre* egressurus dicitur? Cùm potius ex Patrum lumbis, non ex Patrum ventre, vel utero nascantur Filii : nisi quòd illic Virginis Matris uterus designetur, de quo solo Christus Dominus, promissum Davidi semen, non de lumbis, & semine Viri proditurus erat. Ingeniosa Tertulliani observatio est *Lib.* 3. *contra Marcionem Cap.* 20.; & S. Irenæi *Lib.* 3. *adversus Hæreses Cap.* 21.

In hanc usque diem de variis prænuntiati Christi Dotibus, & Characteribus diximus; ut falsa Judæorum præjudicia revelleremus, quibus longè alium oriturum sibi Christum animo fingunt, quàm quem Sacra Scripturarum Oracula promiserunt. Postulat in præsentia suscepti operis ratio, ut de præfinito salutaris Adventus tempore dicamus. Quod ubi semel Jesu nostro nascente elapsum, impletumque probaverimus; certo jam, invictoque Momento colligemus, talem dudum re ipsa venisse Christum, qualem venturum Lex, & Prophetæ prænuntiaverant.



PRÆLECTIO XII.

Christum stante secundo Templo Mortalibus oriturum, Propheticis Testimoniis, aliisque Momentis evincitur.



ABsoluta de Christi promissi Notis, Dotibus, Characteribus prolixiori Tractatione, qua Judæorum ignotum Sacris Vatibus Liberatorem effingentium hallucinationes reteximus, consutavimus, alteram de præfinito optati Adventus tempore Commentationem aggredimur, ut Judaicam perfidiam, undecumque id fieri poterit, impetamus. Hactenus omnes veri Messiæ Dotes Sacris in Literis præsignatas uni Jesu Nazareno congruere, multis ostendimus; nunc notatas salutaris Adventus periodos, nec non definita Ortus illius optatissimi tempora in ejusdem Jesu nostri ætatem incidere, admotis veluti calculis, demonstrabimus.

Cæterùm, ut est istud magnæ molis Opus, nec una Prælectione conficiendum, rem totam per partes aggrediemur; hocque unum erit hodiernæ Prælectionis Argumentum; Messiam a sacris Vatibus prænuntiatum certissimè nasciturum fuisse stante adhuc secundo Salomonis Templo; seu, ut clariùs dicam, stante Salomonis Templo, quale a Zorobabele post solutam Captivitatem Babylonicam sub Cyro Persarum Rege instauratum erat: nec ultra post secundi Templi hujus excidium Adventum Messiæ protrahi posse. Quare cùm instauratum a Zorobabele Salomonis Templum annis subinde post Christum nostrum in Cœlos elatum triginta septem eversum, Soloque æquatum fuerit sub Vespasiano, & Tito; consequens omnino est, Messiam ante Vespasiani, ac Titi Imperium adventasse, rectèque idcirco salutaris illius Adventus Epocham in Jesu Nazareni ætatem incidisse. Atque ita Judæos ignoranter, ac perperam suum etiamnum hodie Liberatorem expectare, qui dudum advenit.

Amplam nobis probationum copiam subministrat Aggæus Propheta *Cap.* 2. Prophetiæ suæ, si cum *Libro primo* Esdræ *Cap.* 3. conferatur. Rem paucis exponam, ut eruendi inde Argumenti vis percipi faciliùs possit. Eversâ primitus Hierosolymâ, dirutoque Salomonis Templo, Judæos captivos in Babylonem deportaverat Nabuchodonosor Rex anno ante Christum nostrum sexcentesimo sexto. Annos septuaginta perduravit sæva Captivitas; quibus demum exactis, Judæi a Cyro Persarum Rege libertate donati sunt, veniamque Templi instaurandi, suis tamen sumptibus, impetrarunt.

runt. In hanc operam potiſſimùm intenderunt Zorobabel filius Salaihiel, & Jeſus filius Joſedech. Verùm, ut erant tunc temporis Judæorum acciſæ Vires, exhauſtum Ærarium, adeo inſtaurati Templi moles a prioris Templi pompa, majeſtate, & magnificentia procul aberat, ut quotquot inter Judæos levem aliquam priſtini Templi memoriam retinerent, in lacrymas ſolverentur. Lacrymantem Populum ſolatus eſt Deus, inſtaurati Templi Prærogativas, quibus priſtinum ſuperaret, commendando, ac celebrando hiſce verbis, obſervatione digniſſimis apud Aggæum Prophetam *Cap.* 2: *Adhuc unum modicum eſt, & ego commovebo Cœlum, & Terram, & Mare, & Aridam: & movebo omnes Gentes. Et veniet Deſideratus cunctis Gentibus: & implebo Domum iſtam gloria, dicit Dominus exercituum . . . . . Magna erit gloria Domus iſtius noviſſimæ, pluſquam primæ, dicit Dominus exercituum: & in loco iſto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.*

Tot hic in Judæos decretoria Argumenta, quot Verba: tot Effata, quot Apices. En etenim Deſideratum cunctis Gentibus, qui Templum illud ſecundum a Zorobabele inſtauratum ſuâ gloriâ ſit repleturus: en Pacem ſalutarem eo in Templo dandam Hominibus: en Cælum Terramque, ac omnes etiam Orbis Populos commovendos: en noviſſimi Templi gloriam priſtini Templi gloriâ ſuperiorem, majoremque. Stant porro univerſa hæc in noſtra Chriſtianorum Hypotheſi; qua ponimus, verum Meſſiam Templum iſtud ſecundum (antequam a Romanis everteretur) Præſentiâ ſuâ, Miraculis, Adhortamentis, Orationibus illuſtraſſe, conſecraſſe. Meſſias enim Deſideratus cunctis Gentibus Sacris in Literis nuncupari ſolet: Is ſalutarem animorum pacem, reconciliato Hominibus Deo, Fidelibus dedit: Is novæ Legis inſtitutione, omniumque Gentium in unius Eccleſiæ Fidem conſociatione Cœlum, Terram, Populoſque commovit univerſos: Is Divina prorſus Majeſtate, ac Gloria, qua major Salomone fuit, Templum replevit, & illuſtravit: ut plane tot illis Titulis ſecundum hoc Templum, priſtinum modis omnibus ſuperarit. Atque ita in Chriſtianorum Hypoteſi, Aggæi Prophetia plenam, & integram ſortita eſt veritatem. Verùm in Hypotheſi Judæorum, qui Meſſiam ſecundum illud Salomonis Templum Præſentiâ ſuâ illuſtraſſe diffitentur, eumque temporibus illis Mundo illuxiſſe inficiantur, quocumque ex capite Aggæi Prophetia falſa eſt: nihil enim eorum, quæ ab Aggæo ſunt memorata, eo in Templo peractum eſſet, unde prioris Templi gloriam ſuperaſſe aliqua veritatis ſpecie dici poſſet.

Riſum tenere vix poſſum, dum Judæorum Effugia recolo, quibus Argumenti hujuſce vim elidere adnituntur. Jactant ſcilicet Nonnulli ad hujuſce ſecundi Templi gloriam exaggerandam, Alexan-

xandrum, Macedonum Regem, ad illud aliquando supplicem accessisse; magnumque Herodem hoc idem Munificentiâ plane regiâ exornasse. Sit ita porro, per me licet; an ergo propterea pristini Templi Dignitatem, & Gloriam superasse dici posset, quasi Alexandri, aut Herodis Majestas plus illi Dignitatis attulisset, & Gloriæ, quàm vel unius Salomonis contulerat primo? Aut etiam, quod absurdum magis, vel Herodes, vel Alexander *Desideratus cunctis Gentibus* dici posset? Cùm tamen promiserit Deus futurum, ut *Desideratus cunctis Gentibus* hoc Templum subiturus esset. Reponunt Alii, majorem secundi Templi Gloriam dictam esse ob majorem illius diuturnitatem; quòd primum annis duntaxat quadringentis viginti duobus perdurasset; facta nimirum computatione ab anno Salomonis undecimo, quo perfectum est sacrum Opus, ad annum Sedeciæ undecimum, quo a Rege Nabuchodonosore igne absumptum est: Alterum annis circiter quingentis septuaginta perennarit, donec a Romanis unâ cum Urbe succenderetur. Perperam tamen, ac futiliter; cùm non ex novi Operis diuturnitate, aliquantò majori, Gloriam illam, & Excellentiam petierit Deus, sed ex Servatore e cunctis Gentibus expetito Templum istud subituro; & ex pace illic ab eodem Mortalibus concedenda, quod ex utroque laudato Oraculo perspectum est. Sunt denique qui reponant, in eo majorem secundi Templi Gloriam fuisse positam, quòd repugnantibus Judaici nominis Hostibus sit extructum; primum verò summa, & integra pace. Cujus quoque Responsi nugacitas, tametsi patet ipsa per sese, alio adhuc ex Capite ruit: quòd nimirum major illa secundi Templi Gloria, uti futura promitteretur a Deo; ista, qualiscumque a Judæis fingitur, præterita esset.

Quandoquidem autem de Pace sermo incidit, a Judæis scire velim, quo pacto, quave ratione in hoc secundo Templo datam Pacem ostendent, qui spiritualem Pacem a Messia ibidem datam inficiantur? Enimvero, si de temporali Pace, quam unicam Judæi norunt, interpretentur Oraculum, vereor ne minor secundo huic Templo Pax fuerit, quàm alteri præcedenti. Ecquis enim nesciat, quàm impotenter furiis invectus Seleucus expilationem ejus attentarit; quàm fœdè profanarit Antiochus; ac deinde Pompejus; quàm sacrilegè Idolis, ac suo præsertim Simulachro dehonestare præsumserit Cajus; quàm ferociter in idem exarserint Vespasianus, & Titus, illudque tandem Solo æquarint? Vertant igitur sese in omne latus miseri Homines, horum alterum admittere compellunrur; aut Messiam stante etiamnum Salomonis Templo a Zorobabele restituto, & instaurato adventasse, illudque Præsentiâ suâ illustrasse, consecrasse; aut nullam Divino huic Aggæi Oraculo veritatem inesse.

His

His robur addit, quod legimus apud Malachiam Prophetam. Fuit ille, ut notum est, Prophetarum ultimus, qui etiam, instaurato per Zorobabelem Salomonis Templo, Prophetiam adornavit; eo maximè tempore, quo Judæi secundi Ædificii mole inspecta a lacrymis temperare non poterant, quòd Prioris comparatione vilius videretur. Hos Ille, non aliter, quàm Aggæus, solari aggressus est, futurum spondens, ut ad ipsum Templum brevi Messias accederet; qui Nomen ei suo Adventu, Dignitatem, & Gloriam conciliaret: *Ecce ego*, inquit Deus Malachiæ *Cap.* 3., *mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad Templum suum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus Testamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum*. Certè Judæorum neminem fore puto, qui nomine Dominatoris, & Angeli, seu Nuntii Testamenti ab Hebræis tandiu expetiti, alium a Messia significari contendat: maximè cùm Illum aliis etiam Notis subinde indigitet Malachias, quæ in unum Messiam referri valeant. Ad illud itaque Templum Messias venturus erat: atque adeo ante Vespasiani, ac Titi Imperium, a quibus tandem eversum est Templum, Messias Mundo illuxit.

Crescit autem in immensum Argumenti robur, si in nostrorum temporum Judæos sermonem convertamus. Enimvero Aggæus, & Malachias Messiam brevi tunc nasciturum portendebant; ac velut staret in januis. *Adbuc unum modicum est*, inquit Aggæus, *& movebo omnes Gentes; & veniet Desideratus cunctis Gentibus.... Ecce ego mitto Angelum meum*, inquit Malachias, *& statim veniet Dominator &c. Ecce venit &c.* Quibus etiam consentit Habacuc Propheta *Cap.* 2. : *Veniens veniet, & non tardabit*. Prophetabant Illi porro annis ante Jesum nostrum quingentis circiter, ac viginti; quibus si addamus annos, qui ad nos usque lapsi sunt, recurrent anni bis mille ducenti quadraginta, quo ex tempore Prophetæ illi tres Messiam proximè, brevique venturum promiserunt. Et tamen, si Judæis fidem adjungimus, nondum advenit. Quis quæso cœcam obstinationem non videat, lugeatque?

Sed audite quid illorum Uni non ita pridem in mentem venerit, ut hujusce Argumenti vim elideret. Reposuit ille, Prophetas ante laudatos Messiam intra modicum tempus oriturum dixisse, tametsi nequidem hodie venerit post annos bis mille ducentos, & quod excurrit; quia apud Deum immensa temporum spatia instar momenti reputantur, juxta illud Prophetæ Regis Oraculum *mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna, quæ præteriit, Psal.* 89. Sit ita verò, ut re ipsa est; immensa temporum spatia instar momenti Deo reputentur: at ubi Deus alloquitur Homines, ejusque

que certas ad aliquid designandum temporum periodos definit, tales illas accipere necesse est, quales Hominibus periodi fluunt, non quales Deo, cui nil effluit, sed omnia ex æquo præsentia sunt. Aliàs nihil ex Dei verbo certi colligeremus, sicque temporum Notæ Divinis in Literis frequenter expressæ nihil unquam certi designarent: siquidem nulla apud Deum temporum intervalla, atque discrimina reperire licet. Sed & dicat magnus ille Judæorum Appollo, cur extremi duntaxat Prophetæ Messiam intra breve tempus oriturum prædicarunt, non itidem antiquiores? Certè si, quod ille reponebat, veritate constaret, quidni etiam Moyses, quidni Abraham, quidni Adamus ipse Messiam intra modicum tempus oriturum dixissent? Nam & totum tempus, quod ab Adam ad Christum, imò ad diem usque Judicii fluit, Deo ipsi modicum, & momentaneum reputatur. Facessant ergo nugaces, & malenati Circulatores.

Gravia sunt hæc; sed addam, quæ Judæis multò certiùs jugulum petant. Usque adeo ex Sacrarum Literarum Oraculis compertum est, Messiam eo Sæculo fuisse nasciturum, quo Jesus noster Mundo illuxit, ut hæc ipsa inter illius ætatis Judæos receptissima Opinio esset, ac certa Sententia. Non hic ego Judæos illos numerabo, quos ea tunc persuasione fuisse imbutos, Sacrum memorat Evangelium; Simeonem, quem tunc *expectasse consolationem Israel* monet Lucas *Cap.* 2.: Annam Prophetissam filiam Phanuelis *Redemptionem Israel* pariter præstolantem *v.* 38.: Mulierem Samaritanam Christo nostro dicentem, Joan. *Cap.* 4.: *Scio quia Messias venit*, (*qui dicitur Christus*). Non hos, inquam, appellabo; sed Judæos propriorum Librorum Authoritate convincam: quod ante me eruditè præstitit Illustrissimus Præsul Petrus Daniel Huetius *in Demonstratione Evangelica*, e qua nonnihil hic delibare, nulla mihi invidia sit.

Legimus igitur in Thalmude, maximè verò *in Libro Sanhedrin Capite ultimo*, Scholam Eliæ (non quidem Prophetæ hujus celebris, sed alterius Hebræi Doctoris inter suos præstantissimi) Scholam, inquam, Eliæ totum Mundi tempus ab Adam usque ad finem Sæculorum sex annorum millibus definivisse; quorum duo millia priora, ante Circumcisionis Legem Abrahæ datam, fuerit *Thou*, idest inanitas; duo millia sequentia *Lex*; postrema duo *Messiæ Regnum*. Messias ergo juxta eam Eliæ Scholam, expleto quarto Mundi millenario, Regnum suum auspicàturus erat. Ac re ipsa quidem, expleto quarto millenario, natus est Jesus noster. Fertur & in Libris Rabbinorum, confessos esse Majores suos, qui temporibus Jesu nostro paulò superioribus vixere, Messiæ Adventum fuisse tunc imminentem. Fertur iisdem in Libris, Judæos, qui tem-

tempore secundi excidii Hierosolymitani vivebant, arbitratos jam tunc Messiam adventasse, sed ignotum, ubinam latitaret. Tradit Rabbi Salomon Jarchi, asseverasse priscos Gentis suæ Doctores, Messiam eo die natum, quo excisa est Hierosolyma. Sed & in eodem Libro Sanhedrin, ubi varia Rabbinorum deliramenta de Messiæ Adventu referuntur, notantur nonnulli Rabbini, qui dixerint, Messiam venisse quidem antequam Templum Hierosolymitanum secundò excideret, sed inter Horti Eden delicias ævum agitare cum Elia Propheta, a quo tandem aliquando ungendus sit oleo lætitiæ, dum ad muneris sui administrationem prodibit. Notantur & alii Rabbini, qui finxerint, eum tunc re ipsa venisse; sed Romæ inter ægros leprâ laborantes latitasse; qua de caussa ab Isaia *Cap.* 53. de illo dictum esset, *& nos putavimus eum quasi leprosum*: ratum vero tempus, quo ex his latebris emersurus esset, non designarunt. Adeo scilicet persuasum Judæis erat, stante adhuc secundo Salomonis Templo, ac sub Nazareni nostri temporibus notatas Messiæ Adventus periodos successisse.

Ex hac eadem pervulgata inter Judæos Opinione, (quòd nempe eo tempore Messias venturus esset, quo Christus noster Mundo illuxit) pullulavit multorum ambitio, qui Messiæ Nomen, & Dignitatem usurpare tunc ausi sunt; cùm tamen ante id temporis quenquam hoc attentasse, nulla prodat Historia. Primus, ut eruditè notat laudatus Præsul Huetius, hac impietate sese illigavit Herodes Magnus, qui Sectam de suo nomine celebrem fecit, a qua uti Messias agnoscebatur. Christos postea se ipsos professi sunt vecordes illi Samaritani Dosithæus, & Simon. Imperium deinde tenente Hadriano Messiam se dixit Bar-cocheba, sive filius Stellæ, hoc insignitus nomine, quòd sibi nobile illud Balaami Vaticinium accommodaret, *Orietur stella ex Jacob.*, *Num. Cap.* 24. Deinde verò Bar-cuziba, hoc est, Filius mendacii dictus est, postquam ejus impostura deprehensa fuit. Bar-cochebæ vesaniam imitati sunt Rufus ipsius filius, ac deinde Romulus nepos, sed infelici prorsus exitu. Varii subinde exorti sunt pseudo-Christi, velut insignis ille David Eldavid, qui Persidis Regem bello lacessere ausus vesaniæ tandem suæ pœnas capite luit; aliique plures, quos memorare hìc longum esset, in Epistola Maimonidæ ad Rabbinos Massilienses, & in libro *Scebet Jehuda* recensiti. Unde porro, unde nata est tanta illa apud Judæos suffurandi Messiæ tituli ambitio, quo ex tempore Jesus noster Mundo illuxit, cùm nullus in antecessum id attentasset? Nisi quòd Judæorum animos ea jam tunc occupasset


Opinio, promissi Messiæ tempora successisse, dum Christus noster obortus est.

Ac re ipsa quidem, tametsi Judæi, qui Jesum nostrum prædicantem, sibique Messiæ Titulum arrogantem audivere, litem illi quovis ex verbulo, ac motu intentarent, ut illum imposturæ reum agerent; nemo tamen omnium inventus est unus, qui illi eo ex Capite litem moverit, quòd se Messiam, Christumque venditaret, quo tempore salutaris Adventus periodi elapsæ non essent: nemo illi ex repugnantia temporum negotium facessivit. Ita nempe eo ex Capite Caussa ejus erat in tuto; Messiæque promissi tempora jam tunc advenisse, Judæi fatebantur universi, tanquam rem Sacris Literis contestatam, ipsisque etiam Gentilibus non ignotam. Testis mihi sit Flavius Josephus Scriptor inter Judæos celeberrimus, qui Apostolorum temporibus vixit, & Hierosolymitano excidio præsens adsuit. Is *Libro* 7. *de Bello Judaico Cap.* 12. disertè testatur, Judæos suos eo Sæculo sub Nerone, Vespasiano, & Tito ad bella movenda fuisse maximè concitatos ob Sacrorum Codicum Vaticinia, quibus futurum spondebatur, ut hoc tempore aliquis e Judaica Gente toti Orbi imperitaret: quanquam is, ut erat vero lumine destitutus, Vaticinia illa, sive adulatione, sive ex animi sententia Vespasiano accommodarit, non utique Judæo, sed Imperatori apud Judæos renuntiato: *Quòd maximè eos ad bellum excitaverat, Responsum erat ambiguum, itidem in Sacris Libris inventum, quòd eo tempore quidam esset ex eorum finibus Orbis Terræ habiturus Imperium. Id enim illi quidem quasi proprium acceperunt, multique sapientes interpretatione decepti sunt. Hoc autem plane Responso Vespasiani designabatur Imperium, qui apud Judæam creatus est Imperator.* Testis & mihi Cornelius Tacitus eo locupletior, quòd Ethnicus fuerit. Is *Libro* 5. *Historiarum* de Jesu nostri Sæculo ita scribit: *Pluribus persuasio inerat, antiquis Sacerdotum literis contineri, eo ipso tempore fore, ut valesceret Oriens, profectique Judæa rerum potirentur*: hoc est, Judæos supremum Orbis Imperium occupaturos. Testis mihi Svetonius Ethnicus quoque *in Vespasiano*: *Percrebuerat Oriente toto vetus, & constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Judæa profecti rerum potirentur.* Quod etiam Judæos *ad se traxisse* contestatur, indeque maximè rebellandi animum induisse. Adeo scilicet verum est, Judæos Divinis Oraculis admonitos Messiam Regnum Judææ, totiusque Orbis Imperium occupaturum expectasse tunc temporis, quo Jesus noster Mundo illuxit: tametsi falsis Regiæ Dignitatis imaginibus delusi terrenum, ac temporalem, non cœlestem, ac spiritualem, Regem præstolarentur.

Unum superest desperatæ Caussæ præsidium, quo se Judæi plerun-

run-

runque recipere solent, dum eo a nobis telo petuntur. Nempe reponunt illorum Aliqui, sic sanè fuisse primùm definita salutaris Adventus tempora; at ob ingentia Patrum suorum scelera in meliorem subinde tempestatem a Deo ipso dilatum esse. Dignum Palæmone Commentum! Scilicet Consilia sua mutarit Deus; quasi quid essent Judæi peccaturi, non prævidisset, cùm primùm mittendum Christum definivit. Quia tamen Responsum illud omnium insanissimum aliis etiam Argumentis pressi Judæi nobis ingeminant; hoc nos peculiari Prælectione data opera confutabimus, dum de Promissis conditione suspensis agemus.



PRÆLECTIO XIII.

Christum intra septuaginta Hebdomades, ac florente adhuc Romanorum Imperio in lucem fore proditurum, Sacrorum Textuum Authoritate comprobatur.



Inas orituri Christi temporis Notas definivit Daniel Propheta Sanctissimus; in quarum examine nostra hodie desudabit industria; Christum Mortalibus oriturum portendens intra Hebdomades septuaginta, ac florente etiamnum Romanorum Imperio per ipsum evertendo, & conterendo. Ex quo certè duplici Vaticinio geminum contra Judæos Momentum delibabimus, quo promissum Liberatorem (quem etiamnum hodie præstolantur) multis retro Sæculis adventasse demonstremus.

Illud porro celeberrimum Danielis Vaticinium de Christo intra septuaginta Hebdomades orituro dum verso, ordine primo solos mihi Judæos oppugnandos aggredior, missaque implexarum Quæstionum tractatione, quas ab Instituto nostro remotissimas novi, unicam, quæ Messiæ Adventum intimè spectat, Difficultatem attingo. Quid rei sit, paucis aperiam, ut primum inde Momentum contra Judæos invictum eliciam.

Soluta post annos septuaginta Captivitate Babylonica, anno ante Christum nostrum quingentesimo trigesimo sexto Daniel Propheta sanctissimus prolixam ad Deum precationem habuit, qua Judæorum peccata confessus humillimè, quibus iram Dei concitaverat misera Gens, Divinam illis Misericordiam efflagitavit. Sub Orationis suæ finem Angeli Gabrielis aspectu, atque alloquio recreatus est, qui ei Divina Consilia de Christo proximè mittendo reseravit. Supplicantem Prophetam hisce verbis affatus est Angelus: *Septuaginta Hebdomades abbreviatæ sunt super Populum tuum, & super Urbem Sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur Justitia sempiterna, & impleatur Visio, & Prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo, & animadverte: Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum Ducem, Hebdomades septem, & Hebdomades sexaginta duæ erunt: Et rursum ædificabitur platea, & muri in angustia temporum. Et post Hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, & non erit ejus Populus, qui eum negaturus est. Et Civitatem, & Sanctuarium dissipa-*

ſipabit Populus cum Duce venturo : & finis ejus vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio. Confirmabit autem Pactum multis Hebdomada una : & in dimidio Hebdomadis deficiet Hoſtia, & Sacrificium : et erit in Templo abominatio deſolationis : & uſque ad conſummationem, & finem perſeverabit deſolatio. Hæc Angelus Gabriel Danielem alloquens, uti legere eſt apud eundem Prophetam *Cap. 9.* & *ſequentibus*.

Ut ergo Judæos eo telo feriamus, Meſſiamque Mundo jamdudum illuxiſſe apertiſſimè colligamus, duo hæc demonſtrare nobis eſt opus. Primum; non alium, niſi Meſſiam, ſacro illo Gabrielis Oraculo Fidelibus adpromitti: Alterum; definitum tempus, intra quod venturus promiſſus eſt, Jeſu Nazareni ætate elapſum eſſe. Hinc neceſſaria conſecutione colligemus, fruſtra Judæos ſuum etiamnum hodie Liberatorem præſtolari, qui Mundo dudum illuxit.

De primo Capite nullum apud Rabinos veteres dubium fuit: Meſſiam eo Gabrielis Oraculo portendi faſſi ſunt Rabbi Barachia, in *Berechid Rabba*, R. Moyſis Ben-Nachman *in Danielem*, R. Samuel *in Epiſtola ad R. Iſaac*, aliique non pauci a Raymundo Martini *in Pugione fidei* memorati. Atque id evincit apertè Oraculi Contextus integer, modò attentiùs perpendatur. Is etenim venturus promittitur, qui prævaricationem conſumeret, finem peccato imponeret, deleret iniquitatem, Juſtitiam ſempiternam adduceret. Ecquis porro, niſi Meſſias his Characteribus Sacris in Literis deſignatus eſt? Iterum is ille promittitur, qui Viſiones, & Prophetias impleret. Quis verò ille, niſi is, ad quem, ut ad finem, Prophetiæ omnes diriguntur? Ille demum promittitur, qui Pactum Dei cum Hominibus confirmaret: qua Nota Meſſiam ſæpius indigitavit Iſaias, maximè verò *Capitibus* 42. & 49.

Hinc primo veluti conſpectu cernitis, opinor, quàm cœca nonnullorum recentium Rabbinorum pertinacia fuerit; qui vel Cyrum Perſarum Regem, vel Zorobabelem, vel Jeſum Joſedechum eo Oraculo deſignari jactitarunt; cùm ii a ſacris illis Titulis ab Angelo notatis tam longè abſint, quàm Ortus ab Occidente. Quanquam & duplici aliunde Capite revinci eorum Rabbinorum ceſpitatio poteſt. Primò, quòd nullus horum ſit occiſus; nec Cyrus, nec Zorobabel, nec Jeſus Joſedech, cùm tamen Chriſtus iſte, cujus Adventum promittit Gabriel, occidendus eſſet: *Poſt Hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus*. Secundò, quòd ii tres in vivis eſſent, quo tempore Danieli Viſio iſta facta eſt: cùm contra is, cujus Adventum portendit Angelus, nonniſi poſt certas Hebdomadum periodos mittendus a Deo eſſet.

Jam verò tempus, intra quod venturus promiſſus eſt Chriſtus ille, Jeſu Nazareni ætate elapſum eſſe, (quod alterum, potiſſimum-

que

que probationis Caput est) bifariam evinco. Primò, ex Adiunctis salutaris Adventus & Circumstantiis : secundò, distincta præscriptarum Hebdomadum computatione. Adiuncta certè & Circumstantiæ rem in propatulo ponunt. Is etenim prænuntiatus est, cujus Adventu cessabunt Visiones, & Prophetiæ : at Prophetas cessasse in Synagoga ab ipso Nazareni nostri Sæculo Judæi ipsi vel inviti profitentur. Quosnam enim Synagogæ suæ Prophetas ab eo tempore nobis obtrudent? Is rursus prænuntiatus est, quo occiso Civitas Jerusalem, & Sanctuarium dissipandum erat. At utrumque dissipatum esse sub Vespasiano, & Tito, Judæi plus satis experiuntur, ac dolent. Is venturus prænuntiatus est, in cujus Adventu deficiet Hostia, & Sacrificium : At utrumque defecisse Judæi norunt, qui nullas jam Hostias, nulla Sacrificia offerunt : imò, everso Salomonis Templo, dirutoque Tabernaculo, nullum Sacrificium offerre jam possunt, ut aliàs me arbitror demonstrasse. Is demum prænuntiatus est, quo tandem morte sublato futura erat in Templo abominatio desolationis ad consummationem, & finem usque duratura : at & id Judæi oculis usurpant, ac manibus palpant : desolatum Templum experiuntur, fatalisque desolationis reliquias circumquaque, uti spirantia cadavera etiamnum gestant : abjecti, despecti, miseri, extorres, sine Patria, sine Principe, sine Sacerdote, sine Sacrificio, sine Templo : ut plane in iis impletum videamus, quod, Christo ad mortem damnato, sacrilego quidem, sed tamen Prophetico ore protulerunt : *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros* Matth. *Cap.* 27. Quid ergo in aliud tempus suspiria trahunt?

Hoc idem præfinitum tempus elapsum esse, æquè evincit septuaginta Hebdomadum computatio, intra quas Christus erat oriturus, eaque omnia eventura erant, quæ Gabriel Angelus Danieli prænuntiavit. Quod ut faciliùs innotescat, observare necesse est, septuaginta Hebdomades annorum, non dierum, hoc loco intelligi; quarum singulæ annos septem referant ; omnes verò simul annos quadringentos nonaginta conficiant. In Sacris quippe Literis duplex tantùm invenitur Hebdomadum acceptio, dierum scilicet, & annorum : dierum, inquam ; ut *Levitici Cap.* 23. ubi septem dierum Hebdomades a Paschate ad Pentecosten numerantur ; annorum verò, *ut Levitici Cap.* 25.; ubi septem annorum Hebdomades ad Jubilæum definiendum numerari præcipiuntur : *Numerabis*, inquit Deus, *septem Hebdomadas annorum*, *idest*, *septies septem*, *quæ simul faciunt annos quadraginta novem* ... *Sanctificabisque annum quinquagesimum*. Porro dierum Hebdomadas in Danielis Vaticinio nequaquam intelligi, ipsi quoque Judæi sponte consentiunt : quandoquidem dierum Hebdomades septuaginta, dies duntaxat quadrin-

dringentos nonaginta conficerent, hoc eſt, menſes circiter ſexdecim; quo tamen brevi temporis intervallo nihil contigit eorum, quæ intra ſeptuaginta Hebdomades oritura prædixerat Gabriel Angelus. Reſtat ergo, ut de annorum Hebdomadibus Sacrum Oraculum intelligatur.

Quanquam autem in iis Danielis Hebdomadibus variæ circumferantur Eruditorum Opiniones, quandonam exordium duxerint; aliis earum initium petentibus ab anno primo Darii Medi Perſarum Regis, quo creditur pronuntiatum Oraculum, ſolutaque Captivitas eſt; anno ante Chriſtum noſtrum quingenteſimo trigeſimo ſexto; aliis initium Hebdomadarum petentibus ab anno ſeptimo Artaxerſis Longimani, quo ab eo Principe Diploma regium datum eſt ad Rempublicam Judaicam reformandam anno ante Chriſtum noſtrum quadringenteſimo ſexageſimo ſeptimo; aliis demum Hebdomadum initium repetentibus ab anno vigeſimo ejuſdem Artaxerſis Longimani, quo reſtaurandæ Hieroſolymæ venia Nehemiæ facta eſt, anno ante Chriſtum noſtrum quadringenteſimo quinquageſimo quarto. Undecunque tamen initium ſeptuaginta Hebdomadum petas, eas Jeſu noſtri Sæculo elapſas eſſe, neceſſe eſt; cùm nonniſi annos quadringentos nonaginta conficiant: quos utut maximè in excidio Hieroſolymitano evolutos invenies. Sed, etſi ea foret Judæorum cavillatorum pervicacia, ut eas Hebdomades necdum Jeſu Nazareni Sæculo evolutas effutirent, adeone vecordes erunt, ut dicant, eas nec noſtro quidem Sæculo effluxiſſe, quo annos bis mille ducentos ſexaginta quinque ab eo Danielis Vaticinio numeramus? Quid ergo ſuum etiamnum hodie Liberatorem præſtolantur?

Non me fugit, fuiſſe Judæorum aliquos, qui, ut laqueum iſtum effugerent, tempuſque venturi Meſſiæ in longum ævum protraherent, ſeptuaginta Danielis Hebdomades, non annorum ſimpliciter, ſed decenniorum eſſe dixerint; adeo ut unaquæque Hebdomada ſeptem annorum decades; hoc eſt, annos ſeptuaginta conficeret: atque adeo ſeptuaginta Hebdomades annos quater mille nongentos complecterentur. Scio fuiſſe & alios, qui Hebdomades Jubilæorum intellexerint; ſic ut Hebdomada una ſeptem Jubilæos, hoc eſt, trecentos quinquaginta annos involveret (eſt enim Judaicus Jubilæus annorum quinquaginta periodus) ſic ut ſeptuaginta Jubilæorum Hebdomades annos referant quater mille quingentos ſupra vicies millia. Scio demum fuiſſe & alios, qui Sæculorum Hebdomades effutierint, quarum ſcilicet quælibet ſeptem Sæcula referret; ſic ut ſeptuaginta Hebdomades Sæculorum, annos undequinquaginta millia complectantur. Quæ certè, ſi vera forent, Meſſiæ Adventus ultra Kalendas græcas, ut ajunt, protraheretur. At dicant

cant Fabulatores nugivendi, qui putida ista Commenta vacuo cerebello fabricati sunt, dicant, inquam, quonam Scripturarum, aut sui etiam Thalmudis Exemplo suas illas Decenniorum, Jubilæorum, aut Sæculorum Hebdomades comprobabunt? Nullas enim, ut dixi, nisi dierum, & annorum Hebdomades Scriptura memorat. Sed nec ulla penes garrulos illos Argutatores Commenti sui stabit usura: comprehendentur in astutia sua. Enimvero Civitatem, & Templum eversum iri post illas Hebdomades septuaginta vaticinatur sacrum illud Danielis Oraculum: Sacrificia pariter in medio postremæ Hebdomadis abolitum iri prænuntiat: cùm tamen peracta sint illa omnia antequam vel prima Sæculorum Hebdomada, vel secunda Jubilæorum, vel decenniorum decima impleta esset. Non ergo de Decenniorum, Jubilæorum, aut Sæculorum Hebdomadibus intelligendum est Danielis Oraculum.

Audiendus longè minùs Porphirius Judæus, Sectâ Saducæus, qui eo Danielis Vaticinio implicitus, nec satis commodam, qua elaberetur, viam inveniens id demum reposuit, Danielem non esse Prophetis adnumerandum; hujusque Vaticinii, qualecumque sit, intelligentiam ad finem usque Sæculi absconditam esse: juxta quod Danieli a Deo dictum fertur *Cap.* 12.: *Vade Daniel, quia clausi sunt, signatique sermones usque ad præfinitum tempus.* Porphirium negat Synagoga ipsa, quæ Danielis Librum, non modò ut canonicum, verùm etiam ut Propheticum habet, postremis Capitulis duntaxat exceptis: Virique Sanctissimi spiritui prophetico testimonium perhibet Ezechiel *Cap.* 28., ubi de Rege Tyri per ironiam dicitur: *Ecce sapientior es tu Daniele: omne secretum non est absconditum a te.* Locus verò Danielis in oppositum productus centum jugis Boum colligatis nunquam ad præsentem, quam expendimus, Prophetiam traheretur, ut ejus intelligentia ad extremum usque Mundi diem dicatur abscondita. Nec enim de septuaginta Hebdomadibus illic sermo est; sed de salvandis in fine Mundi Judæorum Reliquiis, aliisque in Vitam æternam, aliis in opprobrium surrecturis. Imò de septuaginta Hebdomadum revelatione expressè ab Angelo Gabriele dictum est *v.* 22. *Capitis* 9. *Danielis*: *Egressus sum, ut docerem te, & intelligeres .... Animadverte sermonem, & intellige visionem.* Quid itaque ad finem usque Mundi abscondita dicitur?

Restat recentium quorundam Judæorum Cavillatio paulò quidem tollerabilior, sed quæ tamen facilè diluatur. Opponunt scilicet illi, ventura tempora hoc Danielis Oraculo promitti, quibus futurum est, *ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur Justitia sempiterna*; cùm tamen peccata perinde grassari videamus, homicidia, inimici-

tias,

tias, adulteria, rapinas; aliaque id genus vitiorum monſtra. Non itaque noſtra iſta Meſſiæ tempora eo Oraculo præſignata ſunt. Verùm non advertunt cœci Homines, non eo ſenſu peccati finem adventante Meſſia promitti, quaſi, orto illo, nihil ultra Homines peccaturi ſint; ſed quòd Hominum peccata, quæ Lex vetus Hircorum, & Taurorum ſanguine abſtergere minimè poterat, hæc Chriſti Sanguis elueret; ſi tamen eo elui, ac emundari Homines vellent. Nec enim boni Medici partes ſunt, ut nemo pereat, etiam qui voluerit; ſed ut eorum nullus intereat, qui ſalutaria illius Conſilia amplecti, & obſervare voluerit. Non hoc ſenſu Juſtitia ſempiterna per Meſſiam adducenda fingi debet, quaſi Omnes ſub Meſſiæ Imperio Juſtitiam ſectaturi ſint; nullus ſub ejus Imperio futurus injuſtus; ſed quòd uberiora, quàm olim, Juſtitiæ amplectendæ conſilia, retinendæ ſubſidia, reparandæ remedia Humanæ Infirmitati contulerit. Moſaicæ quippe Legis juſtitia, non plena, ſuiſque numeris abſoluta erat; quippe quæ multa carnali Populo ad cordis duritiem indulgebat, uti vicem talionis, libellum repudii, uſuram cum exteris, aliaque non pauca, quæ Chriſti Lege ſublata ſunt. Non hoc ſenſu delenda iniquitas adventante Meſſia, quaſi nullus ea ætate futurus eſſet iniquus; ſed quòd chyrographum Decreti, quo Mundum univerſum ſuis legibus, ac debitis obſtrictum Diabolus detinebat, morte ſua pro nobis oppetita deleverit: Juxta quod ait Apoſtolus: *Et vos, cum mortui eſſetis in delictis, & præputio carnis veſtræ, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta: delens, quod adverſus nos erat, chyrographum Decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio affigens illud Cruci; ad Coloſſenſes Cap.* 2.

Succedit nunc demum alterum, quod ipſo ſtatim initio ſpopondimus, Danielis Oraculum de Chriſto, florente adhuc Romanorum Imperio Mortalibus orituro; unde invictum perinde pro Jeſu noſtro Argumentum eliciamus. Extat illud *Cap.* 2., ubi celebre Nabuchodonoſoris ſomnium interpretatur Propheta Sanctiſſimus. Præmittit ſtatim futurum eſſe, ut Nabuchodonoſoris Regno aliud Regnum argenteum ſubinde ſuccederet; huic tertium æreum; iſti demum quartum ferreum: *Poſt te*, inquit, *conſurget Regnum aliud minus te argenteum: & Regnum tertium aliud æreum, quod imperabit univerſæ Terræ. Et Regnum quartum erit velut ferrum: quomodo ferrum comminuit, & domat omnia, ſic comminuet, & conteret omnia hæc*. Quænam eo loci Regna notentur, nemo non videt; Primum aureum ſine controverſia Babyloniorum eſt, quibus tunc Nabuchodonoſor imperabat: ſecundum proximè ſuccedens (velut argenteum) Perſarum, ac Medorum fuit, a quibus Babylonii ſunt devicti ſub Cyro: tertium æreum, quod late dominatu-

rum erat, Græcorum fuit, qui omnia pene Terrarum spatia, Persasque ipsos, ac Medos subegere sub Alexandro : quartum ferreum, robore longè præstans, Romanorum est; qui Græcos ipsos sub Cæsaribus debellarunt. His ita præmissis subjungit sacer Vates, & somniorum Interpres *v.*44. *In diebus autem Regnorum illorum suscitabit Deus Cæli Regnum, quod in æternum non dissipabitur : & Regnum ejus alteri Populo non tradetur : comminuet autem, & consumet universa Regna hæc, & ipsum stabit in æternum.* Quibus verbis Messiæ Regnum designari, veteres etiam Hebræi sponte professi sunt; R. Aben Ezra, R. Salomoch, R. Saadia, R. Levi Ben-Herson; ac ipsi quoque Thalmudis Authores *in Libro Sanhedrin Cap.* 11. Quibus si fortè recentiores refragari vellent, sacris Oraculis convincerentur, queis Messiæ Regnum cætera consumpturum, perpetuòque duraturum declaratur, *Psal.* 71. & 109.; Isaiæ *Cap.*9. & 11.; Michææ *Cap.*4.; maximè verò Danielis *Cap.* 7. : *Aspiciebam ego in visione noctis, & ecce cum nubibus Cæli quasi Filius hominis veniebat, & usque ad Antiquum dierum pervenit : & in conspectu ejus obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem, & honorem, & Regnum .... Potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur, & Regnum ejus, quod non corrumpetur.*

Id ergo certissimè concludendum, Messiæ Regnum juxta Danielis Oraculum florente adhuc quarto Regno, nempe Romanorum Imperio a Deo fuisse suscitandum; ut illud ipsum tandem aliquando consumeret. Quæ certè in Jesu nostri tempora cadunt; ipseque tandem probavit eventus, quo pacto secutis inde temporibus spirituale ejusdem Imperium temporale Romanorum Regnum comminuerit, atque contriverit. Ac interim dicant, amabo, qui suum adhuc venturum Messiam hianti ore præstolantur; qua forte fieri tandem poterit, ut florente Romanorum Imperio sui illius nondum exorti Messiæ Regnum suscitetur; cùm tot retro Sæculis exciderit ferreum illud Romanorum Imperium, a Daniele tam disertè, tam dilucidè prænuntiatum?

Scio non defuturos etiam ex Christianorum ordine, qui dicant, nomine quarti Regni ferrei a Daniele notati non Romanorum, sed Lagidarum, & Seleucidarum Regnum intelligi. Sed sit ita, ut lubet aliquibus Eruditis; Quæstionem peregrinam ingredi nolim; in qua, quocumque Judæi se vertant, Caussâ perinde cadunt. Non minùs enim Lagidarum, & Seleucidarum, quàm Romanorum Imperium dudum excidit. Atque ita fieri omnino nequit, ut stante, ac florente Lagidarum, & Seleucidarum Imperio, illius, quem etiamnum expectant, Messiæ Regnum suscitetur. Dicam tamen obiter, minùs rectè fuisse illud a Nonnullis excogitatum, nomine scilicet quarti Regni ferrei Lagidarum, & Seleucidarum Regnum

gnum designari. Primò; quia Regnum illud ferreum, de quo Daniel, unicum fuit; duo verò Lagidæ, & Seleucidæ Regna tenuerunt. Secundò; quia Regna Lagidarum, & Seleucidarum Regnum ipsum Alexandri, seu Græcorum ex parte conflarunt; adeoque ad tertium æreum Regnum pertinent, non ad quartum ferreum. Tertiò maximè; quia quamvis duo illa Regna sese oppugnarint, & oppetierint bellis, minimè tamen sese mutuò comminuerunt; nec Regnum Macedoniæ (quod Alexandri, & Græcorum Imperii Caput erat) debellarunt: cùm tamen disertè significet Daniel, futurum esse, ut quartum illud ferreum Regnum priora illa comminueret, atque contereret. Sed id obiter; jam ad Institutum propriùs accedo.

Reum me, si intactum hìc prætermiserim Prophetæ Michææ de natali Messiæ Solo Vaticinium, quo tam bellè, tam egregiè evincitur, quod hìc maximè quæritur, præfinita Christi Adventus tempora jamdudum elapsa esse. Est autem hujusmodi *Cap.* 5.: *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, & egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis.* Quo loco Bethlehem Ephrata Tribus Judæ Viculum ab Urbe Hierosolyma sexto milliario distantem, uti natale Messiæ Solum, prænuntiari, vetus Hebræorum Opinio fuit. Unde & Herodi sciscitanti, ubi Christus nasciturus esset, continuò responderunt Scribæ, Legisque Doctores: *In Bethlehem Judæ; sic enim scriptum est per Prophetam &c.* ut apud Matthæum legere est *Cap.* 2. Et alii apud Joannem *Cap.* 7.: *Nonne Scriptura dicit; quia ex semine David, & de Bethlehem Castello, ubi erat David, venit Christus?* Quam etiam Majorum suorum doctrinam tenuerunt sequioris ævi Magistri Thalmudistæ *in Libro Sanhedrin Capite ultimo*, & *in Libro de Paschate Cap.* 10., Paraphrastæ Chaldæi, R. Salomoch, & R. David Kimchi, aliique non pauci ab erudito Præsule Daniele Huetio memorati. Quin & Prophetæ Contextus clamat ipse per sese. Quis enim nomine Dominatoris Israelis, *cujus egressus ab initio & a diebus æternitatis*, veniat intelligendus, nisi Christus, de quo David *Psal.* 109., *Ex utero*, inquit, *ante Luciferum genui te*: & *Psal.* 71.: *Permanebit cum Sole, & ante Lunam, in generatione, & generationem*: & paulò infra: *ante Solem permanet nomen ejus?* Hinc autem ita colligo adversus hujus ætatis Hebræos: Si in Bethlehem Judæ Viculo Messias nasciturus erat; stante itaque Bethlehemo natus est: itaque stultè nunc, & futiliter expectatur, quo ex tempore nullum jam Bethlehem sub Sole reperire licet; sed ita Solo æquatum est, ut locus etiam, ubi fuerit, frustra quæratur.

Sentiunt hujus Argumenti pondus Judæi aliqui recentiores; ut-

que vim ejus elidant, reponunt, non Meſſiæ, ſed alterius cujuſpiam Dominatoris natale Solum a Michæa deſignari. Sed & ii a profeſſione Majorum ſuorum, qui Oraculum illud ad Chriſtum promiſſum retulere, procul abſcedunt, noviſque ſe laqueis implicant. Quem etenim alterum ex Dominatoribus Iſraelis dare poterunt, cujus *egreſſus a diebus æternitatis* fuerit, de quo tamen hìc Michæas ſermonem inſtituit? Sed inter Dominatores Iſraelis tres tantùm Bethlehemi natos obſervo Sacris in Literis; Abeſanum Judicem Iſraelis, *Judicum* 12.: Elimelechum Maritum Noemi, *Ruth. Cap.* 1.: Ac demum Davidem, 1. *Regum* 17. At ſunt illi omnes Michææ ætate longè ſuperiores, ad quos idcirco Vaticinium illud referri non poteſt. Ingentis etiam ignorantiæ, ac ſupinitatis ſpecimen produnt, qui Ezechiam Regem indigitari hoc loco volunt: quippe qui Hieroſolymis, non Bethlehemi ortum habuit; jamque rerum potiebatur, quo tempore Oraculum iſtud Michæas effudit, ut ex primo Prophetiæ verſiculo compertum eſt. Non minoris tarditatis plenum eſt, quod alii dictitant, Zorobabelem hoc Oraculo prænuntiari: cùm contra certo certius ſit, eum non Bethlehemi, ſed in Babylone natum eſſe; ex quo ſubinde Populum reduxit: idque ipſo ejus nomine declaratur; Zorobabel enim idem plane ſonat, ac *ſemen*, ſeu *filius Babylonis*. Quòcunque ergo ſe vertant noſtrorum temporum Judæi, laqueum non effugiunt.



PRÆ-

PRÆLECTIO XIV.

Christum, sublato Judæ Sceptro, Judæis, ac Gentibus fore oriturum, ex celeberrimo Jacobi morientis Vaticinio evincitur.



Plendidissimum Patriarchæ Jacobi morientis Vaticinium tandem attingimus, quo nullum muniendæ Christianorum Caussæ luculentius, nullum revincendæ Judæorum perfidiæ efficacius Sacris in Literis expressum est. Vaticinium illud intelligo, quo vocatis ad se Filiis paternam Benedictionem largiturus, iisdemque ventura nuntiaturus, ita Judæ fausta ominatus est: *Non auferetur Sceptrum de Juda, & Dux de fœmore ejus, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio Gentium; Genesis Cap. 49.* Hinc quippe; quotquot meridiana in luce non omnino cæcutiunt, Messiam adventasse jampridem, Hominibusque feliciter illuxisse, cetissimè colligunt: atque id quidem Argumento isto non longiùs accersito, non Dialecticæ spinis, & tribulis obsito, sed sponte fluente, & omnibus obvio. Non erat auferendum Sceptrum de Juda, & Dux da fœmore ejus, donec veniret, qui a Deo mittendus erat: at Sceptrum de Juda jampridem ablatum est; Duces, ac Principes de fœmore ejus diu olim desiere: venit igitur ille, qui a Deo mittendus erat.

Verùm est illa Judæorum pervicacia, atque obstinatio; ut quo nitidius, quo splendidius Oraculum est, eo petulantiùs, audaciùsque cavillis, ac tricis nebulas illi offundant, ne ullum inde Catholicæ Fidei præsidium repetamus. Quare pervicaces, audacesque Cavillatores duas in Classes, ac veluti Ordines distribuemus, ut Singulos exagitare, atque refellere commodiùs liceat. Ut enim duo eo Vaticinio continentur; is scilicet, qui a Deo mittendus promittitur, *Donec veniat qui mittendus est*; & Nota temporis, quo is Mundo illucescere debuit, nempe dum Sceptrum de Juda ablatum fuerit, Ducesque de fæmore ejus imperitare desierint; duas Cavillatorum Classes invenio. Alii Messiam eo Vaticinio promitti diffitentur, sed Virum quempiam alterum; puta Moysen, aut Saulem, aut Davidem, aut Jeroboamum, aut tandem Nabuchodonosorem: sic enim quique pro arbitrio hariolantur, & fingunt. Alii e regione positi Messiam hoc loco prænuntiari cùm videant, alia diverticula meditantur, ut notatum salutaris Adventus tempus diu-

diutissimè protrahant : necdum scilicet de domo Juda Sceptrum ablatum audacissimè ponunt. De singulis dicemus ex ordine : ac Illos in præsenti eventilabimus, qui alium a Messia prænuntiari, atque promitti fabulantur : Cæteros de ablato Judæ Sceptro contendentes ferulæ nostræ manum subjicere Prælectione altera compellemus.

Messiam indigitari hoc loco, compertum est, si vulgatam Scripturæ Sacræ Versionem consulamus *: Non auferetur Sceptrum de Juda, & Dux de fœmore ejus, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio Gentium*. Hunc quippe duæ illæ Notæ designant *: qui mittendus est : ipse erit expectatio Gentium*. Enimvero cùm universæ propemodum veteris Testamenti Promissiones eò tendant, ut Messiam a Deo mittendum, eundemque venturum Fidelibus spondeant; quoties *mittendus* antonomasticè, aut *venturus* Excellentia quadam Divinis in Literis legitur, toties Messias sine controversia designatur. Hinc Moyses Deo supplicans, ut Messiam quantocitius mitteret, *Exodi Cap.* 4. *Obsecro*, inquit, *Domine, mitte, quem missurus es*, nulla adjuncta nomenclatura. Sic Habacuc *Cap.* 2. *Quia veniens veniet, & non tardabit*; nec tamen quis ille sit, peculiari nomine designatur. Non absimiliter delegati ad Christum nostrum Judæi nonnulli, ut eundem interrogarent, num fortè Messias esset, nec ne? (Matt. *Cap.* 11.) *Tu es*, inquierunt, *qui venturus es, an alium expectamus?* Scilicet id perspectum habebant, *venturi* nomine Excellentia quadam, & antonomasticè Messiam significari. Sic ergo cùm venturum, mittendumque promittat eo loci Sanctissimus Patriarcha illum ipsum, cui hoc Nomen Antonomasia quadam, & Excellentia inhæsit, compertum est, non alium, nisi Messiam sacro illo Oraculo designari.

Confirmat hoc ipsum Nota altera, qua eundem illum insignivit Patriarcha Sanctissimus *: Et ipse erit expectatio Gentium*. Eo quippe Titulo Messiam insigniri, passim Sacris in Literis explorata res est, *Psal.* 21. : *Adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ Gentium : Psal.* 85. : *Omnes Gentes, quascumque fecisti, venient :* Isaiæ *Cap.* 2 *: Fluent ad eum omnes Gentes*: Idem *Cap.* 11.: *Ipsum Gentes deprecabuntur* : Rursus *Cap.* 49. *: Ecce dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum Terræ* : Aggæi *Cap.* 2. : *Movebo omnes Gentes, & veniet Desideratus cunctis Gentibus* : & alibi sæpius. Ut plane Judæos non modò cæcos, sed & vecordes esse oporteat, qui Messiam eo Titulo designari pertinaciter negant.

Nil minùs Messiam hoc loco designari compertum erit, si Textum ipsum hebraicum, cui Judæi tenaciùs hærent, consulamus;
ejus

ejusdemque priscos e Judæis Interpretes, aliosque, quorum in Synagoga celebre nomen est, audiamus.

Textus hebraicus ita plane ad literam redditur: *Non recedet Sceptrum a Juda, & Legislator de interpedes ejus, usquequò veniat Siloh: & erit ei obedientia Populorum.* Quæ sanè, sin minùs verba Vulgatæ nostræ referunt, attamen sensum. Nomen quippe *Legislatoris*, quod habet hebraicus Textus, *Ducis* vocabulo reddit vulgatus Interpres; quia prima Ducis, ac Principis potestas in ferendis Legibus sita est, quibus Populum ducit, regit, moderatur. Quod ait hebraicus Textus *de interpedes ejus*, hoc ipsum est, quod habet vulgatus Interpres *de fœmore ejus*. Ea quippe hebraicæ linguæ sanctitas est, castimonia, puritas, ut partes generationi servientes non ex nomine, sed potius ex situ designet. Quare cùm dicendum illi esset, *de fœmoribus*, seu *de genitalibus ejus*, dicere maluit *de interpedes ejus*. Quod subdit *donec veniat Siloh*, idem plane sonat, ac *qui mittendus est; Siloh* enim idem quod *missus*. Hinc Natatoria Siloe *interpretatur missus*, Joan. *Cap. 9.* Quod tandem ultimò ponitur, *& erit ei obedientia Populorum*, in id redit, quod habet Interpretatio Vulgata, *& erit expectatio Gentium*; quia & illi ipsi Populi obedientiam venienti Christo præstabunt, qui ejus Adventum expectant.

Septuaginta Interpretes, quorum Suffragio Judæi stare, si qui illis pudor est, compelluntur, cùm & illi Judæi fuerint, seni ex qualibet Tribu selecti, ut Textum hebraicum græcè verterent sub Ptholomæo Philadelpho annis ante Christum nostrum ferme trecentis; septuaginta, inquam, Interpretes eundem omnino sensum reddidere, qui uni Messiæ congrure possit: *Non deficiet Princeps ex Juda, & Dux de fœmoribus ejus, donec veniant, quæ reposita sunt ei: & ipse est expectatio Gentium.* Ecquid enim sibi vult istud *donec veniant, quæ reposita sunt ei;* nisi donec impleantur Promissiones Abrahæ, Isaaco, & Jacobo factæ, *Genesis Cap.* 12. 26. 28., ut Messias ex illorum semine oriretur? Hæc enim, ut omnium maxima sunt, ita antonomasticè reposita, seu promissa dicuntur, ad quæ cætera omnia tanquam ad finem referuntur.

Textus Samaritanus, & ipse pariter a Judæis elaboratus, nil minùs evidenter Messiam hoc loco designatum confirmat: *Non auferetur Sceptrum de Juda, & Dux de vexillis ejus*, hoc est de Cohortibus ejus militaribus, *donec veniat Pacificus, & ad ipsum congregabuntur Populi.* Quis ille porro Pacificus, ad quem Gentium omnium Populi congregandi erant, nisi is, de quo ab Isaiâ dictum est *Cap. 9.: Vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. Multiplicabitur ejus Imperium, & pacis non erit finis?* De quo longè ante præ-

præcinuit Regius Vates *Psal.71.* : *Orietur in diebus ejus justitia, & abundantia pacis: donec auferatur Luna.* Et post Davidem Zacharias *Cap.9.* : *Dissipabitur arcus belli; & loquetur pacem Gentibus.*

Textus Chaldaicus, a Judæis etiam paraphrasticos adornatus, rem extra omnem dubitationis aleam ponit. Sic quippe habet : *Non auferetur habens Principatum a Domo Juda, neque Scriba a filiis filiorum ejus, donec veniat Messias, cujus est Regnum, & ei obedient Populi.* En utique Messiam ex ipso nomine designatum : cùm tamen Paraphrastæ illi & Genere, & Religione Judæi fuerint, Jonatham nimirum, & Onkelos.

Textus Syriacus haud multò aliter Oraculum reddit : *Non deficiet Sceptrum de Juda, & Expositor de interpedibus ejus, donec veniat is, cujus illud est, & ipsum expectabunt Gentes.* Quis verò ille intelligendus, cujus propriè est Judæ Sceptrum, nisi ille, qui illud æternùm obtinebit? De quo Danielis *Cap.7.* : *Potestas ejus, potestas æterna .... & Regnum ejus, quod non corrumpetur.*

Quid plura? Ipsum quoque Thalmud Babylonicum *Tractatu Sanhedrin Cap.11.* Messiam nomine *Siloh*, quod in hebraico Textu legitur, eo Jacobi Vaticinio designari disertissimè profitetur. Quæstionem quippe movens, quodnam sit Messiæ Nomen? Ita respondet : *Qui a domo Rabbi Schilæ sunt, dixerunt, Siloh Nomen ejus esse : quia dicitur donec venerit Siloh.* Ad locum scilicet, quem expendimus, alludit apertissimè. Ac re ipsa quidem Rabbini veteres pene omnes, Abraham Aben Ezra, David Kimchi, Salomon Jarchi, R. Joseph *in Ikkarin*, Abraham Lachutus in *Libro Juchasin*, aliique bene plures a Galatino, & Raymundo Martini recensiti, Messiæ Adventu eo Vaticinio prænuntiari sponte consentiunt, aliaque diverticula meditantur, ut necdum impletam Prophetiam ostendant. Donec Alii audaciores, nescio quo flante Aquilone, cùm ablatum Sceptrum de Juda cogente veritate fateantur, alterum a Messia Oraculo illo indigitari dictitarunt : quos distincta ineptiarum confutatione eventilare, nostrarum hìc tandem partium esse arbitramur.

Moysen igitur indigitari, ac prænunciari Aliqui volunt, ea maximè ratione, quòd Jacob in Terra Ægypti extremum diem agens Oraculum istud fuderit, ubi Posteros suos, defuncto Josepho, male multandos præsentiebat : atque idcirco, ut illos spe bona solaretur, Moysen liberatorem a Deo mittendum prænunciavit.

Perbellè id quidem, & in speciem saltem appositè. Minùs tamen feliciter conjectantur, qui id effutiunt; vertuntque ima summis : tum quòd Moyses non expectatio Gentium, sed eorum domitor potius fuerit : tum maximè, quia sic falsum prorsus esset, & absonum Vaticinium : *Non auferetur Sceptrum de Juda, donec veniat, qui mittendus*

rendus est. Tantum enim abest, ut Sceptrum in domo Juda, Duxque de fœmore ejus extiterit antequam Moyses ad Israelitici Populi liberationem mitteretur a Deo, ut potius vice versa certo certius sit, nullum in domo Juda, aut etiam in tota Judaica Gente fuisse Sceptrum, aut Ducem ante Moysen: cùm ante id temporis nonnisi dura, & atroci captivitate pressi, sine Capite, sine Duce, sine Legibus in Ægypto gemuerint. Rursus tantum abest, ut Moyse adoriente Sceptrum e domo Judæ recesserit, Duxque de fœmore ejus Judaicam Gentem moderari desierit, ut contra potius post tempora Moysis Judæorum Respublica tempore Judicum, ac subinde Regum Principes potentissimos obtinuerit; exterarumque Gentium gloriam aut æquarit, aut vicerit, *Lib.* 2. *Reg. Cap.* 7. *Fecique tibi nomen grande, juxta nomen magnorum, qui sunt in Terra*. Adeo scilicet nugivendi illi Fabulatores mutant quadrata rotundis.

Felicioribus ad divinandum ventis non ducuntur, qui Saulem indigitatum existimant eo Jacobi morientis Oraculo; & nomine *Siloh* in hebraico Textu notatum ajunt, *donec veniat Siloh*, quòd nempe is in Urbe Silo a Samuele sit inunctus in Regem. Præterquam enim adductis paulò ante Momentis confutari & illi possint (cùm nec Expectatio Gentium fuerit Saul; nec, adorto illo, Sceptrum de Juda recesserit; sed contra post ejus obitum, succedente Davide, ejusque Nepotibus, Sceptrum in domo Juda floruerit maximè) pugnant insuper ii cum Historiæ veritate. Non enim in Silo, sed in *Ramatha*, seu in *Ramathain sophin* unctus est Saul; in *Maspha* verò renuntiatus est Rex, ut legere est *Lib.* 1. *Regum Cap.* 10.

Hinc & ii confutati manent, qui pari prorsus absurdo Davidem designari hoc loco volunt; eoque nomine *Siloh* in hebraico Textu significari sibi fingunt, quòd eo tempore Rex sit inunctus, quo Arca de *Siloh* sublata est. Quandoquidem & post David stetit in Juda Sceptrum; ac longè quàm antehac potentius, & illustrius: diu verò antequam regnaret ille, imò & ante Saulis tempora Arca de Siloh sublata erat, 1. *Reg. Cap.* 4.

Perinde ridendi veniunt, qui Jacobi morientis Oraculum ad Jeroboamum miserè detorquent, quem idcirco in hebraico Textu *Siloh* nuncupatum effutiunt, quòd Rex *in Siloh* creatus esset. Tam enim id falsum est, quàm quòd maximè. *Libro* siquidem 3. *Regum Cap.* 12. in Sichem creatus dicitur. Aliunde verò, illo in Regem Israelis super decem Tribus electo, Judæ Regnum nequaquam extinctum est, quod penes Roboamum, aliosque Davidis Nepotes ad Sedeciam usque mansisse, certissimè liquet.

Turpiùs multò hallucinantur, qui Nabuchodonosorem a Jacobo moriente prænotatum, ac designatum existimant; non utique, ut

Virum Judæis propitium, ac salutarem; sed contra potius, ut Dei vindicis Administrum, qui illorum delicta plecteret. Eaque de caussa dictum esse, *Non auferetur Sceptrum de Juda, & Dux de fœmore ejus, donec veniat, qui mittendus est:* quia Nabuchodonosor, Judæis in captivitatem abductis, Joakimum illorum Regem conjecit in carcerem; ac demum, effossis oculis, e Regia Sede dejecit.

Age enim, hanc Joakimo Judæorum Regi injuriam irrogavit Nabuchodonosor Rex; non idcirco tamen Judæorum Genti Sceptrum eripuit; nec tunc Judææ Regnum extinctum est. Quod triplici ex Capite evinco: Primò; quia, Joakimo in carcerem conjecto, Patruum ejus Sedeciam Regem instituit Nabuchodonosor, ut constat ex *Lib.2. Paralipomenon Cap 36.* Atque idcirco in Tribu Juda stabat Jus regium, ac in ipsa etiam Davidis Familia: Secundò; quia, extincto Nabuconodosore, Joakimum vinculis solutum Solio restituit Evilmerodachus Nabuchodonosoris Filius, eique regia Insignia contulit, ut legitur *Lib.4. Regum Cap 25.* Tertiò; quia post solutam deinceps captivitatem Babylonicam suos Duces, ac inter alios Zorobabelem habuit Respublica Judæorum, suisque Legibus sub Aristocratico Imperio sub Assamonæis ad Herodem usque perduravit. Quo demum tempore, ad Alienigenam translato Sceptro, Judæi suprema potestate exuti sunt; quod loco suo distinctiùs explicabimus. Deinde quis credat, Nabuchodonosorem *Expectationem Gentium* dictum esse a Patriarcha Jacobo, qui potius juxta Isaiæ Oraculum *Cap. 14.* Impiorum, & Sceleratorum numero ab universis Gentibus habitus est? Quis credat, illum *mittendum* antonomasticè dictum esse; cùm eo Nomine, eoque Titulo is peculiariter designetur, quem studio tam ardenti, ac vehementi Judæi ad se mitti peroptabant, venturumque Liberatorem precabantur? Ut prætaream, Sanctissimum Patriarcham fausta hic, lætaque Filio suo Judæ ominari; quæ certè a futura Nabucodonosoris in Judæos tyrannide longè absunt.

Miror inter tam multos Synagogæ Fabulatores, qui tam varia Suffugia quæsiere, ut Jacobeum Oraculum ad alterum, quàm ad Messiam præsignandum inflecterent, inventos non esse aliquos, qui Pompejum indigitatum, ac prænuntiatum effutierint. Sub Pompejo enim non minùs, quàm sub Nabuchodonosore Sceptrum Judæis videtur ablatum, dum ii Romanis vectigales effecti sunt. Sed nec id quidem prudenter obtendi potest. Quanquam enim Judæos subegerit Pompejus annis ante Christum nostrum sexaginta tribus, eosque Romanis fecerit vectigales; Sceptrum tamen, seu Principatum nequaquam abstulit, sed detruso Aristobulo Hircanum illius Fratrem Solio restituit; ut est apud Josephum *Lib. 14. Antiquitatum Judaicarum Cap. 8.*

Cap. 8. *& Lib.* 1. *de Bello Judaico Cap.* 5. Quod aliàs etiam, ac diu ante Pompejum Judaicæ Genti contigerat, ut pariter vectigalis Gentibus fieret; quin tamen jure Sceptri excideret. Qua de re *Lib.* 1. *Machabæorum Cap.* 13. scriptum legimus: *Anno centesimo septuagesimo ablatum est jugum Gentium ab Israel: Et cœpit Populus Israel scribere in tabulis, & gestis publicis* Anno primo sub Simone summo Sacerdote, magno Duce & Principe Judæorum: anno scilicet ante Christum centesimo quadragesimo quinto.

Id ergo certum, indubitatumque, non alium, nisi Messiam, eo Jacobi morientis Oraculo designari. Nunc Illi mihi ex adverso refellendi veniunt, qui, cùm Messiam Oraculo illo prænuntiari fateantur, eò confugiunt, ut Sceptrum e Domo Juda ablatum inficientur. Hos proxima Prælectione pro suis meritis exagitabimus.



PRÆLECTIO XV.

Prioris Argumenti continuatio : Judææ Regnum circa Christi Domini ortum penitus eversum asseritur, propugnatur.



Hristum celeberrimo Jacobi morientis Oraculo prænuntiatum, eundemque illum, ablato Judææ Sceptro, mittendum a Deo superiori Prælectione demonstravimus. Rabbinorum cavillationes, & tricas, qui vel Moysen, vel Saulem, vel Davidem, vel Jeroboamum, vel demum Nabuchodonosorem eo Vaticinio prænuntiatos fabulantur, satis, opinor, confutavimus, ne ea parte Suffugia quærant. Restat, ut eos in præsentia refellamus, qui, cùm Messiam explicatissimis hujusce Oraculi verbis promitti fateantur, ablatum tamen a Juda Sceptrum diffitentur, ne Messiam Mortalibus illuxisse, concedere compellantur.

Vereor tamen maximè, ne otiosi hominis personam induisse videar, operamque inutiliter ludere, dum in re compertissima demonstranda studium pono. At trahit me vel invitum quorundam Judæorum audacia, qui ne Causså cecidisse videantur, Solem lucere meridie negare malunt, quàm victrici veritati fasces submittere. Quare, ut fugientes Hostes e vestigio insequar, bonas horas perdere malim, quàm meas in vindicanda veritate partes quoquo pacto desiderari.

Non auferetur, inquit sacrum Oraculum, in cujus expositione versamur, *Sceptrum de Juda, & Dux de fœmore ejus, donec veniat, qui mittendus est*; porro Sceptrum de Juda ablatum esse, Ducesque de fœmore ejus desiisse jampridem a Jesu Nazareni temporibus perspecta res est; ut hinc colligere certò liceat, promissi Messiæ tempora ejus ætate successisse. Sive enim de Sceptro peculiaris Tribus Judæ Vaticinium intelligatur, ut putant Aliqui, sive de Sceptro totius promiscuè Judaicæ Gentis, ut Alii censent; sive Sceptri, Ducisque nomine Regia Dignitas intelligatur, aut alia quævis Monarchica Potestas, ut visum Nonnullis est; sive demum Authoritas Aristocratica Senatus hebraici ex Viris septuaginta conflati, quem *Senhedrin* vocitabant; nullum prorsus apud Judæos Sceptrum extare, perspicuum est. Ex quo enim tempore Hierosolymorum Civitas eversa est, Templum igne absumptum sub Vespasiano, & Tito, annis post Jesum Nazarenum in Cœlos assumptum triginta sex; suis pulsa Sedibus misera Gens, extorris, & profuga aliarum Nationum imperio ubique paret, ac servit; omni supremæ Potestatis titulo exuta nec

Leges

Leges condit, nec gladii Jus exercet, nec monetam cudit, nec bellum denuntiat, nec sancit fœdera; nec quidquam attentat eorum, quibus stat summa Potestas; sed alieni ubique gentium Juris est, invisa, despecta, contemta, ludibriis omnium, & cachinnis objecta.

Si autem a Civilibus ad Sacra animum convertamus, in eos præjudicata res est. Exciso quippe Hierosolymorum Templo, destructoque Tabernaculo Sacrificia nec offerunt, nec offerre jam possunt; Sacerdotes nec habent, nec habere fas illis esset, ut Sacra peragerent, tametsi Hierosolymitanum Templum excitaretur. Cùm enim nonnisi ex Levitica Tribu Sacerdotes assumere illis liceat, Tribusque usque adeo inter sese confusas habeant, atque permixtas, ut Leviticam a cæteris secernere nemo possit, nulla illis seligendorum Sacerdotum facultas inest. Nulla ergo civilis, nulla sacra apud Judæos suprema Potestas est, nulla Respublica, nulla Religio. Res in propatulo est, in Orbis luce: nec enim Facti privati, sed publici Quæstio vertitur; quod & usurpatur oculis, & manibus contrectatur. Prodant, si quod Regnum habent, si quod supremum Jus; quovis illud nomine insignire lubeat: si quod Templum, si quod Sacrificium, si quem Pontificem, ac Sacerdotem. Prodant, gradum ultro referemus: non ablatum Sceptrum de Juda, & Ducem de fœmore ejus profitebimur; Jesumque Nazarenum Messiæ Titulo spoliabimus. At non ita profectò cucurbitæ sumus, ut hæc nobis venditari patiamur, quotquot sumus in Orbe Homines.

Res est profectò cachinnis omnibus digna, quo pacto Sceptra, Coronas, & Regna apud Suos etiamnum extare venditent Rabbini nonnulli, ut ignaro pecori, aurito gregi fidentiùs illudant; ac nondum impletum Jacobeum Vaticinium hariolentur. Sunt etenim, qui reliquias nobis obtrudunt decem Tribuum, quas Salmanazar Assyriorum Rex in captivitatem deportavit anno ante Christum nostrum Septingentesimo vigesimo primo, ut aliqua Dominationis vestigia iis etiamnum adjudicent. Quatuor Tribus, Dan, Gad, Nephtali, & Aser in Æthiopia etiamnum extare ajunt; sex reliquas in Asia suis Legibus utentes, ac Regna illic obtinentes. Verùm ne quis illico reponat, fabulosa hujusmodi Regna esse, quæ a Mortalium nemine ad nostram usque ætatem retecta sunt, id ad mendacii cautionem addunt providi Circulatores, Tribus illas Regnum obtinentes mœnibus igneis protectas esse, & ab omni Hominum commercio sejunctas. Ita R. Simeon Jacul. Regnantes, nescio quos, Judæos versus orientem Solem locat R. Abraham Perizol, alter nugarum Venditor. At ne mendacii revinci possit, (siquidem nullus eos detexit hactenus) hos Montibus immensis conclu-

clusos obtendit. Decem Tribus in America Coronas, ac Sceptra tenentes fabulatur Thalmud Hierosolymitanum. Ne tamen Fabula retegatur, putidiorem alteram fabulam addit; eas nempe nubibus protectas, & a reliquis Mortalibus hujusmodi sepimento separatas comminiscitur.

Ita Gregalium suorum, stolidique pecoris credulitati illudunt Rabbini circulatores, coeci, ducesque coecorum. Regna fingunt, sed impervia, igneis Moenibus, ac Montibus circumsepta, oppansis Nubibus inaccessa. At, si sic est, qua arte, quave industria ex iis Regionibus inaccessis ad ipsos Nuntii commearunt, ut isthæc rescire possent, literisque mandare? Nec advertunt, quàm stupendo dissidio invicem committantur professi Fabulatores. Nanque Simeon Jalcut decem Tribus regnatrices, partim in Æthiopia, partim in Asia locat: Thalmud verò Hierosolymitanum in America constituit. Sed age, fingant, si tandem lubet, in Lunæ concavo Regna sua, ut mendacia in tuto ponant; nos de decem illis Tribubus a Rege Salmanazare in captivitatem deportatis id unum scimus, quod a Josepho Judæo Scriptore celeberrimo memoriæ proditum est: eas nempe trans Euphratem adductas in immensam multitudinem excrevisse. Verùm nulla illic illarum Regna commemorat; imò Barbarorum Imperiis eas secutis inde temporibus subjectas fuisse, Severus Sulpitius observavit *Lib. 2. Historiarum*. Unus omnium Postellus semi-Judæus inventus est, qui *parte 1. Historiæ Orientalis Cap. 5. & 6.* memoriæ prodidit, decem Tribus a Salmanazare deportatas versus orientem Solem diu latitasse, ac tandem prognatos ex iis Tartaros, atque Turcas eripuisse, vastasque illas Regiones occupasse: quod ille ex Haytoni Armeni Historia probare nititur. Verùm tametsi pura, putaque Commenta illa sint, a viro projectæ fidei, lubricæque authoritatis somniata, Hebræis tamen nullo pacto, nulla ratione patrocinantur. Demus enim, & Turcas, & Tartaros, qui certè & Sceptra, & Regna tenent, a Judæis illis prognatos esse; non idcirco Regna, ac Sceptra tenere Judæi putandi essent; cùm nec Tartari, neque Turcæ Judaicis Moribus, Legibusve Imperium administrent; nec Moysis Religionem profiteantur: imò Judæos non secus, ac cæteri Principes, Mancipiorum loco habeant, duriùsque cæteris premant.

Jactant Alii longè multi, habere Suos in Syria Regnum florentissimum; nullum tamen inde ad nos Nuntium commeare, quia interjacet Sabbathicum Flumen, quod, ut sola die Sabbathi navigabile est, ita Judæis die illa iter agere non licet. Lepidè verò! Unde ergo extare illic, ac etiam florere Regnum didicere? Aut cur alterius etiam Gentis, ac Religionis Nuntios, & Tabellarios, qui-

quibus iter Sabbatho suscipere liceat, nec excipiunt, nec submittunt? Sed nec, quod fingitur, Sabbathicum Flumen impedimento Iudæis esse potest, quominus inde suos etiam Contribules Nuntios accipiant, & submittant. Nec enim Sabbathicum dictum fuit quòd sola die Sabbathi, qua Iudæis interdictum est iter, trajici possit; sed quòd sex dies continuos fluat, septimo quiescat, fluere desinat, alveumque relinquat omnino siccum, si Plinio fides est *Libro* 31. *Historiæ naturalis Cap.* 2. Seu potius, ut ex Iosepho colligere licet *Lib.* 7. *de Bello Judaico Cap.* 24., Sabbathicus fluvius est dictus, quòd Sabbatho fluat, senis verò diebus paulatim decrescat, ac tandem arescat omnino, donec recurrente Sabbatho assuetam præstat vicem. Id enim subobscura Iosephi narratio videtur innuere, dum Titi Imperatoris in Syriam excursionem describit: *Princeps Titus .... conspicit in itinere fluvium cognitione dignissimum. Is fluit medius inter Arcas, & Raphanæas Agrippæ Regni Civitates. Habet autem quoddam peculiare miraculum. Nam cùm sit, quando fluit, plurimus, neque mentus segnis, tamen interpositis sex diebus a fontibus deficiens, siccum exhibet locum videre. Deinde, quasi nulla mutatione facta, septimo die similis exoritur: atque hunc ordinem semper eum observare pro certo compertum est. Unde etiam Sabbathicus appellatus est, a sacro Judæorum septimo die sic denominatus.* Utcunque tamen se res habeat; seu sex diebus arescat Flumen, seu defluat; commodum perinde Iudæis præbebit iter, ut vel navigio si defluit, vel sicco pede, si arescit, trajicere valeant. Quanquàm, ut planiùs dicam, quod res est, nullus hujusmodi Fluvius in Syria visitur modò; quidquid olim, dum Syriæ Civitates obiret Titus Imperator, Historiamque Iosephus scriberet, rei fuerit.

Succedunt Alii de Synagoga nugivendi, qui, ut stramineum qualecunque Sceptrum Suis etiamnum adjudicent, certum, nescio quem, Æthmalotarcham nobis venditant e Tribu Iuda oriundum, quem Iudæi plerique Patriarcham appellant, quenque in Asia imperitare fabulantur. Commentum hoc pigmentis multis ornavit Rabbi Beniamin Tudelensis in Itinerario historico. Suum illum Æthmalotarcham Genealogiæ suæ seriem texere scribit; legitimisque documentis probare, infinitas Iudæorum Copias versus Eurum obtinere sui juris, rerumque omnium ubertate affluentes, beatissimaque loca latè occupantes.

Vetus est illa Iudæorum cantilena, jam a secundo Christiani nominis Sæculo decantata, in quam Origines ipse calamum acuit *Lib.* 4. *de Principiis Cap.* 1. Duo ergo tempora cautè hìc secernenda veniunt, ne ullum inde Iudæi præsidium petant; Origenis nimirum ætatem, & sequentium Sæculorum seriem. Quod ad Ori-

ge-

genis ætatem attinet, utpote ab excidio Hierosolymitano non longè dissitam, negare omnino nolim, extitisse etiam tum apud Iudæos aliquam præteritæ Potestatis fugitivam memoriam, nonnulla ereptæ Authoritatis vestigia, languidumque extinctæ Reipublicæ cadaver; Judæos in Suos jure gladii interdum usos esse; (Origine in Epistola ad Julium Africanum id atteftante) tametsi nonnisi dissimulantibus Romanis, ac permittentibus, jure gladii uterentur. Verùm habuisse illos ea ætate aut Regem, aut Ducem, aut Principem, quovis tandem barbaro nomine lubeat appellare, omnino nego. Nec suum illum, quem venditant, Æthmalotarcham Origenis ætate supremum Jus obtinuisse, ullo Testimonio comprobabunt. Dent, si quod habent, nec suis nos mendaciis pascant. Cæterùm, quod posteriora Origene tempora spectat, adeo attonsa, resectaque est straminea illa prætensi Æthmalotarchæ Potestas, ut non modò ubi jam sit, sed ubi fuerit, frustra quæratur. Id agnoscunt, vel inviti Rabbini ipsi, quibus aliquid pudoris est, frontemque non omnino perfricuerunt; R. David Kimchi in Prophetam Oseam, R. Isaac Abrabaviel in Commentariis in Isaiam, R. Manasse, R. David Ganz. Quin etiam, quod notandum magis, R. Isaac Axric Sodalium suorum fraudes in Asiatico illo Iudæorum Imperio confingendo, supremaque Æthmalotarchæ Potestate jactanda retegit, & irridet; gerrasque illas, ac nænias ad Misellorum solatium a Nebulonibus fictas ingenuè contestatur.

Neque verò tot egemus Adstipulatoribus, ut Beniaminum Tudelensem Asiatici hujusce Imperii, atque Æthmalotarchæ buccinatorem imposturæ revincamus. Ipse Fabulatorem sese prodit, acnugivendum, dum de iis, quæ narrat, nihil præter auditum se habere profitetur, solamque, unde id hauserit, famam jactat. Sed & nonnulla insuper addit, nectitque Fabellæ Circulator ille, quæ omnem Iudæis facultatem adimunt, Figmentum istud in suæ Caussæ præsidium obtrudendi. Addit quippe, Æthmalotarcham illum suum a Mahumetanorum Calipha ex solemni formula, suscepto nempe sigillo, Potestatem accipere solitum fuisse. Ex quo uno facilè colligas, tametsi alia nulla suppeterent, suprema illum Potestate minimè valuisse, qui alieno pendebat arbitrio, nec nisi precariam in suos Subditos Authoritatem exercebat.

At quid in iis Fabulis exsufflandis ludimus operam? Unius Oseæ Oraculo confecta res est, qui hodiernum Iudaicæ Gentis Statum vaticinatus *Cap.* 3. vel ipsam Imperii umbram, potestatemque omnem ademit: *Dies multos sedebunt filii Israel sine Rege, & sine Principe, & sine Sacrificio, & sine Altari, & sine Ephod, & sine Theraphin*

raphin. Quo uno Oraculo disertissimo Fabulas illas omnes de Principibus apud Iudæos etiamnum extantibus in anteceſſum occupavit. Neque enim illos uſque adeo ſtipites fore puto, ut id ab Oſea dictum reſpondeant de tempore Captivitatis Babylonicæ, non de præſenti Iudaicæ Gentis infortunio. Iudæos quippe in Captivitate Babylonica ſuos Reges, ac Principes habuiſſe, Sedeciam, Joakimum, Zorobabelem, ex *Lib.4. Regum Cap.25. & Lib.2. Paralipomenon Cap.30.* certò liquet. Suos etiam habuiſſe Pontifices, ac inter alios Jeſum filium Joſedech, Sacerdotem magnum, ex Aggæo *Cap.* 1. æquè conſtat. Suos habuiſſe Prophetas, Danielem ſcilicet, Jeremiam, Baruchum, Ezechielem, Aggæum, nota res eſt. Jus demum necis, & gladii in reos ſuos retinuiſſe, judicium in Suſannam eo tempore pronuntiatum disertè probat. Imò & id inſuper manifeſtum, tempore Captivitatis Babylonicæ Judæos non paucos Hieroſolymis ſubſtitiſſe, qui nomine Fratrum ſuorum in Babylonem deportatorum Hoſtias offerebant ad Aram Domini, quæ etiam everſo Templo reſidua fuerat, ut ex Baruchi *Cap.* 1. colligere eſt. Non ergo de Captivitate Babylonica vaticinatus eſt Oſeas dum dixit: *Dies multos ſedebunt filii Iſrael ſine Rege &c.* ſed infauſtum Judaicæ Gentis Statum, in quo verſatur impræſentiarum, certiſſimè denuntiavit.

Meliori fortaſſe fide videntur eſſe Judæorum Aliqui, qui cùm fictitia prorſus eſſe noverint jactata Suorum Regna, atque Imperia, eò deveniunt, ut dicant, non actu quidem Judæos Regnum obtinere, habere tamen jure ſummo; cùm illis, nonniſi per ſummam injuriam a Romanis ereptum ſit: atque ita necdum eſſe impletum Jacobeum Vaticinium. Labuntur ii tamen errore duplici, ac ſpiſſo admodum. Si enim ſatis Judæis eſſet, Sceptrum, ſeu Regnum habere jure; Judaici Regni, Sceptrique jactura certum, fixumque Adventus Meſſiæ Signum eſſe non poſſet; cùm ad extremum uſque Mundi diem pari libertate, parique titulo dicturi ſint, habere ſe Regnum, ac Sceptrum, non actu quidem, ſed jure ſummo. Quod enim illis a Romanis per ſummam, ut arbitrantur, injuriam ablatum eſt primùm, omni deinceps ætate per ſummam injuriam ablatum reputabitur, habebuntque ſemper, ut illis videbitur, jure ſummo, quod actu, ac re ipſa nunquam habebunt. Sed & illud falſiſſimum eſt, quod tanta audacia ponunt, poſt cladem illis a Romanis illatam ſtare penes ipſos Sceptri, Regnique jura. Quomodo enim ſuis avulſa Sedibus, totoque Orbe diſſipata infelix Natio jus Sceptri, Regnique retineat; ſuis maximè confuſis Tribubus, everſo Templo, amiſſo Sacerdotio, ſine quibus Judaicæ Reipublicæ forma ſtare non poteſt? Aut quomodo exutos ſe per ſummam injuriam Regno conqueruntur, qui, nonniſi in


si in perduellionis suæ pœnam, moniti sæpius, rogatique, ut arma ponerent, exuti sunt a Romanis?

Verùm, inquiet fortassis Aliquis: Nunquid Deus, etiam interposito Sacramento, non spoponderat, fore ut Regium Judææ Sceptrum in Davidica Stirpe tandem aliquando constitutum, nunquam excideret, sed in ævum potius perduraret? *Filii eorum usque in sæculum sedebunt super sedem tuam Psal.* 131. Aut ergo perennat etiamnum Judææ Sceptrum, aut promissi fidem violavit Deus; quod vel excogitare sacrilegum est.

Ita sanè; perennat Judææ Sceptrum in Domo David: sed quo pacto perennat, & ubi? Non aliter certè, quàm quia de temporali in spirituale transmutatum possidetur a Christo Jesu Davidis Filio, Judæorumque æterno Rege. Qua de caussa Angelus Gabriel Virginem Deiparam salutans Lucæ *Cap.* 1. *Ecce*, inquit, *concipies in utero, & paries Filium, & vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus: & regnabit in domo Jacob in æternum, & Regni ejus non erit finis.* En utique perennans Judææ Sceptrum juxta oppignoratam Davidi fidem; sed in spirituale commutatum: perennans, inquam, non apud perfidos Judæos omni dudum Regno, ac Principatu exutos, sed in Christo Jesu, atque in ejus Ecclesia.

Quandoquidem autem non defuere, ut infra videbimus, qui Jesum nostrum non ex Tribu Juda, sed ex Tribu Levi progenitum perperam fabularentur, operæ pretium me facturum existimo, si insanum hocce Commentum refellendum aggrediar: ne videlicet Judæi, quibuscum res nobis est in præsentia, inde suppetias emendicare nitantur, ut Jesum a Nazareth Messiam fuisse, sacris in Literis adpromissum, inficientur. Cùm etenim Messiæ Regnum in Davidica Familia perenniter duraturum Deus toties Prophetæ Sanctissimo pollicitus sit in Scripturis, consequens profectò erit, Promissum in Christo nostro minimè impletum iri, semel ac Ille ex alia, quàm ex Judaica Tribu, cujus erat Familia Davidis, duxisset originem. Id ergo nobis potissimùm evincere incumbit, Jesum ipsum, quem nos, uti Messiam, veneramur & colimus, ex Davidis Semine, adeoque ex Tribu Iuda, minimè verò ex Levitica, ut nonnulli Christiani Nominis Hostes falsò commenti sunt, ortum fuisse. Hoc porro Argumentum Iudæis ad breve tempus inducias dare, ut cum cæteris Adversariis novum ineamus certamen, necessariò nos cogit; ut inde & his Hostibus profligatis prælium in pristinos audentiùs instauremus. In pro-

proxima itaque Prælectione de hoc nobis differendum erit, demonstrandumque, Christum nostrum ex Tribu Iuda, non ex Levitica, imò ex ipsamet Familia Davidica, quæ Iudaicæ Tribus nobilissima fuit, originem suam derivasse: ut hinc manifestissimè appareat, Promissionem sacris in Libris a Deo toties Davidi factam de Regno (non utique temporali, ut sibi perperam Iudæi blandiuntur, sed in spirituale commutato) in ejus Stirpe perenniter duraturo, sua integra veritate constare, impletamque ad amussim in Iesu nostro fuisse.



dica ortus est Iesus noster. Secundò; quòd Iesu Christi Genus multò certiùs petendum sit ex Maria Matre, quàm ex Patre Iosepho; cùm is a Matre Virgine, non a Patre originem duxerit. Maria autem, Iesu Mater, erat de Tribu Levi. Siquidem, ut habetur Lucæ *Cap.* 1., cognata illa fuit *Elisabeth de filiabus Aaron uxoris Zachariæ Sacerdotis* : *Et ecce Elisabeth cognata tua*, inquit Angelus ad Mariam. Ex Levi itaque Tribu, cujus erat Aaronis Familia, descendit Iesus. Tertiò demum; quòd non desint Ecclesiæ Patres, qui Christum summum novæ Legis æternumque Sacerdotem ortum dicant de Genere Sacerdotali; quod uni Leviticæ Tribui assertum fuisse, nemo negaverit. Quapropter, nisi Messiæ Titulum Iesu nostro iniquè eripi patiamur, id summo studio probandum incumbit, Illum e Tribu Iuda, ac ex ipsa etiam Davidis Familia ortum duxisse. Verùm in eo evincendo, probandoque haud levis est labor; imò a pluribus frustra positus, ac prorsus incassum.

Id etenim ut evincant Theologi bene multi, Sacrarumque Scripturarum Interpretes, Evangeliorum Oracula colligunt numero plura, quibus liquet, Iosephum Christi Iesu Parentem de Domo, & Familia David extitisse: quasi inde consequens esse debeat, eundem ipsum Christum ex ea quoque Tribu, Familiâque Davidica traxisse originem. Equidem ubivis istiusmodi Testimonia obvia sunt. Lucæ *Cap.* 1. : *Missus est Angelus Gabriel .... ad Virginem desponsatam Viro, cui nomen erat Joseph, de Domo David, & nomen Virginis Maria*. Lucæ *Cap.* 2. rationem afferens idem Evangelista, cur Ioseph juxta Edictum Augusti Cæsaris in Bethlehem describi debuerit, quæ Davidis Civitas erat in Tribu Juda, ait : *Eo quòd esset de Domo, & Familia David*. Explicatiùs verò Matthæus *Cap.* 1. Iosephi Genealogiam adornans, eandem ab Abrahamo per Iudam Iacobi Filium, ac tum per Davidem, & Salomonem rectâ lineâ, rectoque filo deducit ad Iosephum usque Mariæ Virum. Ut plane nil certius, nihil apertius, quàm fuisse Iosephum de Tribu Iuda, ac de Familia Davidis. Verùm unde habent Theologi illi, consequens inde esse, ut ex eadem quoque Tribu, atque Familia Christus ipse originem duxerit? Id utique certa, ac necessaria consecutione colligeretur, si Ioseph Christi Pater secundùm Naturam extitisset. At cùm Ille non ex Josepho, sed ex Maria duntaxat originem traxerit, nihil inde ad Christi Domini Genus demonstrandum extundi potest, nisi & hoc alterum perinde probetur, Deiparam Virginem, quæ sola Christi Parens jure Naturæ vera est, ex Tribu Iuda Familiaque Davidica originem suam derivasse.

Haud me fugit, contendere Theologos illos, hoc quoque satis su-

superque probatum esse, Virginem Mariam ex Tribu Juda Davidisque Familia prognatam esse, ex quo Josephus Illius Sponsus ex ea Tribu, ac Familia ortus ostenditur. Quia nimirum, cùm ambo justissimi essent, non fuerunt Matrimonio juncti, nisi juxta Mosaicæ Legis Præscriptum, quo Matrimonia fieri vetabantur, nisi inter Contribules, ac etiam ejusdem Cognationis, atque Familiæ, ne Tribuum, Familiarumque Bona abalienarentur. Sic *Numer. Cap. ultimo : Nubant* (Filiæ) *quibus volunt, tantùm ut suæ Tribus hominibus : ne commisceatur Possessio filiorum Israel de Tribu in Tribum. Omnes Viri ducent Uxores de Tribu, & Cognatione sua; & cunctæ Fœminæ de eadem Tribu Maritos accipient; ut Hæreditas permaneat in Familiis, nec sibi misceantur Tribus; sed ita maneant, ut a Domino separatæ sunt.*

Id prima quidem fronte efficacissimum videtur, ac plane decretorium. Verùm, si res penitius attendatur, Lex illa exceptiones patitur bene multas, atque ex ipsa Legis ratione petitas, & Exemplis frequentissimis confirmatas; ut monet Paulus Burgensis, Cajetanus, Andreas Masius, Mariana, Bonfrerius, aliique Sacrarum Scripturarum Interpretes. Cùm enim idcirco fuerit Lex illa constituta, ne Tribuum Possessiones per Dotes Filiabus erogatas permiscerentur, transirentque de Tribu in Tribum, consequens profectò est, ea Lege fuisse solutas Filias de Tribu Levi, si Levitica Tribus Possessiones nullas in partitione Terræ promissæ a Deo susceperat: *Deuteron. Cap.* 10. : *Quam ob rem non habuit Levi partem, neque Possessionem cum Fratribus suis : quia ipse Dominus Possessio ejus est*. Accedit ad hoc, consequens esse, ea Lege fuisse solutas Filias pauperculas, quæ absque ulla sibi constituta Dote, absque ulla Parentum Hæreditate Matrimonio jungebantur. Præterea etiam, fuisse ea Lege solutas Puellas quoque prædivites, ac pingui Hæreditate donatas, modò, quæ illis obtigisset, Hæreditatem repudiarent, & avitis, seu paternis Juribus cederent. Cessante enim fine Legis, cessat & ipsa Lex.

Patescit id longè clariùs ex Versionibus Arabica, Syriaca, ac etiam Septuaginta Interpretum, ubi quod in Versione Vulgata nostra expressum non est, disertissimè declaratur : *Quæcunque Filia possederit Hæreditatem ex Tribu Filiorum Israel, alicui ex Tribu Domus Patris sui nubat; ut possideat quisque Filiorum Israel Hæreditatem Patris sui*. Confirmatur id ipsum etiam Exemplis : nam David, qui erat de Tribu Juda, uxorem duxit Michol filiam Saulis de Tribu Beniamin, ut legitur *Lib.* 1. *Reg. Cap.* 18. : & Jojadas, qui erat Pontifex, adeoque de Tribu Levi, uxorem duxit Josabeth filiam Joram de Tribu Juda, ut habetur *Lib.* 2. *Paralip. Cap.* 22. Quid etiam quòd *Judicum Cap. ultimo* undecim Tribus jurarunt, se Tribui

bui Beniamin non daturas Filias propter scelus a Beneaminis perpetratum; quod utique in pœnam, & ex vindictæ sensu non erant juraturæ Tribus illæ, si aliàs hujusmodi Connubia ex cummuni Lege prohibita fuissent. Poterat ergo Joseph, quanquam de Tribu Juda, ac de Domo David originem duceret, Mariam sibi Conjugem sumere ex Tribu Juda minimè prognatam, salva & integra Mosaica Lege; modò Illa vel ex Tribu Levitica prognata esset, quod utique volunt Adversarii; vel etiam quacunque ex Tribu originem duceret, modò paupercula esset, ac sine Hæreditate; quod creditu facile est, cùm pauperi Fabro juncta fuerit; aut modò paternam Hæreditatem repudiaret, si fortè dives esset, ut Hæres ex asse relicta: adeoque non illico probatum manet, Virginem Deiparam ex Tribu Juda, atque ex Davidis Familia prognatam esse, ex quo Joseph Sponsus ejus ex ea Familia, ac Tribu ortus ostenditur. Addiderim ex D. Gregorio Nazianzeno *in Carmine de Christi Genealogia*, Legem illam de Conjugiis intra easdem Tribus, atque Familias contrahendis a tempore Captivitatis Babilonicæ prorsus exolevisse, Tribusque invicem Matrimoniis permixtas fuisse, atque confusas; uti & Bona illarum post solutam Captivitatem confusa erant, atque permixta. Quod vel ipsius Josephi Exemplo compertum est; qui cùm esset de Tribu Juda, habitabat in Nazareth de Tribu Zabulon. Nihil itaque Lex illa *Numer. Cap. ultimo* obesse poterat, quominus Joseph Mariam, tametsi minimè Contribulem, uxorem duceret.

Eo ergo ablegato minùs, judicio quidem meo, stabili Fundamento, Catholica veritas aliunde petenda est, ut Christum e Tribu Juda, & ex Familia Davidica prognatum ineluctabiliter evincamus. Hujus rei decretorium Testimonium habemus apud Apostolum, non uno, alterove loco, sed tribus omnino. *Ad Hebræos Cap. 7.: Manifestum est enim, quòd ex Juda ortus sit Dominus noster: in qua Tribu nihil de Sacerdotibus Moyses locutus est*. Imò probat ibidem ex Instituto, Jesum novæ Legis Sacerdotem, & veteris Consummatorem ex alia Tribu fuisse oriundum, quàm ex Levitica: *Si ergo consummatio*, inquit, *per Sacerdotium Leviticum erat (Populus enim sub ipso Legem accepit) quid adhuc necessarium fuit, secundùm ordinem Melchisedech alium surgere Sacerdotem, & non secundùm ordinem Aaron dici?* Quo nihil disertius desiderari a quoquam potest. Tum *ad Rom. Cap. 1.* de Christo loquens inquit: *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem*. Demum *2. ad Timoth. Cap. 2.: Memor esto, Dominum Jesum Christum resurrexisse a mortuis, ex semine David*.

Confirmat hoc vel maximè, quòd Christus sæpenumero in Evangelio Davidis Filius nuncupetur non modò a Judæis, Divinam ejus

ex

ex Virginem Generationem ignorantibus (qui cùm Eum Josephi Filium crederent, Davidis quoque, ex quo Josephum prognatum noverant, Filium reputabant) verùm etiam ab iis ipsis, qui illibatæ ipsius Generationis Mysterium agnoscebant, nempe a Matthæo ipso Evangelium suum inchoante his verbis : *Liber Generationis Jesu Christi, Filii David, Filii Abraham :* ab Angelo Gabriele Lucæ *Cap.* 1. ad Virginem parituram Legato : *Dabit illi Dominus Deus Sedem David Patris ejus ; & regnabit in Domo Jacob in æternum.* Nec obest, si dixeris, Josephum quoque Christi Patrem ab iis ipsis in Evangelio nuncupari, qui eum sola opinione Patrem agnoscerent ; nempe ab ipsa Virgine Matre, Lucæ *Cap.* 2. : *Ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Sat bene enim (ex Guillelmi Estii sententia) probant Theologi bene multi, Josephum non sola opinione Patrem Christi Domini extitisse, sed verè, ac summo jure ; titulo scilicet Matrimonii veri cum Virgine Matre initi, quanquam non titulo copulæ conjugalis, quam cum Illa nunquam habuit.

Accedit ad cumulum probationis, quòd Virginem Deiparam, ex qua Christus verè ac propriè carnalem originem traxit, de Domo & Familia David extitisse, satis superque constet ex Historia a Luca descripta *Cap.* 2. : *Exiit Edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus Orbis .... Et ibant omnes ut profiterentur, Singuli in suam Civitatem. Ascendit autem & Joseph a Galilæa de Civitate Nazareth in Judæam, in Civitatem David, quæ vocatur Bethlehem : eo quòd esset de Domo, & Familia David, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante.* Ex quo ita colligo ad statutæ veritatis probationem : Unusquisque ex Edicto Cæsaris Augusti tenebatur describi in Civitate sua, seu in Civitate, quæ Familiæ suæ Caput esset *: Ibant Omnes ut profiterentur, Singuli in suam Civitatem :* & Joseph ipse idcirco ascendit in Bethlehem Civitatem David, ibidem describendus, *eo quòd esset de Domo, & Familia David.* Porro ascendit Ille, *ut describeretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante :* erat igitur & Ipsa de eadem Domo, atque Familia : alioquin in alia Civitate, alterius scilicet Tribus, describenda fuisset, si ex alia Tribu duxisset originem. Neque enim fingi potest, Eam aliàs fuisse descriptam in alia Civitate alterius Tribus ; venisse autem in Bethlehem, non ut ibi describeretur & ipsa, sed ut Viro suo ad Descriptionem pergenti faceret comitatum. Ea quippe verba *cum Maria desponsata sibi uxore prægnante*, non conjungit Evangelista cum verbo illo remotissimo *ascendit Joseph*, sed cum verbo conjunctissimo *ut profiteretur.* Deinde nisi & ipsa Virgo eâ in Civitate describenda fuisset, incredibile est, Josephum Uxorem prægnantem, ac etiam par-

partui proximam, longæ viæ Comitem, Sociamque e Galilæa in Judæam fuisse adducturum, non modò inutiliter, verùm etiam incommodè. Id itaque certum, indubitatumque, fuisse Mariam unà cum Josepho Bethlehemi descriptam, quòd & Ipsa, non secus ac Joseph, esset de Domo, & Familia Davidis.

Nunc Catholica veritate adversus Gentiles, Judæos, & Apostatas bono in lumine collocata, restat, ut ad eorum Momenta diluenda animum convertamus. Agite itaque, videamus. Nathan, inquiunt Illi, per quem Stemma genealogicum a Davide ad Christum deducit Lucas, verus non fuit, ac secundùm Naturam Davidis filius, sed adoptivus, ex Uria Sacerdote de Tribu Levitica procreatus, quem sibi David adoptavit in Filium, dum Bersabeam uxorem Uriæ sibi copulavit: non itaque de Tribu Juda per lineam Davidis ortus est Christus, sed veriùs de Tribu Levi.

Itane verò, non fuit Nathan verus Davidis filius? Imò verus, verissimusque perinde, ac Salomon; 2. *Regum Cap.* 5.: *Et hæc nomina eorum, qui nati sunt ei* (David) *in Jerusalem: Samua, & Sobab, & Nathan, & Salomon, & Jebahar, & Elisuà* &c. Et 1. *Paralip. Cap.* 3. *Porro in Jerusalem nati sunt ei Filii, Simmaa, & Sobab, & Nathan, & Salomon, quatuor de Bethsabeæ filia Ammiel*. Nathan itaque natus est Davidi filius, non adoptatus a Davide; putidumque figmentum est, quod Nonnulli somniarunt, Christi Progenitores ab Heli usque ad Nathan a D. Luca recensitos summos fuisse Sacerdotes de Tribu Levi. Quandoquidem Josephus *Lib.* 20. *Antiq. Judaic. Cap.* 8. seriem Pontificum edens, neminem recenset eorum, qui ab Evangelista inter Christi Progenitores sunt adnotati. Quanquam etsi daremus, Nathan verum Uriæ filium esse, non Davidis, perperam inde colligerent nugivendi, Christum e Tribu Levitica prognatum esse. Unde enim habent, quod tanta fiducia dictitant, Uriam de Tribu Levi fuisse, ac etiam Sacerdotem? Imò erat Ille longè veriùs de Tribu Juda: is qnippe sexcentis plus minùs vicibus in Libris Regum vocatur Hethæus a Patria; quæ Regio in partitione Terræ promissæ cesserat in Sortem Tribui Iuda.

Subjungunt tamen in Erroris præsidium, Mariam, Iesu Matrem, fuisse de Tribu Levi, propterea quòd Cognata ejus Elisabeth ea de Tribu prognata esset, utpote de Filiabus Aaron.

Verùm quàm parum ea Consecutio ex eo Principio fluat, ex antedictis manifestum est. Potuit quippe Elisabeth, quantumvis de Tribu Levi oriunda, cognata esse Beatæ Virginis, ortæ licet de Tribu Iuda; vel quia Elisabethæ Progenitorum Aliquis uxorem duxit de Tribu Iuda; vel quia vice versa Progenitorum Aliquis Deiparæ Virginis uxorem duxit de Tribu Levi. Quod quidem salva & integra Mosaica Lege fieri potuisse, plus satis ostensum est.

Opponunt ultimò, Patres nonnullos ultro citroque fateri, Christum Dominum ex genere Sacerdotum ortum esse, atque ita de Tribu Levi. Nimirum S. Augustinus *Lib.* 2. *de Consens. Evangelist. Cap.* 2.; Hilarius *in Cap.* 1. *Matth.*; Gregorius Nazianzenus *in Carmine de Christi Genealogia*.

Do manus, id asseruisse Nonnullos; at bona illorum venia Assertionem illam minimè amplecti possumus, cùm diserto Apostoli Dicto contraria videatur omnino. Is etenim, ut superiùs retulimus, apertè pronuntiat *ad Hebræos Cap.* 7.: *Manifestum est enim, quòd ex Juda ortus sit Dominus noster; in qua Tribu nihil de Sacerdotibus Moyses locutus est*. Addo tamen, nihil Patres illos Iudæis, eorum Testimonio abutentibus, suffragari. Quandoquidem Christum, non solo Sacerdotali Genere ortum dicunt, sed utroque simul, Regum scilicet, & Sacerdotum. Regium autem Genus in Iudæ Tribu perennabat: adeoque tametsi Christum e Tribu Levi sensu quodam ortum observent, ob inita scilicet inter utramque Tribum Matrimonia; eundem tamen simul, ac multò veriùs, e Tribu Iuda ortum agnoscunt.

Quocirca notandum hìc maximè velim, Nathanem Davidis filium, per quem Lucas Stemma Christi genealogicum deducit, alium longè esse a Nathane Propheta, qui Davidem de Adulterio reprehendit. Prior enim natus est in Ierusalem, alter in Gabbath Galilææ; junior ille, senior Iste; Ille de Tribu Juda, utpote filius Davidis, Iste incerta Tribu; quem tamen Levitam fecere Nonnulli: quo duplici errore decepti, Christum ex Nathane secundum Lucam procreatum e Levitica Tribu commenti sunt, Apostolo, ut sæpe monuimus, repugnante. Ita plane statuit Augustinus *Lib.* 1. *Retract. Cap.* 26., contra quod antea docuerat *Lib.* 83. *Quæstion. Quæst.* 61.

Cæterùm ad uberiorem Generis Christi Domini notitiam comparandam, gravissimasque ea de re obortas Difficultates eliquandas, de bina ejus Genealogia a Matthæo, & Luca descripta in sequentibus differemus.



PRÆ-

PRÆLECTIO XVII.

Quo pacto geminæ Christi Genealogiæ a D. Matthæo, & D. Luca descriptæ, quæ dissonæ plane videntur, conciliari secum invicem possint, ostenditur.



Abirinthum ingredior hodie intricatissimum, unde emergere difficillimum sit. Geminam Christi Domini Genealogiam intelligo, a Matthæo, & Luca descriptam, infinitis Difficultatibus implicitam, in quibus dirimendis, enodandisque plerique Ecclesiæ Patres, ac Scripturarum Interpretes desudarunt. Eæ verò ad duo maximè Capita revocantur; de quibus nobis impræsentiarum est differendum, ad integram, plenamque Christi Prosapiæ intelligentiam studiosæ Juventuti tradendam. Primùm, quo pacto geminæ Genealogiæ secum invicem conciliari possint: Alterum, qua ratione cum veteris Testamenti Historia congruant. De primo dicendum nunc, de altero in sequenti.

Itaque, ut pressiùs propositam Quæstionem attingam, triplicem utriusque Genealogiæ a se invicem discrepantiam, ac dissonantiam ob oculos ponam; quo simpliciùs implexæ, ac salebrosæ Difficultates enodentur. Matthæus ergo *Cap.* 1. Evangelii sui, Christi Genealogiam a Davide ducit per Salomonem, inquiens: *David autem Rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Uriæ. Salomon autem genuit Roboam.* Lucas verò *Cap.* 3. eandem Genealogiam a Davide deducit per Nathanem, alterum ejusdem Davidis filium, scribens ordine retrogrado: *Qui fuit Menna, qui fuit Mathatha, qui fuit Nathan, qui fuit David.* Tum postea, Matthæus a Davide ad Joseph Jesu Christi Patrem descendens Progenitores recenset ab iis omnino distinctos, qui sunt a Luca recensiti, solis exceptis *Salathiele*, & *Zorobabele*; qui in utraque Genealogia perinde notantur; quorum tamen priori Patrem Jechoniam Matthæus assignat dicens: *Jechonias genuit Salathiel; Salathiel autem genuit Zorobabel:* Lucas verò Nerium illi Patrem attribuit, inquiens: *Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri*, videlicet filius. Matthæus demum Jacob Josepho Patrem assignat, scribens: *Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ:* Lucas contra Heli Josepho Patrem tribuit: *Joseph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat.*

Expediendi, extricandique hujus triplicis Nodi duæ potissimæ apparent viæ a magnis olim Ingeniis excogitatæ. Primam, eamque

planissimam Julius Africanus aperuit ineunte Sæculo III.; quam secutis inde temporibus plerique Patrum, veterumque Scriptorum tenuerunt, Eusebius *Lib.* 1. *Hist. Eccles. Cap.* 6.; S. Hieronymus *in Comment. ad Cap.* 1. *Matth.*; S. Gregorius Nazianzenus *in Carmine de Christi Genealogia*; S. Ambrosius *Lib.* 3. *in Lucam Cap.* 1.; S. Augustinus *Lib.* 2. *Retract. Capp.* 7. & 12. (quanquam de ea antea dubitasset) Theophylactus, & Euthymius *in Cap.* 3. *Lucæ*; Nicephorus *Lib.* 1. *Hist. Eccles. Cap.* 11.; S. Thomas 3. *part. quæst.* 31. *art.* 3. *ad* 2. Quam etiam conciliationis viam idem Julius Africanus a Christi ipsius Cognatis monstratam contestatur *Epist. ad Aristidem : Cognati*, inquit, *Salvatoris nostri, sive ad ostendendam Generis sui nobilitatem, sive ut simpliciter rem docerent, veraci utique sermone nobis hæc tradiderunt* : Matthæum scilicet Christi Progenitores secundùm Naturam percensuisse; Lucam verò secundùm Legem; quo vel uno objectæ omnes speciosæ Dissonantiæ in concordiam revocantur.

Quod ut faciliùs percipiat studiosa Iuventus, recolenda Lex est in Libro Deuteronomii lata Cap. 25. : *Quando habitaverint Fratres simul, & unus ex eis absque Liberis mortuus fuerit, Uxor Defuncti non nubet alteri : sed accipiet eam Frater ejus, & suscitabit semen Fratris sui : & primogenitum ex ea Filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Israel.* Quo casu, Filius ex secundo illo Matrimonio procreatus, secundùm Naturam quidem alterius Mariti Filius erat; secundùm Legem tamen prioris Mariti Filius censebatur; quia non alio titulo genitus erat, quàm ut Prioris, absque Liberis extincti, semen suscitaretur in Israel: unde & Primo nasci dicebatur Filius, non Secundo. Hanc porro Legem, non de solis Fratribus strictiori sensu acceptis (eodem scilicet Patre, ac Matre genitis) latam fuisse; sed & de Fratribus latiori sensu pro Scripturarum more intellectis (Cognatis nimirum & Propinquis) accipi oportere, ex Ruth Historia perspectum est, *Cap.* 4.; ubi Mahalone Ruthæ Marito sine Liberis defuncto, de jure ducendæ Viduæ relictæ, non stricti nominis Fratres agunt, sed Cognati duntaxat, atque Propinqui; eandemque Booz tandem obtinuit Mahalonis defuncti non Frater utique, sed Propinquus.

Secundùm hanc itaque Legem (quæ Lex Leviratus dicta est, quia Levir Mariti Fratrem sonat) Heli sine Liberis defuncto, Viduam relictam in Uxorem accepit Jacob; seu quòd essent illi Fratres uterini, eadem quidem Matre, quamvis non eodem Patre nati, ut putant Aliqui; seu quòd Propinqui, atque Cognati duntaxat essent, ut Alii arbitrantur; susceptusque ex eo Matrimonio Josephus, filius perinde dictus est Jacobi a Matthæo, & filius Heli a Luca:

Luca: Prioris, inquam, filius secundùm Naturam, a quo re ipsa genitus est; Alterius verò secundùm Legem Leviratus, cui ob suscitatum ipsius semen est attributus. Quare nil mirum, si ea semel facta Josephi Parentum distinctione (Jacob nimirum & Heli) utranque Christi Genealogiam prosequatur Matthæus & Lucas per Avos, Atavosque omnino distinctos; & alius quidem ad Davidem per Salomonem perveniat, alius per Nathanem. Cùm enim nonnisi uterini Fratres essent Jacob & Heli; aut etiam nonnisi Cognati, atque Propinqui, alios profectò Avos, Atavosque habebant, per quos ascensus ad primum Stipitem factus est. Quòd autem Salathieli, qui in utraque Genealogia perinde notatur, Patrem Jechoniam Matthæus assignet, Nerium verò Lucas; pari (ut antea de binis Josephi Parentibus diximus) casu factum creditur: nempe quòd, Nerio sine Liberis extincto, Jechonias Cognatus ejus, vel Propinquus relictam ejus Viduam duxerit in uxorem, ex qua Salathielem susceperit, filium utique suum secundum Naturam, Nerii verò filium secundùm Legem Leviratus: de quo plura in sequenti.

En planissimam geminæ Christi Genealogiæ secum invicem conciliandæ viam, expeditissimamque triplicis Nodi propositi solutionem, ex Leviratus Lege petitam. Non desinunt tamen Aliqui in contrarium eniti, novosque Nodos innectere, his potissimùm rationibus fulti. Primò, quòd laudata Deuteronomii Lex *de Fratribus simul habitantibus lata sit*: Jacob autem & Heli, si Fratres duntaxat uterini erant, aut etiam Cognati, ut dicitur, simul non habitarent, utpote ex diversis Patribus nati. Secundò, quòd ex Lege Leviratus Primogenitus ex secundo Matrimonio ortus prioris Mariti nomine vocandus esset: *Primogenitum ex ea Filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Israel*: Jacob autem natum ex illo Filium non vocaverit Heli, sed Joseph. Tertiò, quòd Filius ex secundo illo matrimonio procreatus nuspiam Sacris in Literis filius defuncti Mariti dicatur; adeoque nec Joseph Filius Heli dicendus fuisset, quanquam ex Lege Leviratus ex secundo Matrimonio natus esset.

Verùm tria hæc nullo negotio refelluntur. Quod enim in laudata Lege dicitur: *quando habitaverint Fratres simul*; de communi utriusque habitatione seu Domo, quam incolerent, nequit intelligi: tum quia Prior, ex quo tempore uxorem Matrimonio duxerat, Hæreditatem cum aliis Fratribus jam diviserat, & in alia Domo ab iis separatus habitabat, aliàs ingens fuisset Familiarum confusio, ea præsertim ætate temporum, qua ferme Omnes nubebant, ut Gentem suam multiplicarent, potentioremque in Hostes suos constituerent: tum etiam, quia Lex illa, non de solis Fratri-

tribus stricto sensu acceptis, ex eodem scilicet Patre eademque Matre genitis, intelligitur; sed de Fratribus etiam latiori sensu pro Scripturarum consuetudine sumtis, Cognatis nimirum, atque Propinquis; quod certè Ruthæ Viduæ Historia demonstrat. Ineptum autem est fingere, Propinquos omnes, Cognatosque eandem semper Domum, aut etiam Civitatem inhabitasse. *Habitare* itaque *simul*, in laudata Deuteronomii Lege, nil sonat aliud, quàm simul seu eodem tempore vivere; adeo ut adverbium *simul* non sit loci, sed temporis: maximè cùm verbum hebraicum *Fasab*, quod extat in Textu, non tantùm habitare, sed & *durare*, & *in vivis esse* perinde significet. Quare is laudatorum verborum est sensus: Quandiu duo Fratres simul tempore vixerint, & postea illorum alter, ducta uxore, sine Liberis mortuus fuerit, alter, qui fuerit superstes, illius Viduam sibi copulabit uxorem.

Rursus, quod eadem Leviratus Lege fertur, primogenitum ex Vidua Filium nomine prioris Mariti appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Israel; de nuncupatione ipsa, nominisque impositione nequit intelligi, quasi natus secundo Matrimonio Filius prioris Mariti nomine debeat appellari. Neque enim E. G. natus secundo Ruthæ Matrimonio Filius vocatus est Mahalon, quod prioris Mariti Nomen erat, sed Obed. Verùm hunc habet sensum Lex illa: Primogenitum ex ea natum prioris Mariti Filium habebit, ac reputabit, illiusque Hæredem constituet, ut non deleatur memoria ejus ex Israel. Quæ non modò trita Interpretum explicatio est, sed ex ipso Legis Fine, & Instituto liquet apertè. Quorsum enim hæc Lex, nisi ut suscitetur semen Viri absque Liberis defuncti, perinde ac si ipsemet Liberos genuisset? Porro, si quem ille, antequam ex hac luce decederet, filium genuisset, non illi utique nomen suum necessariò imposuisset; sed illum, ut semen suum, surculum suum, Hæredem constituisset, eaque sola ratione sui memoriam, ac Nomen in Israele conservasset. Nil igitur aliud Leviratus Lege ferebatur.

Postremum denique, quod obtruditur, tam falsum est, quàm quod maximè. Nihil enim sacris in Literis, ac in ipsamet lata Lege disertius, quàm Filium ex secundo illo Matrimonio procreatum prioris Mariti Filium haberi, ac dici. Quid enim aliud sonat *Primogenitum ex ea Filium nomine illius appellabit*, nisi filium illius habebit, ac porro dicet? Quid etiam illud de Onan *Genes. Cap.* 38. (cùm Lex illa nondum a Moyse lata, usu tamen & consuetudine anticipatò servaretur) *Sciens* (Onan) *non sibi nasci Filios, introiens ad Uxorem Fratri sui semen fundebat in terram?* Quid, inquam, illud, nisi sciens Onan, Filium ex Fratris sui Vidua nasciturum, Fratris potius habendum, illiusque potiori jure futurum, quàm

quàm suum, semen fundebat in terram? Subdit enim Sacer Textus, id Onan fecisse, *ne Liberi nomine Fratris sui nascerentur*. Potuit itaque Joseph Heli filius haberi, ac dici, ex Lege scilicet Leviratus; cùm a Jacob ex-inito cum illius Vidua Matrimonio genitus esset. Nil igitur est, quod priori conciliationi a Julio Africano excogitatæ possit opponi.

Alteram conciliandæ secum geminæ Christi Genealogiæ viam aperuerunt Alii, minoris quidem authoritatis Viri, sed pari, ut arbitror, ratione, ac verisimilitudine fulti. Nempe Christi Genealogiam a Matthæo contextam dicunt per Progenitores Josephi; a Luca verò per Progenitores Deiparæ Virginis: unde orta illa est tam patens proximorum Christi Avorum ab utroque Evangelista recensitorum varietas. Josephi quippe, & Mariæ, ut erant distincti Parentes, ita & Avi, Atavique diversi, donec longiùs ductæ Lineæ Genealogicæ in unam tandem, ut ferme fit, coaluerint. Secundùm hanc Sententiam Heli a Luca initio positus ipsiusmet Deiparæ Pater est; adeoque verborum illorum, quibus Genealogiæ initium dedit, *Jesum .... ut putabatur Filius Joseph, qui fuit Heli*, duplex debet esse sensus: prior quidem, ut Joseph sit Heli filius civili modo, & jure Matrimonii, quia Gener ejus erat; Gener enim filius Soceri dicitur, sicut & Nurus filia Socrus: alter, ut *τὸ qui fuit Heli* non referatur ad Joseph, sed ad Jesum ipsum, ut sensus sit: Jesus, qui putabatur filius Joseph, erat re vera filius Heli; filius, inquam, mediatus, quatenus filius erat Mariæ, quæ Heli filia erat.

Hæc mihi Conciliationis via nunquam displicuit; quia præter quamquod nativa est, plana, expeditaque, illud insuper habet commodi, quòd gravissimum occupet Argumentum adversus alteram Julii Africani Conciliationem, in hunc modum proponi solitum: Idcirco Evangelistæ Christi Domini Genealogiam texuerunt, ut Jesum ortum ostenderent de Tribu Juda, & de Domo David: at id non plenè ostenditur, tenendo Genealogiam Josephi; qui, tametsi titulo Conjugii Pater ejus esset, ad Illius tamen Generationem nihil operæ habuit: contra verò id bene conficitur, si Mariæ Genealogia adornetur, ex qua verè proprièque Christus secundùm carnem originem duxit: ea ergo Genealogia tenenda fuerat.

In hac tamen secunda Conciliationis via duo sunt scrupuli eximendi, qui Recentiores nonnullos malè torquent. Prior est, quòd Christus non modò ex Davidis Genere nasciturus esset, verùm etiam per Lineam Salomonis. Sic enim spoponderat Deus Davidem alloquens *Lib. 2. Reg. Cap. 7.: Cùmque completi fuerint dies tui, & dormieris cum Patribus tuis, suscitabo semen tuum*

post

post te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo Regnum ejus. Ipse ædificabit Domum Nomini meo, & stabilium thronum Regni ejus usque in sempiternum : quod de Salomone dictum nemo non videt. Thronus autem Salomonis non est Illi stabilitus in sempiternum, nisi in Persona Christi ex Illo proditurí, qui Judaicum Sceptrum in spirituale commutatum possidet in æternum, ut in superioribus dicebamus. Porro in hac secunda Conciliationis via a nobis exposita Christus ex Davide prognatus supponitur per Lineam Nathanis, non Salomonis. Non stat itaque cum Divino Promisso Davidi facto.

Miror, hocce Argumento deludi Aliquos ad propositum Systema rejiciendum; cùm idem plane in Lucæ Genealogiam contorqueri possit, quovis illa sensu accipiatur, ac sive illa sit Genealogia Josephi, sive Mariæ. Perinde enim a Luca quæri poterit, quorsum Christi Genus ad Davidem referat per Nathanem, cùm Deus Davidi spoponderit fore, ut ex Illo per Salomonem Messias esset oriturus, Illiusque Regnum in sempiternum occupaturus? Idcirco repono ego, in hoc ipso Systemate nostro Christum a Davide perinde descendere per Lineam Salomonis, ac per Lineam Nathanis: quia in serie Progenitorum, qui a Luca sunt adnotati in texenda, ut diximus, Mariæ Genealogia, occurrunt perinde Salathiel, & Zorobabel, qui ad Davidem etiam ascendunt per Lineam Salomonis, nempe per Jechoniam a Matthæo notatum; sicut ad Davidem per Lineam Nathanis ascendunt per Neri a Luca recensitum. Id solùm superest divinandum, cur Lucas, ut perveniat ad Davidem per Nathanem, Salathieli Patrem assignet Neri; Matthæus verò, ut ad eundem Davidem per Salomonem perveniat, Patrem Salathieli attribuat Jechoniam. At id, ut monui, factum esse necesse est per Legem Leviratus, secundùm quam Jechonias, ducta Neri Uxore vidua, secundùm Naturam Pater dictus est Salathielis, quem genuit re ipsa; Nerius secundùm Legem Pater illius habitus est, quia Ipsi a Leviratus Lege est attributus. At de hoc plura in sequenti.

Verùm, si ita sit, reponet Quispiam; si etiam in hac secunda Conciliationis via ad Leviratus Legem necessariò tandem sit recurrendum, ut Conciliatio ipsa fieri possit duplicem inter Christi Genealogiæ descriptionem ab utroque Evangelista factam, cur altera ineunda via erit, & non potius primæ illi Julii Africani inhærendum? Cur opus est, alteram comminisci Conciliationis rationem, quæ nonnisi in Julii Systemate explicari potest, atque fundari?

Responsio duplex statim occurrit. Primò; secundam conciliandi viam non ita nos retulisse, ut primæ eam præferendam existimemus.

memus. Placuit & illam exponere ad Argumenti abundantiam, non quasi certissimam, ac meliorem eam judicemus. Sit prior firmissima, atque tutissima; non abnuimus: sed & alteram fundamento suo nequaquam carere contendimus: utramque probamus, neutram respuimus. Cæterùm liberum cuique facimus, ut eam amplectatur, quæ sibi magis arridere videbitur.

Verùm (quod secundo loco reponimns) in hac secunda Conciliationis via, ut superiùs notavimus, Difficultati maximæ, quæ magnos etiam Viros torsit, feliciùs, meo quidem judicio, occurrimus, dum descriptam a D. Luca Christi Domini Genealogiam non per Josephi, qui naturalis ejus Parens minimè fuit, sed per Mariæ, naturalis utique Christi Matris, Progenitores contextam asserimus: hoc enim pacto verum secundùm carnem Jesu nostri Genus apertissimè agnoscimus; eundemque vera generatione a Davide, & Juda exortum ostendimus; nec in eos impingimus scopulos, quos in altera Expositione vitare difficillimum est. Neque enim plane perspicuum fit, quòd tam fidenter a quibusdam asseritur, satis nimirum esse, ut Christus Dominus a Juda derivatus per Davidem ostendatur, si semel Josephum ex iisdem progenitum demonstremus, propterea quòd ejusdem Tribus, atque Familiæ & Josephi Sponsa Maria esse debuerit, juxta Legem *Numer. Cap. ultimo* latam, qua vetabatur, ut Filiæ nuberent alienis a Tribu sua; Virisque jubebatur, ut Uxores ducerent de Tribu, & Cognatione sua. Satis enim ostendimus, Legem hanc universalem minimè fuisse; imò Josephi, & Mariæ temporibus penitus exoletam. Sed eò, unde divertimus, redeamus.

Alter, quo tenentur Nonnulli, Scrupulus est, quòd Mariæ Pater Joachimus esset, qui tamen in hac secunda Conciliationis via Heli fuisse supponitur. At Scrupulum istum de facili eximet quisquis cogitaverit, binomium Deiparæ Parentem esse potuisse, quemadmodum & Davidis Pater in Scripturis alicubi legitur Jesse, alicubi Isai; aliosque non paucos fuisse binomios, certissimum est. Nullibi enim vetitum legimus, duplici nomine vocari Homines posse. Quin nec desunt, qui Joachimi (sicut & Annæ) Nomen mysticæ significationis Nomen esse contendant; quòd scilicet Anna *gratiam* sonet, Joachim verò *præparationem Domini*: qui utique Tituli Sanctissimis Deiparæ Progenitoribus apprimè congruunt. Illos inter fuit S. Fulbertus Carnotensis Episcopus *in Sermone super natalem Virginis diem*; quem ex manuscripto S. Victoris Franciscus Combefisius vulgavit, *Tom. 8. Biblioth. Concionatoriæ pag.* 110. Imò Bollandi Continuatores Joachimi, & Annæ nomina in dubio reliquerunt *in Actis* (Tom. 7. pag. 77.) *ad diem* 20. *Martii*. Verùm quid de hacce Opinione sentiendum sit, hìc nos non expen-

 dimus.

dimus. Satis quippe eſt, ſi Joachimum etiam Heli vocari potuiſſe aſſeramus; quo quidem poſito (nulla certè repugnante Lege) Difficultas tota evaneſcit.

Illud potiori jure quiſpiam quæret a nobis: quorſum Matthæus Chriſti Genus ex Abrahamo, & Davide velut ad oculum oſtenſurus, Joſephi Genealogiam adornarit, qui nullas in ejus Generatione partes habuit? Quæ enim juxta Illos, quibus altera Conciliationis via magis arridet, ratio Lucam movit, ut verum Chriſti Genus per Mariæ Progenitores oſtenderet, eadem quoque Matthæum, ut idem faceret, movere debuiſſet.

Reſponſio in promptu eſt: Matthæum videlicet Joſephi Genealogiam texuiſſe, ut Argumento, velut ad hominem, Judæos urgeret, qui Chriſtum verum, propriumque Joſephi filium habebant, tanquam ab eo carnali generatione procreatum. Hac enim Illorum opinione poſita, Chriſtus verus Abrahami, & Davidis Filius probabatur, ex quo Joſeph talis eſſe oſtendebatur. Sic itaque utrumque Evangelii Scriptorem in texenda Chriſti Genealogia Divinus Spiritus afflare potuit, ut Chriſti Genus ex Davide ductum, quocumque poſſet modo fieri, Univerſis palam facerent, ſeu Patrem, ut moris eſt, ſpectare Alii vellent, ſeu Matrem, ut illibatæ Generationis ratio poſtulabat, attendere Alii mallent. Id etiam feciſſe Matthæum, veroſimilius eſt, quòd Joſeph Mariam proxima fortè Cognatione contingeret, eſſetque Illius fortaſſe Conſobrinus: quo caſu una utriuſque Familia erat, idem Genealogicum Stemma. Et quidem, tametſi Lex *Numer. cap. ultimo* non admodum urgeret, Judæi tamen religioſi, ubi peculiaris cauſſa non oberat, intra eandem Cognationem, atque Familiam Matrimonio jungebantur. At mera hæc, ut dixi, probabilitas eſt; non certum indubitatumque documentum. Hoc idem feciſſe Matthæum, Alii dicunt, quòd Hebræi ſoliti eſſent, Genealogias ſuas per Patris Avos, Atavoſque, non itidem Matris deſcribere: adeoque egiſſe Illum ex more, & conſuetudine Judæorum, in quorum gratiam præcipuè Evangelium ſuum ſcripſerat idiomate Hebraico. Aſſentior plane, proboque: fecit Is rectè ex Fine, Inſtitutoque ſuo, Judæos Argumento, ut ajunt, ad hominem, convincendi. At non idcirco imprudenter, præter morem, & conſuetudinem fecit Lucas, per Matris Progenitores Chriſti Genealogiam adornans; tum quia fortè in Gentilium gratiam Evangelium conſcripſit, Græco idiomate uſus, penes quos ille Judæorum uſus fortaſſis non invaluerat; tum etiam, quia caſus ille ſingularis omnino erat; Illiuſque Genus deſcribebat, qui ſolus ex omnibus a Matre duntaxat, non a Patre, Genus obtinuit.

Super-

Supereſt modò altera, quam propoſuimus, de Chriſti Genealogia, ab utroque Evangeliſta deſcriptâ, Difficultas expendenda: quo videlicet pacto, Evangeliſtarum Narratio cum veteris Teſtamenti Hiſtoria conciliari valeat. Eſt enim hic Nodus intricatiſſimus; cujus ſolutio veterum æquè, ac recentiorum Theologorum, & Scripturarum Interpretum Ingenia male torſit. Hoc itaque Argumentum nos in ſequenti pro captu noſtro tractabimus, Diſſonantiasque illas, atque Antilogias ſpecioſas, quæ maximum faceſſere videntur negotium, ad examen vocabimus, atque in concordiam reducemus.



PRÆLECTIO XVIII.

Qua ratione Christi Domini Genealogiæ a Matthæo, & Luca exaratæ cum Veteris Testamenti Historia conciliari valeant, expenditur.



MEdiam duntaxat suscepti operis partem expedívimus, dum binas Matthæi, & Lucæ Genealogias mutuò secum conciliavimus, ne pugnare invicem videantur. Restat pars altera difficilior expedienda; earum scilicet cum veteri Testamento tentanda Conciliatio. In multis quippe Capitibus a Sacra veteris Testamenti Historia quàm longissimè dissidere videntur. Quare speciosas illas Dissonantias, & Antilogias in certas Classes distribuemus, quo faciliùs, atque commodiùs in concordiam revocentur.

Prima Dissonantia ita se habet: Apud Matthæum *Cap.* 1., *Joram genuit Oziam*: at, ut colligitur *ex Lib.* 4. *Regum Capp.* 8. 11. 12. 14. 15. Joram genuit Ochoziam, Ochozias genuit Joas, Joas genuit Amasiam, Amasias genuit Azariam, seu, ut legitur *Lib.* 2. *Paralip. Cap.* 27., Oziam; qui fortè binomius fuit. Tres itaque Gradus Genealogici apud Matthæum omittuntur; nempe Ochozias, Joas, & Amasias.

At nec est illa proprii nominis Dissonantia, nec Matthæi Propositio *Joram genuit Oziam* absolutè falsa est. Quia Joram, sin minùs immediatè, ut ajunt, at saltem mediatè Oziam genuit. Sicut enim ex Sacrarum Scripturarum formula Nepotes, ac Pronepotes filii dicuntur Avorum, & Proavorum (ut dum Christus dicitur Filius David; Judæi Filii Abrahæ) ita Avi, Proavique dici possunt genuisse Nepotes, ac Pronepotes: Isaiæ *Cap.* 51.: *Attendite ad Abraham Patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos*; quanquam ætate Isaiæ annos circiter mille trecentos ab Abrahamo & Sara Judæi numerarent. Cur autem tres Illi intermedii Progenitores a Matthæo silentio missi fuerint, Ochozias, Joas, & Amasias, moralis ratio est: quia nimirum tres illi Reges ex progenie erant Achabi: Joram enim genuit Ochoziam ex Athalia filia Achabi: Deus autem Achabi progeniei maledixerat usque ad mingentem ad parietem *Lib.* 3. *Reg. Cap.* 21.; ideoque non erant in Christi Genealogia recensendi: uti plane Tribus Dan in recensione *Signatorum ex omni Tribu Filiorum Israel* prætermissa est, *Apocalyps. Cap.* 7., quia hæc a Dei cultu defecerat, ac sese Gentibus immiscuerat, Judicum *Cap.* 18. Ideo tamen

men secuti deinceps Achabi Posteri in Christi Genealogia sunt recensiti, quia Dei maledictio Filiis interminata ob peccata Patrum, non protenditur ultra tertiam & quartam Generationem : *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitates Patrum in Filios, in tertiam, & quartam Generationem eorum, qui oderunt me; Exod. Cap.* 20. Dici etiam posset, tres illos, Ochoziam, Joas, & Amasiam omissos ab Evangelista fuisse in odium Athaliæ Ochoziæ matris, pessimæ fœminæ, quæ, cognita Filii nece, per summam impietatem stirpem omnem Regiam interfecerat, excepto Joas, quem Josaba filia Regis Joram, & Ochoziæ soror furata est de medio Filiorum Regis, qui necabantur, & abscondit eum a facie Athaliæ, ne interficeretur, ut habetur eodem *Lib.* 4. *Reg. Cap.* 11.

Altera Dissonantia hujusmodi est : Apud Matthæum *Josias genuit Jechoniam, & Fratres ejus in transmigratione Babylonis.* Ubi duplex videtur Erratum. Primum, quia Josias non genuit Jechoniam, sed Joakin; Joakin verò genuit Jechoniam, ut legitur eodem *Lib.* 4. *Reg. Capp.* 23., & 24.; ubi nomen Joachaz filii Josiæ mutatum legimus (*Cap.* 23.) in Joakin; cujus Filius, qui *Cap.* 24. vocatur Joachin, ipsemet est Jechonias, ut notat Antonius Vitrè in Editione sua Sacrorum Bibliorum, & colligitur ex *Cap.* 22. Jeremiæ : unde Gradus unus genealogicus videtur omissus. Secundum; quia Josias occubuit in Jerusalem ante transmigrationem Babylonis, ut habetur *Lib.* 2. *Paralip. Cap.* 35. ; adeoque Jechoniam, & Fratres ejus generare non potuit *in transmigratione Babylonis.*

Missis implexis, obscurisque variorum Interpretum solutionibus, idem ferme repono, quod antea; gradum unum fuisse omissum : at justa de caussa, & illæsa Evangelica veritate. Justa, inquam, de caussa; quia Joakin Josiæ Filius, & Jechoniæ seu Joachin Pater, Vir nequissimus fuit; & ob ingentia scelera sepulturâ Asini extra portam Civitatis sepultus est, ut legitur Jeremiæ *Cap.* 22. Idcirco in Christi Progenitorum serie silentio mittendus Matthæo visus est, perinde ac Ochozias, Joas, & Amasias, de quibus antea dicebamus. Illæsa quoque Evangelica veritate id factum est : quippe stat semper, Josiam genuisse Jechoniam, non immediatè quidem, ut ajunt, sed medio Joakimo filio suo. Quæ loquendi ratio ex Sacrarum Scripturarum usu maximè est. Neque refert, si dixeris, Jechoniam, seu Joachinum (binomius enim fuit) haud multò meliorem fuisse Joakimo Patre suo, adeoque pari ratione fuisse omittendum. Ne enim omitteretur & ipse, ratio peculiaris obfuit; quia nimirum Dignitas Regum Juda ex Stirpe David in eo finem habuit; adeoque peculiaris ipsius mentio fieri debuit. Huc adde, non deesse, qui putent, omissionem illam Joakimi Josiæ filii a Matthæo ipso consultò factam non esse, sed Scribarum, & Amanuensium mendum fuisse.

Te-

Testatur enim Faber Stapulensis, a Joanne Maldonato laudatus, legisse se Codicem Græcum ita referentem : *Josias autem genuit Joakin, Joakin autem genuit Jechoniam*. At num hæc veriùs peculiaris illius Scribæ audacia fuit, qui Joakimum de suo adiecit?

Alterum autem, quod addebatur, Erratum; nempe a Matthæo scriptum esse, *Josiam genuisse Jechoniam, & Fratres ejus in transmigratione Babylonis*; cùm tamen Josias Hierosolymis mortuus sit ante hujusmodi transmigrationem, de facili refutabimus, si dixerimus, *τὸ in transmigratione Babylonis* non referri ad verbum *genuit*, quasi Josias genuerit Jechoniam, etiam medio Joakimo, in ipsa Babylonis transmigratione (obierat enim diu ante, quàm transmigratio illa fieret) sed referri debere ad Jechoniam, & Fratres ejus, ac si diceret : *Josias genuit Jechoniam, & Fratres ejus, qui postea fuerunt in transmigratione Babylonis*.

Tertia Dissonantia videri ista posset. Legimus apud Matthæum : *Et post transmigrationem Babylonis Jechonias genuit Salathiel :* Jeremiæ verò *Cap.* 22. *vers.* 30. Jechoniam sterilem legimus : *Scribe*, inquit, *Virum istum sterilem :* quomodo ergo genuit Salathielem? Rursus apud Lucam *Cap.* 3. legimus : *Qui fuit Salathiel, qui fuit Neri*. Neri igitur, non Jechonias, Salathielis Pater fuit. Demum *Lib.* 2. *Paralip. Cap.* 36. legimus, Joachinum, seu Jechoniam octo annorum fuisse, cùm regnare cœpisset ; regnasse verò in Jerusalem tribus mensibus, ac decem diebus ; quibus elapsis, ductus fuit a Nabuchodonosore in Babylonem ; qua certè ætate filios procreare non potuit : in ipsa igitur Captivitate eos procreasse dicendus erit, si quos procreavit ; non autem post Captivitatem, quæ annis duravit septuaginta. Neque enim existimandum est, tanto tempore absque Liberis extitisse.

Ad singula Capita Responsio in promptu est. Imprimis enim Jechonias absolutè sterilis dictus non est, cùm multos habuerit filios, ut habetur *Lib.* 1. *Paralip. Cap.* 3., videlicet Asir, Melchiram, Phadaja, Sennefer, Jecemia, Sama, Nadabin, ac ipsum, de quo hìc agitur, Salathielem; sed moraliter, ut ita dicam, vel politicè ; quòd nimirum nullos de Stirpe sua Regni Hæredes, & Successores habuerit : quod ex ipsis Jeremiæ verbis liquet apertè : *Scribe Virum istum sterilem: Virum, qui in diebus suis non prosperabitur ; nec enim erit de semine ejus Vir, qui sedeat super Solium David, & potestatem habeat ultra in Juda*. Ad alterum reponunt Nonnulli, Salathielem, de quo Lucas, alium ab eo esse, de quo Matthæus. Ille enim, inquiunt, filius fuit Neri a Davide descendens per Nathanem ; Iste filius Jechoniæ a Davide ducens originem per Salomonem. At si sic est, inquio ego ; nullo jam cer-

certo documento evincemus, Christi Progenitores a Luca notatos infra Salathielem a Davide etiam per Salomonem descendisse: quod tamen necesse omnino est; cùm Christus a Davide per Salomonem esset oriturus, ut non obscurè innuitur *Lib. 2. Reg. Cap. 7.* ubi Davidi prædicit Nathan futurum esse, ut in semine suo firmetur Regnum in sempiternum: quod certo certius de Christo Domino dictum est. Porro pro hujusmodi semine non alium intelligit, quàm Salomonem, qui Templum erat ædificaturus: *Ipse*, ait, *ædificabit Domum nomini meo; & stabiliam thronum Regni ejus usque in sempiternum.* Quare reponunt Alii, Salathielem, de quo Matthæus, eundem ac illum esse, de quo Lucas; filium tamen Naturâ fuisse Jechoniæ, adoptione verò filium Neri, quòd mortuo Jechonia vero ejus Parente, a Nerio fuisset adoptatus, adeoque Lucas Adoptionem spectasse potius, quàm Naturam. Quod quis credat? Alii demum Salathielem Neri filium, seu potius Nepotem dicunt ex parte Matris; quòd hæc Neri filia esset. At cur, quæso, Lucas, relicto paterno, ad maternum Genus genealogicam Lineam detorsisset? Quapropter veriùs reposuerim ego, Salathielem secundùm Naturam filium fuisse Jechoniæ, secundùm Legem Leviratus filium Neri; quòd nempe Nerio sine Liberis extincto Jechonias Cognatus ejus relictam illius Viduam uxorem duxerit, e qua Salathielem susceperit. Tertium antilogiæ Caput levius est, quàm ut quenquam morari possit. Matthæus enim Salathielem genitum scribens *post transmigrationem Babylonis*, eo nomine actum ipsum intellexit transmigrandi e Iudæa in Babylonem, non integram septuaginta annorum Captivitatem; quasi expleta Captivitate ipse genuisset. Unde *τὸ post transmigrationem Babylonis* idem sonat ac *post transmigrationem e Judæa in Babylonem*, ita ut Babylon fuerit terminus, ad quem facta fuit transmigratio, non a quo, soluta Captivitate, transmigratio facta iterum fuit in Iudæam. Hoc autem posito, stat optimè, Iechoniam Salathielem procreasse post transmigrationem in Babylonem; eo videlicet septuaginta annorum spatio, quo captivus in Babylone mansit. Non itaque invicem collidunt Matthæus, & Scriptor Paralipomenon.

Quarta Dissonantia talis est: Apud Matthæum *Salathiel genuit Zorobabel:* contra verò *Lib. 1. Paralip. Cap. 3.* Zorobabel fuit filius Pedaiæ, non Salathielis: *De Pedaia*, ait sacer Textus, *orti sunt Zorobabel, & Semei.*

Ita sanè. Verùm Zorobabel, de quo sermo est *Lib. 1. Paralip.*, alius longè est ab eo, de quo mentio fit in Genealogia Salvatoris. Quare nil mirum, si alius ei Pater assignetur. Zorobabel, de quo Matthæus, ille ipse est, de quo agitur apud Esdram, & Aggæum, qui semper Salathielis filius nuncupatur, *Lib. 1.* Esdræ *Cap. 3.*

Cap. 3. & Aggæi *Capp.* 1. *&* 2. Certè duorum Zorobabelium distinctio hinc maximè patet, quòd Illis diversi assignentur Filii. Zorobabelis enim Evangelici filius dicitur Abiud; alterius Zorobabelis filii dicuntur Mosolla, & Hanania, *Lib.* 1. *Paralip. Cap.* 3.

Quinta Dissonantia ita profertur: apud Lucam proximos Christi Avos ita notatos legimus: *Qui fuit Heli, qui fuit Mathat, qui fuit Levi, qui fuit Melchi.* Nonnulli tamen Patres, Gregorius Nazianzenus, Eusebius, Hieronymus, Augustinus, interdum, duobus mediis prætermissis, ita simpliciter legunt: *Qui fuit Heli, qui fuit Melchi.*

Sit ita verò: Ergo ne Lucas in vitio est, si qui fortè Patres aliquando aliter legerint? Aut etiam, si Superis placet, ex Patribus Evangelium emendabimus, àc non potius Patres ex Evangelio? Si qui ergo alicubi legerunt aliter, nonnullosque inter scribendum genealogicos Gradus prætermisere; id vel oscitantiâ factum est, vel quòd in mendosos fortasse Codices, si qui tamen sunt hoc in Capite, inciderint aliquando.

Sexta & ultima Dissonantia gravior cæteris visa est. Apud Lucam inter Patriarchas, qui transacto Diluvio vixere, Arphaxad ponitur Cainanis Pater, Cainan Pater Sale: *Sale, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad*: cùm contra in Libris Mosaicis, aliisque veteris Testamenti non uno in loco, sed pluries, prætermisso Cainane, Arphaxad Pater Sale fuisse dicatur: *Genes. Cap.* 10. *vers.* 24.; *Cap.* 11. *vers.* 12. *&* 13.; *Lib.* 1. *Paralip. Cap.* 1. *vers.* 18. Neque enim reponi hìc potest, quod nuper Recentiorem quendam respondisse video, quodque nos quoque alibi respondimus in antecessum ad alias hujusmodi omissiones; nimirum Arphaxad mediatè, ut ita loquar, genuisse Sale, nempe intermedio Cainane; ut dum Joram Oziam genuisse dicitur. Quandoquidem *Genes. Cap.* 11. *vers.* 12. expressè legitur: *Porro Arphaxad vixit triginta quinque annis, & genuit Sale*: quæ loquendi formula nullum mediæ alicui Generationi locum relinquit. Si enim Arphaxadum inter, & Sale medius fuisset Cainan ipsius Sale Genitor, non jam Arpaxadus triginta quinque duntaxat annorum fuisset, dum Sale genitus est, sed longe plurium; nisi velimus asserere, utrumque, Arphaxadum & Cainam, ætate sexdecim duntaxat annorum Matrimonio fuisse copulatos, quod verisimilitudinem nullam habet; ea præsertim ætate temporum, qua, cùm vita Hominum ad plura Sæcula protenderetur, Matrimonia inire nonnisi Viri jam perfecti consueverant. Sed etsi daremus, unum illorum, vel alterum a communi illo usu recessisse, incredibile tamen prorsus est, ambos, immediatè unum post alterum, id præstitisse. Verosimilius igitur est, Arphaxadum filium suum primogenitum genuisse, dum annos trigin-

ginta quinque circiter numeraret; adeoque fuisse Sale immediatum Arphaxadi filium, non medio Cainane progenitum.

Quapropter alterutrum fateri cogimur, vel mendum irrepsisse in veteri Testamento, ex quo intermedia Cainanis Generatio detracta fuerit; vel id contigisse in Lucæ Evangelio, ubi perperam adjecta fuerit. Quia tamen facilius est, Scribarum oscitantiâ, vel audaciâ mendum semel tantùm irrepsisse *Lucæ Cap.* 3. per levem additionem præposterè factam, quàm irrepsisse omnino quater in veteri Testamento per studiosam Generationis unius detractionem; (tot enim vicibus ibi legimus, Arphaxad genuisse Sale, Cainane omisso) probabilius multò est, Cainanis Generationem Arphaxadum inter & Sale in Lucæ Evangelio a Scribis, & Amanuensibus fuisse insertam. Id ut asseram, alia multa me movent, quanquam vel hoc unum, etsi alia deessent, abunde sufficeret. Primò, quia nulla Cainanis illius inter Arphaxadum, & Sale mentio occurrit in Textu Hebraico Geneseos, & Paralipomenon; nulla in Versionibus Arabica, Chaldaica, Samaritana, ac etiam Vulgata nostra. Secundò, quia Berosus Chaldæus, Eupolemon, Alexander Polyhistor, quorum Fragmenta extant apud Iosephum *Lib.* 1. *Antiquit. Cap.* 8., & apud Eusebium *Lib.* 9. *Præparationis Evangelicæ*, Cainanem illum apertè rejiciunt: quippe qui Abrahamum decima post Diluvium Generatione vixisse, concorditer scribunt; qui tamen, numerato Cainane, undecimus esset. Tertiò, quia Scriptores Hebræi vetustiores atque insigniores, Iosephus, & Philo eundem in texenda Patriarcharum serie secundæ Ætatis prætermittunt: uti etiam Eusebius Cæsariensis in Chronico; ubi annos veterum Patriarcharum enumerat ex triplici Textu Hebraico, Græco, & Samaritano. Quartò, quia, tametsi in hodierna septuaginta Interpretum Versione Cainanis Generatio legatur; liquet tamen, aliena & interpolatrice manu fuisse illic insertam, & a primigeniis illius Exemplaribus absfuisse; cùm Philo Iudæus, Iosephus, Iulius Africanus, Irenæus, Theophilus Antiochenus, Origenes, Epiphanius, qui septuaginta Interpretum calculos sequi solent, Cainanem illum in Stemmate genealogico Patriarcharum omittant; notetque Procopius Gazæus ad *Cap.* 11. *Genesis*, Cainanis Generationem in Versione septuaginta Interpretum obelo fuisse confixam, in Haxap. Origenis: *Hebraica*, inquit, *veritas habet*, *Salem genitum esse ab Arphaxad: quæ deinde in medio ponuntur*, *obelo signata visuntur*. Quintò demum, quia abest idem ille Cainan a nonnullis pervetustis Codicibus Græcis, ipsius etiam Evangelii Lucæ, ac maximè a Codice Græco-latino quarti, ut Plerique putant, Ecclesiæ Sæculi omnium probatissimo, in Galliis olim asservato; quique nunc extat in Bibliotheca Cantabrigensi. Unde maximè liquet,

nequidem apud Lucam extitisse primitus Cainanem illum; sed deinceps temerè, vel per summam oscitantiam ab Amanuensibus fuisse insertum.

Sed extat, inquies, Cainan ille in Vulgata S. Lucæ Versione, quæ a Concilio Tridentino, ut authentica, probata fuit. Ita sanè: sed abest, inquio ego, in Vulgata veteris Testamenti Versione, quæ perinde authentica est, ejusdem Concilii Tridentini judicio. Alterutro itaque loco mendum irrepsisse, necesse est, quantacumque sit illa Vulgatæ Versionis Authentia. Multiplex tamen in veteri Testamento, simplex in novo mendum erit: nam quater illic deest Cainam, istic semel abundat. Imò longè gravius illic mendum erit, patentiorque lacuna. Cùm enim Moyses *Genesis Cap.* 11. non modò narret Generationes omnes Patriarcharum a Noe usque ad Abraham; verùm etiam distinctè notet, quoto quisque vitæ suæ anno filium genuerit, quotque subinde annis post genitum filium supervixerit; si qua illic, Cainanis occasione, mutilatio facta est, consequens erit, non modò Cainanis Generationem fuisse detractam, sed etiam detractos perinde annos, quos Cainan numeraret, dum genuit Sale; annosque perinde, quos, post Sale genitum, ad mortem usque numeravit. Si quid ergo Vulgatæ Versionis Authentia nos movet, ne eam sub aliquo mendo cubare, de facili concedamus; quis non videat, concedendum potius leve, simplexque mendum in Evangelio Lucæ, quàm multiplex, graviusque in Moysis Pentatheuco?

Ut fatear nihilominus, quod res est, nihil istius generis menda, ubicumque contigerint, Vulgatæ Versionis Authentiæ officiunt: primò, quia constat ex Criticis universis, ac ex ipsa Præfatione Clementinæ Bibliorum Correctioni præfixa, leviora hujusmodi menda nonnulla etiam ad præsens in ea Versione reperiri, quorum Scriptores aliqui Elenchum, seu Indicem texuerunt: ibidem enim sic legimus: *In hac tamen pervulgata Lectione, sicut nonnulla consultò mutata, ita etiam alia, quæ mutanda videbantur, consultò immutata relicta sunt; tum quòd ita faciendum esse ad offensionem Populorum vitandam S. Hieronymus non semel admonuit; tum quòd facilè fieri posse credendum est, ut Majores nostri, qui ex Hebræis, & Græcis Latina fecerunt, copiam meliorum, & emendatiorum Librorum habuerint, quam ii, qui post illorum ætatem ad nos pervenerunt, qui fortasse tam longo tempore identidem describendo minùs puri, atque integri evaserunt: tum denique quia Sacræ Congregationi amplissimorum Cardinalium, aliisque eruditissimis Viris ad hoc opus a Sede Apostolica delectis propositum non fuit, novam aliquam Editionem cudere, vel antiquum Interpretem ulla ex parte corrigere, vel emendare; sed ipsam veterem, ac vulgatam Editionem*

nem Latinam a mendis veterum Librariorum, nec non pravarum emendationum erroribus repurgatam, suæ pristinæ integritati, ac puritati, quoad ejus fieri potuit, restituere; eaque restituta, ut quàm emendatissimè imprimeretur juxta Concilii Œcumenici Decretum pro viribus operam dare. Secundò, quia etiam postquam probata fuit ut authentica a Concilio Tridentino, a variis mendis levioribus repurgata fuit a Sixto V., & Clemente VIII. Tertiò, quia ad illius Authentiam satis est, si nihil contineat contra Fidem, aut bonos mores; nihil in gravioribus aberret a vero. Quartò, quia a Concilio Tridentino authentica dicta est comparatè ad reliquas Versiones; non quòd Fontibus Hebraicis, ac Græcis præferenda sit; ad quorum potius fidem publicâ Ecclesiæ authoritate emendari posset. Quæ omnia ne quis fortè audaciùs dicta putet, legat, si per otium vacat, Andream Vega *Lib.* 15. *de Justif. Cap.* 9.; Alphonsum Salmeronium *Proleg.* 3. *in Evang.* Robertum Bellarminum *Lib.* 2. *de Verbo Dei Capp.* 10., & 11.; Sixtum Senensem *Lib.* 8. *Bibliotb*; Card. Pallavicinum *Lib.* 6. *Hist. Concil. Tridentini Cap.* 17.; Serrarium *in Proleg. Cap.* 19. *quæst.* 18., præter ea, quæ attulimus ex Præfatione recentioribus Bibliis affixa, ab Ecclesia admissâ, atque probatâ.

Quia verò hanc hodiernis Theologis labem inuri video, ut, neglecta fide Majorum, in contraria nunc Sententia versari credantur, placet dictis adjicere, quæ paucis ante diebus Orator summus, idemque Theologus non vulgaris coram Eminentissimo Principe, ac delibato totius literatissimæ Civitatis Flore, e Suggestu pronuntiabat, dum de veterum Linguarum Studio Sacrarum Scripturarum Studiis adjungendo publicè diceret: „ Græcos, inquiunt, & „ Hebraicos Codices, tum ipsa vetustate exesos, tum etiam mul„ torum audaciâ corruptos esse: huc ipsos Tridentini Concilii Pa„ tres spectavisse, cùm Vulgatam unanimi consensu probaverunt; „ & unam ex omnibus Sacrorum Bibliorum Editionem Christia„ nis hominibus commendarunt. Non tantum mihi a Vobis con„ ceditur otii, ut veteri calumniæ, sæpiusque retusæ hodierna lu„ ce respondeam: id unum dicam, quod, ubi opus fuerit, gra„ vissimorum Scriptorum Suffragiis confirmare possum; Vulgatam „ Editionem, non Græcæ, aut Hebraicæ, sed reliquis Latinis, „ quarum magna copia & varietas in dies exibat, necessario illo „ Tridentinorum Patrum Decreto præpositam fuisse. Multa qui„ dem commoda, ac prope innumera in Christianam Ecclesiam ad „ Fidei, Morumque Leges componendas per Synodum Tridenti„ nam redundarunt; sed nihil tam grave accepimus, quàm quòd „ ex omnibus Latinis Sacrarum Scripturarum Interpretationibus una „ illa probata est, quæ cæterarum optima ac fidelissima nutantia

„ Multorum Ingenia, tanquam clavo, firmaret, certisque regionibus
„ circumscriberet. Neque tamen ideo Hebraicis, aut Græcis Codi-
„ cibus, unde Latini omnes, cæterique manarunt, quippiam au-
„ thoritatis detractum est. Stat adhuc eorum fides firmissimis præ-
„ sidiis fulta; licetque in rebus dubiis ad prima illa verbi Divini
„ Exempla, non modò sine crimine, verùm etiam cum laude pro-
„ vocare. Haud equidem nego, mutila quædam in illis esse; non-
„ nulla etiam mendosa; sed & menda ipsa verendæ antiquitatis
„ indicia sunt, & partibus insunt minimè necessariis; & in Vul-
„ gatam quoque, Librariorum incuriâ, si minuta quælibet animad-
„ vertimus, irrepserunt. Nihil novi affero, quod Summi Vulgatæ
„ Patroni, si seriò & ex animo agant, negare possint. Sed ve-
„ reor, Auditores, ne quemadmodum qui Dignitates in Republi-
„ ca obtinere non possunt, privatum otium laudare solent, om-
„ nemque rei gerendæ rationem conquisitis difficultatibns improba-
„ re; ita qui Græca & Hebraica Studia, sive animi infirmitate,
„ sive inertia defugiunt, eorum laudem maligniùs imminuant;
„ tantumque Latinis concedant, ut modum fidemque superet.

Hac celeberrimi Viri Sententia hodiernæ Prælectioni finem imponemus, ac de bina Christi Domini Genealogia ab utroque Evangelista, Matthæo & Luca, descripta, Argumentum claudimus. In sequenti ad Judæos, quos modicum quiescere sinimus cum alienis Hostibus pugnaturi, reditum faciemus; ut eos tandem, si quæ adhuc in nos, seu veriùs in Veritatem ipsam, arma tractanda tenent, undequaque debellatos, ac penitus profligatos dimittamus.



PRÆ-

PRÆLECTIO XIX.

Judæorum Effugia de Virga Tribulationis, ac de Promissis conditionatis præcluduntur.



JAM satis induciarum Judæis concessimus, Viri Theologi, quo ex tempore de Jesu Stirpe, & Genealogia sermonem instituimus. Tempus est, ut ad pristinos Hostes undique jam lacessitos, ac pene confectos audenti, alacrique animo redeamus. Postremum, si bene meministis, in eos impetum fecimus, dum Jacobeum Vaticinium de auferendo, Messia adoriente, Judaico Sceptro exponebamus; quod quidem circa Christi tempora impletum, ac penitus consummatum luculenter ostendimus, probavimus, propugnavimus. Alia nunc præcludenda supersunt Effugia, quæ cœci Synagogæ Doctores, seu veriùs Adulatores & Deceptores, cùm Veteres, tum recentiores, undequaque perquirunt, ut ebibita Præjudicia in recutito Grege foveant, Errores tueantur, inanesque, quibus adhuc tenentur, spes alant, promissum sibi Liberatorem, alium a Jesu nostro, stultissimè præstolantes. Necdum enim Rabbinicarum Cavillationum finis est; necdum exhausta Sophismatum pharetra, quibus splendidissimo Jacobi morientis Oraculo nebulas offundere moliuntur: *Non auferetur Sceptrum de Juda, & Dux de fœmore ejus, donec veniat, qui mittendus est.* Iis ergo jam satis pro sua audacia exagitatis, qui vel Messiam eo Vaticinio nequaquam prænuntiatum obtendunt, vel Sceptrum de domo Juda nequaquam ablatum fabulantur, in aciem Alii veniunt pro aris, & focis pugnaturi; qui novis quæsitis diverticulis totum sacri Oraculi sensum invertunt.

Accedunt primi in ordine nonnulli Judaicarum partium Magistelli, qui dicunt, vocem hebraicam *Scevetb*, quam latinus noster Interpres *Sceptrum* vertit, Virgam simpliciter significare; seu sit illa Regiminis virga, atque Imperii justi, quam *Sceptrum* Latini dicunt, de qua *Psal.* 44.; *Virga directionis, virga Regni tui*; seu sit illa tribulationis Virga, de qua *Psal.* 2.: *Reges eos in virga ferrea*. Quo posito, subjungunt, hebraicam illam vocem *Scevetb* nequaquam in Jacobeo Vaticinio denotare summum, ac justum Imperium, quod in Tribu Juda, vel in tota Judaica Gente ad Messiam usque mansurum esset, sed tribulationem, atque tyrannidem, qua misera Gens usque ad Messiæ Adventum premenda sit, atque jactanda: sic ut iste sit Ora-

Oraculi ſenſus : *Non auferetur Virga tribulationis de Juda, donec veniat, qui mittendus eſt*. Hincque audaciſſimè colligunt, Meſſiam ea maximè ratione non veniſſe, quòd Judaica Gens ea etiamnum tyrannide, atque tribulatione jactetur, quæ, nonniſi adventante Meſſia, finem eſt habitura : nec modò telum eludunt, quo illos paulò antea petebamus, ſed & regerunt in nos ipſos.

Id quidem prima fronte ſubtiliter excogitatum : at improbè prorſus, & contra Oraculi Contextum, ſi paulò penitius obſervetur. Demus enim, vocem *Scevetb* ſeorſim ſumptam Virgam perinde ſignificare poſſe, ac Sceptrum : demus Virgæ nomine æquè Tribulationis Virgam exprimi poſſe, ac Virgam Directionis, atque Regiminis, ſeu Imperium juſtum, & mite : vetant nihilominus hujuſce Oraculi Adjuncta, ne hanc illi interpretationem a Judæis excogitatam accommodemus. Duo enim conjungit Jacobeum Oraculum: non auferendum Sceptrum, ſeu, ut ipſi volunt, Virgam; & Ducem de fœmore Judæ non defuturum, donec veniat, qui mittendus eſt. At Dux ille de fœmore Judæ nunquam defuturus, donec Meſſias advenerit, non tyrannus profectò eſt, nec Judaicæ Gentis inimicus, ſed legitimus, conſanguineus, contribulis, ac beneficus Princeps. Quod ergo de Virga (ſiquidem ita illis vertere libet) ad Adventum uſque Meſſiæ non defutura hoc loco dicitur, non de Virga Tribulationis, ſed de Virga Directionis, Regiminis, Imperii juſti, uno verbo, de Sceptro intelligere neceſſe eſt. Quod cùm ab annis mille, ac ſeptingentis, & eò amplius, ablatum ſit, Duceſque de fœmore Judæ deſierint, Meſſiam dudum adventaſſe, certiſſimè liquet.

Hoc idem inficetorum Rabbinorum interpretamentum explodunt ſeptuaginta Interpretes, quos hebraici vocabuli *Scevetb* poteſtatem ignoraſſe Judæi non dicent. Ii quippe Vulgatæ Verſionis noſtræ ſenſum non modò reddunt, verùm etiam nitidiùs explicant, dum vocabulum *Scevetb* non Sceptrum, quod figuratæ locutionis nomen eſt, ſed *Principem* ſimpliciter vertunt : *Non deficiet Princeps ex Juda, & Dux de fœmoribus ejus, donec veniant, quæ promiſſa ſunt ei*. Quibus per omnia conſentiunt Paraphraſtæ Chaldæi, Judæi & ipſi, ita vertentes : *Non auferetur habens Principatum ex Domo Juda .... donec veniat Meſſias :* Thalmudiſtæ quoque, R. Maimonides, R. Bechai, R. Raſchi, R. Chaskuni, aliique, quos recenſere longum eſſet. Adeo ſcilicet priſci illi Judæi, & hebraicæ linguæ periti ab eo *Virgæ Tribulationis* interpretamento nuperrimè excogitato procul aberant.

Sed nec advertunt imprudentes Magiſtelli, qui hoc nobis interpretamentum obtrudunt, falſum omnino fore Jacobeum Vaticinium, ſi de Virga Tribulationis nunquam Judæis defutura, deque Dominatu

natu tyrannico deberet intelligi. Ecquis enim dixerit, Judæos post istud Jacobi morientis Vaticinium sub injusto Dominatu, ac Tribulationis Virga perpetuò gemuisse? Certè a Davide usque ad Sedeciam annorum ferme quingentorum spatio regiam Potestatem obtinuit Tribus Juda: mitissimis tunc, & æquissimis Regibus paruit Judaica Gens; nullumque toto illo temporis tractu exterorum Principum dominatum passa est. Rursus post Sedeciam, solutamque Captivitatem Babylonicam sub Reipublicæ forma Magnatibus suis paruit Judaica Gens, suisque Legibus stetit ad Herodem usque annis supra sexcentis. Errore itaque laboraret Jacobeum Oraculum, si de Virga Tribulationis veniret intelligendum; quasi Judaica Gens a tempore Jacobi perpetua ad Messiam usque Tribulatione jactanda fuisset.

Accedit & istud observatione dignissimum: Jacob proximè moriturum benedictionemque Filiis largientem fausta Filio suo Judæ ominatum esse. Id ejus ad Filium Oratio integra disertè probat. Non faustum porro, lætumque, sed malum admodum esset omen, si perpetua tribulatione jactatum iri Judaicam Gentem prænuntiasset, donec Messias Mundo illucesceret.

Ea itaque statione dimissa, utpote iniquiori, ac male tuta, Alii aliò se recipiunt. Ii scilicet, cùm promissi Messiæ tempora successisse certò videant, Prophetarumque Vaticinia commodè satis interpretari non possint, ut suum etiamnum Errorem in tuto ponant, eòdemum confugiunt, ut dicant, Messiæ Adventum ob ingentia Judaicæ Gentis scelera fuisse procrastinatum ultra præfinitum, statutumque tempus. Promissiones itaque salutaris Adventus hypoteticas fuisse volunt, si nempe pietatem, justitiamque Judæi colerent: quod cùm illi non egerint, in aliam tempestatem dilata illorum liberatio est.

Vah pessimam desperatæ Caussæ advocationem! Nullum etenim Prophetarum Vaticinium est, quod simili exceptione eludi non posset. Et quidem, si quæ sunt hypotheticæ Prophetiæ, certisque conditionibus alligatæ, has ipsas conditiones fronte præseferunt; sin minùs, aliis saltem Scripturæ Locis conditiones hujusmodi adnotantur. Iacobeum autem, quod expendimus, Vaticinium conditionem nullam præsefert; nullusque Scripturæ Sacræ Locus proferri potest, unde illam colligere liceat. Imò cætera omnia, quæ venturi Messiæ tempus definiunt, Scripturarum Oracula, plana prorsus, absolutaque sunt; nulla pendula, aut certis conditionibus alligata. Sic venturum illum portendunt Aggæus, & Malachias stante adhuc Salomonis Templo a Zorobabele instaurato. Post hebdomadas sexaginta duas occidendum Christum vaticinatus est Daniel; nullis plane conditionibus adjunctis, quibus præfiniti temporis ratio pendula sit. Ut plane perspicuum fiat, Iudæos desperatæ Caussæ necessitate absonum istud Effugium quæsisse.

Et

Et verò, si in aliud tempus, quàm quod erat in Vaticiniis, Messiæ Adventus protractus est, indigitent ergo Judæi, quodnam illud tandem sit? Incertum illud esse respondent, nullumque re ipsa definiunt, quo demum elapso, Messias certò sit oriturus. In incerto igitur fluctuare necesse est: cùmque Deus tot Signis, tot Characteribus, tot Notis salutaris Adventus tempora in Scripturis definierit, ne in Messia recipiendo, auscultandoque falleremur, neve in rei summa Error obreperet; nullum jam certum calculum haberemus, ad quem veri Messiæ agnitionem exigere liceat; Divinis scilicet Consiliis immutatis, rebusque ob scelera Judæorum in incertum tempus procrastinatis, atque dilatis. Quod quàm absonum sit, nemo non intelligit, nisi qui cerebrum in calcaneo gestat.

Quid etiam tam absonum, quàm Messiæ Adventum ob Judaici Populi peccata dilatum effutire? Id plane perinde est, ac si quis dilatum Medici Adventum obtenderet ob ingravescentem decumbentis Hominis ægritudinem: cùm contra potius hac ipsa de caussa maturare Adventum oportuerit crescente Hominis vitio, atque peccato, in cujus remedium Messiam venturum Prophetæ veteres cecinerunt.

Accedit, quod in superioribus demonstravimus, Messiam non in Judæorum duntaxat, verùm etiam in Gentilium Salutem venturum fuisse. Quæ ergo æquitas patitur, ut Gentilium Servatorem ob Judæorum delicta procrastinatum existimemus? Quasi Gentiles peccatorum a Judæis admissorum pœnas essent luituri.

Sed & qui ista tam fidenter, tam liberaliter fabulantur, ut Vaticiniorum vim elidant, recedunt a Gregalium suorum professione. Vulgata quippe est Rabbinorum Opinio, quam etiam R. Juda multis confirmat in Libro *Sanhedrin*, corruptissimos fore Judæorum mores, quo tempore Mundo Messias illucescet, Doctorumque suorum Conventus impudicitiâ infames fore. Ut quid ergo propter scelera Iudæorum Messiæ Adventus dilatus esset, quem corruptissimis temporibus venturum Rabbini ipsimet profitentur? Certè fœderatos mendaces non sui tantùm, sed & Sociorum oportet esse memores.

Unus omnium forsan erit Scripturæ Locus, quo abuti Iudæi possint, ut suum illud de conditionata Messiæ Promissione figmentum obducant: *Psalmi* scilicet 131. Testimonium; ubi Deus Davidi spopondisse fertur, futurum, ut ejus Posteri Regnum perpetuò obtinerent, si tamen divinis Mandatis obsequerentur: *Si custodierint Filii tui testamentum meum, & testimonia mea hæc, quæ docebo eos: & Filii eorum usque in sæculum sedebunt super Sedem tuam.* At nec id quidem Iudæorum Caussam juvare potest. Aliud quippe est temporale Iudææ Regnum, aliud Regnum spirituale, ac perenne Chri-

Christi promissi. Prioris Regni temporalis perennitatem sub conditione promissam ultrò concedimus : secundi Regni spiritualis Christi venturi negamus. Imo verò usque adeo certò, absolutèque perenne Messiæ Imperium spirituale promisit, ut etiam disertissimè denuntiarit, se Domum Jacob, ac Regnum spirituale in Messia servaturum, tametsi temporale Judææ Regnum ob illius Gentis scelera eversurus esset : *Ecce oculi Domini Dei*, inquit Amos *Cap. 9: super Regnum peccans, & conteram illud a facie terræ : veruntamen conterens non conteram domum Jacob*. Quid hoc porro *non conteram domum Jacob*, nisi Messiæ Regnum sartum tectumque servabo, tametsi temporale Judææ Regnum sim eversurus? In eumdem omnino sensum *Psal.* 88. *v.* 30. & *seq.* Davidis Posterorum delicta, si quæ fortè contingant, castigaturum denuntiavit Deus; non ideo tamen oppigneratam illi fidem negaturum, Regnumque ipsius (in spirituale utique commutatum) in ejus semine Christo Domino perenniter servaturum : *Ponam in sæculum sæculi semen ejus, & thronum ejus sicut dies Cœli. Si autem dereliquerint filii ejus legem meam; & in judiciis meis non ambulaverint; si justitias meas prophanaverint; & mandata mea non custodierint : visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Misericordiam autem meam non dispergam ab eo; neque nocebo in veritate mea : neque prophanabo testamentum meum; & quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita. Semel juravi in sancto meo, si David mentiar; semen ejus in æternum manebit*. Quid plura? Ejusdem spiritualis Regni perennitatem adeo firmiter, absolutèque, omnique semota conditione, Davidi spopondit Deus, ut sacramentum, ac jusjurandum addiderit Jeremiæ *Cap.* 33.: *Hæc dicit Dominus: si irritum potest fieri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, ut non sit dies, & nox in tempore suo; & pactum meum irritum esse poterit cum David servo meo, ut non sit ex eo filius, qui regnet in Throno ejus*. Quæ verba non de Salomone, aliove carnali Davidis Filio temporaliter regnaturo intelligenda esse, sed de Christo Davidis Filio, inde maximè liquet, quòd hæc a Jeremia proferantur, qui quadringentis circiter annis post Salomonem prophetavit, imò & omnibus Judæ Regibus jam Mundo sublatis. Quare nonnisi in Jesu nostro Nazareno exitum habuere; de quo Angelus Mariam Virginem alloquens, *Erit*, inquit, *Magnus, & Filius Altissimi vocabitur : & dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus .... & Regni ejus non erit finis*, Lucæ *Cap.* 1. Perperam ergo Messiæ Regnum, ac Dominatum sub conditione promissum dicunt Judæorum aliqui.

At quid ultra in absono figmento confutando ludimus operam? Judæis jugulum petit ille ipse *Psalmi* 131. Locus, quem appellant.

Duo quippe cautè fecernit ; Messiam ex Davidis femine mittendum, & Regnum temporale ad Posteros transiturum. Primum non modò absolutè, verùm etiam sub sacramento promittit : *Juravit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eam; de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* En primum : tum e vestigio subdit alterum sub conditione pietatis, ac religionis Posterorum : *Si custodierint filii tui testamentum meum, & testimonia mea hæc, quæ docebo eos; & filii eorum usque in sæculum sedebunt super sedem tuam.* Toto igitur aberrant ostio, qui, quod de temporali Judæ Regno sub conditione Davidi promissum est, ad Messiæ Adventum iniquè detorquent, quasi Is nonnisi sub conditione promissus esset.

Quandoquidem autem Judæi peccatorum suorum, quibus iram Dei concitarunt, mentionem ingerunt, adeo ut hac ipsa de caussa dilatum Messiæ Adventum existiment; dispendium Caussæ fecerim, si quod inde in illos Argumentum erui potest, tacitus prætermiserim. Quæram igitur ab eis, quodnam illud tam grande, tam immane scelus sit, quo in præsentia tenentur. Certè ii nec Idola nunc colunt, nec prophetant in nomine Baal, nec Filios Dæmoniis immolant, nec Deos sibi propriis manibus fabricantur, uti Patres eorum quondam aliàs attentarunt. Et tamen diuturniori servitute premuntur hodie, quàm unquam retroactis Sæculis pressi sint, dum Idololatriæ crimine polluerentur. Quodnam ergo peccatum illud est, quo tantam Numinis iram suis cervicibus concitarunt? Illud certè, quod Idololatriam multis nominibus superat: illud, inquam, quo Messiam Cœlo demissum tradiderunt, vendiderunt, ac Cruci tandem suffixerunt. Nullum enim aliud indigitare ipsi possunt, quo annorum mille, ac septingentorum servitutem (ne quid de futuro dicamus) promereri potuerint. Vadem hic, testemque habemus Amosum Cap. 2. : *Hæc dicit Dominus: super tribus sceleribus Israel, & super quatuor non convertam eum : pro eo, quòd vendiderit pro argento Justum, & Pauperem pro calceamentis.* Quodnam enim quartum illud Israelis scelus est, cujus caussa effectum ait Amosus, ut illum Deus minimè convertat? Non aliud sanè, nisi Christi ad mortem traditio, atque venditio. Josephi quippe venditio, de qua locutum Amosum Judæi respondent, ne victi eo Testimonio videantur, nec quartum Israelis scelus fuit, nec interminabili servitute punitum est, sed paucorum duntaxat annorum, a Josephi ipsius morte ad exitum ex Ægypto computandorum. Ita quippe quatuor Israelis scelera, totidemque iisdem inflictæ servitutes, ac pœnæ distinguuntur : Primum scelus Josephi Venditio, cujus caussâ secuta est Captivitas Ægyptiaca : Secundum Adoratio Vituli aurei, unde secuta Captivitas sub manu Assyriorum

rum, tempore Judicum: Tertium Occisio Prophetarum, unde nata Captivitas Babylonica: Quartum demum Traditio Christi ad mortem, unde præsens Judaicæ Gentis dissipatio, dispersio, misera servitus in ævum duratura.

Obfirmant nihilominus animum, miseramque, qua premuntur ubique gentium, servitutem aliunde ortam contendunt, quàm ex illata Christo Domino morte turpissima. Tum quòd nonnisi post annos totos ab illata Jesu morte triginta sex Judæorum dissipatio, atque dispersio cœpta sit; haud ita procrastinanda, ac differenda, si in illatæ mortis hujus pœnam inflicta esset. Tum quòd mitior pro sceleris gravitate pœna foret, si verum Christum Dominum occidissent; qui potius ob id ipsum deleri ex integro meruissent.

Quid id, quæso, per fidem vestram? Numquid non *Altissimus patiens est redditor? Ecclesi. Cap.* 5. Certè Diluvium nonnisi post annos centum viginti immissum est, quo ex tempore *omnis caro corruperat viam suam*: Captivitas Ægyptiaca post annos amplius octoginta a Josephi venditione cœpta est: Assyriaca post annos circiter centum a conflato, & adorato Vitulo aureo. Quid ergo mirum, si ad annum post Christi mortem trigesimum sextum Judæorum dispersio, ac dissipatio dilata sit, quamquàm in tanti sceleris pœnam inflicta censeatur? Nihil quoque refert, si levior Deicidio judicetur pœna hæc; perperamque inde colligitur, non fuisse illam ad puniendum Deicidium Judæis inflictam; cùm vix unquam pares delictis pœnas temporales infligat Deus, qui temperatum Misericordia judicium in sontes exercet. Tametsi haud satis scio; duriùs ne in perfidam Gentem animadversum esset, si momento deleta fuisset ex integro, quàm quòd suis pulsa Sedibus, dispersa quaquaversum, ac dissipata in Nepotibus etiam, ac Pronepotibus puniatur. Quibus & illud addere præstat, quòd ex Augustino docuimus alibi; Judæos, ita volente Deo, a Romanis victoribus non esse deletos ex integro, sed cum lucis hujus usura relictos; non utique ad pœnæ mitigationem, sed ad Ecclesiæ Catholicæ bonum, profectumque credentium, *Enarrat.* 1. *in Psal.* 58.: *Sunt ergo Judæi, non sunt occisi, necessarii sunt credentibus Gentibus. Quare hoc? ut demonstret nobis in inimicis nostris misericordiam suam. In ramis superbiæ præcisis inserto misericordiam suam demonstrat oleastro.* Eo sanè modo, quo Deus, cujus inscrutabilia judicia sunt, *Sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam, ad Rom. Cap.* 9.

Iis considerationibus commotus illorum unus, dum has illi in familiari collatione proponerem, quid putatis, reposuit mihi? Rem plane fœdam dictu, fœdam auditu. Respondit scilicet ille geme-

bundus, suspiriaque ex imo trahens, Gentem suam dira quidem, ac diuturna servitute premi ob Jesum Nazarenum ; non quòd illum morte damnassent, sed quòd is Homo cùm esset, Divinitatis sibi Titulos arrogarit, seque uti Messiam nefariè venditarit : quam audaciam Deus zelotes ita malo animo habuit, ut ob idipsum totam Judaicam Gentem, unde ille ortus erat, servitute, dispersione, ac vilipendio damnarit. Sic ille profectò Argumentum, quod in ejus Caput contorseram, non eludere modò, sed & in Christianos regerere sibi videbatur. Proh delirum Argutatorem ! Eccur ergo, si sacros Divinitatis Titulos, Messiæque dignitatem sibi arrogavit immeritò Jesus noster, Judæi tanti sceleris pœnam luerent ; cùm illi ob id ipsum in eum animadverterint, illum damnaverint, Cruci suffixerint? Illi enim ipsi sunt, qui Pilato nullam in ipso mortis Caussam invenienti succlamarunt : *Nos Legem habemus, & secundùm Legem debet mori, quia filium Dei se fecit* Joan. *Cap.* 19. Non plectendi ergo, sed magno præmio afficiendi Judæi essent, qui suas in illum partes tam religiosè implevissent, & affectatæ Divinitatis pœnas ab Impostore exegissent. In Christianos longè veriùs Dei furor exarsisset, qui nefarii Impostoris partes secuti Divinitatis Titulos in eo venerantur. Ii, ii servitute, dispersione, vilipendio damnandi essent, qui in sceleris partem veniunt, Jesumque Nazarenum talem habent, colunt, adorant, qualis ipse haberi voluit.

Haud ita blasphemum videri poterit prisci cujuspiam Judæi Responsum, qui suæ licet Synagogæ honori consultum iret, nullo tamen Jesum nostrum onerabat probro, dum diceret : nihil cum Jesu Nazareno habere commune suam illam, qua premuntur ubique gentium, miseram servitutem ; nec in sceleris alicujus pœnam illis a Deo esse inflictam ; sed in majus Divini erga ipsos Amoris argumentum : *Quos enim amat Deus, arguit, & castigat*, Apocal. *Cap.* 3. Ac quemadmodum *via impiorum prosperatur* interdum, Jerem. *Cap.* 12. ita nil mirum, si rebus adversis premantur & Justi sæpe numero. Eo vel maximè, quòd si pœnæ loco inflicta esset Judaicæ Genti servitus adeo diuturna, consuetas Justitiæ leges Deus prætergressus esset, secundùm quas *visitat peccata Patrum in Filios in tertiam* duntaxat, *& quartam generationem*, *Numerorum Cap.* 14. Iudæi enim ad centesimam usque generationem adversis urgentur rebus, exsilioque damnantur.

Verùm quantùm alter Servatori Christo, tantùm iste justo Iudici Deo injurius est. Etsi enim Iustos, quos diligit Deus, pœnis quandoque corporalibus afficiat, atque ad certum tempus, ut eosdem emendet, ac probet magis ; spiritualibus tamen, iisque perennibus nunquam affligit. Iudæi autem non corporalibus duntaxat pœnis

pœnis, sed & spiritualibus; nec temporalibus modò, sed & perennibus afficiuntur: qualis profectò est Templi, Sacrificii, ac Sacerdotii jactura ad finem usque sæculi duratura; quæ ipsorum servitutis, atque exsilii pars maxima reputatur. Alia quoque pœnarum, quæ toti Iudaicæ Genti; alia earum, quæ Privatis infliguntur, ratio est. Cùm enim bonorum temporalium copiam, & ubertatem Iudaicæ Genti spopondisset Deus, si traditam sibi Legem religiosè servaret; Divinæ plane Fidelitati repugnat, ærumnis, atque miseriis temporalibus obrui Gentem integram, (quidquid Privatis casu contingat) nisi in generalis cujuspiam sceleris pœnam. Neque verò statutas Iustitiæ leges prætergreditur Deus, dum Christi Crucifixorum scelus ad centesimam usque generationem castigat, castigabitque ad millesimam usque. Quia quandiu peccatum Patrum affectu perseverat in Filiis, tamdiu juste castigatur in eis, nullo præfinito veniæ tempore. Sic autem hac etiam ætate Iudæi affecti sunt animo, ut Christum iteratò Cruci suffigerent, si fortè in illorum manus incideret, & esset ipse passibilis. Quid mirum ergo, si illos paterni etiamnum sceleris pœna maneat?

Postulat pertractatum hactenus tribus Prælectionibus Argumentum adversus Iudæos validissimum de Iudæ Sceptro nunquam, donec Christus advenerit, auferendo, ut quid *Judæ* nomine intelligi debeat, inquiramus. Sunt etenim Christianos inter, ac summè Catholicos Viros, qui *Judæ* vocabulo specialem Tribum Iuda notatam existiment; quasi sola hæc ad Christum usque supremam auctoritatem obtinuerit: Alii *Judæ* nomine totam promiscuè Iudaicam Gentem intelligi volunt; penes quam suprema Potestas ad Christum usque constiterit. Quidquid ea in re definire libuerit, perinde Caussa Iudæi cadent; cùm Iesu nostro adventante non modò specialis Iudæ Tribus, sed & tota promiscuè Iudaica Gens suprema Auctoritate exuta sit. Unde, ea intacta Controversia, ad alia progredi animus erat. Verùm quoniam non incuriosa Quæstio hæc est; quæque non parum lucis afferet Vaticinio Iacobæo, unde invictum adeo contra Iudæos Momentum delibavimus; idcirco in ea quoque pertractanda industriam nostram, ac diligentiam exercendam judicavimus. Erit itaque sequentis Prælectionis Argumentum.

PRÆ-

PRÆLECTIO XX.

Sceptrum, seu Imperium, quod ante Messiæ tempora de Juda non auferendum vaticinatus est Jacob, privatæ ne Tribus fuerit, an potius totius Judaicæ Gentis, expenditur.



OST Judæos celeberrimo Jacobi morientis Oraculo repressos diu, ac debellatos, cum nonnullis Christiani nominis Professoribus congrediendum nobis est: qui tametsi & impletum Oraculum, & ablatum dudum Judæ Sceptrum probè noverint; quid tamen Judæ nomine significatum voluerit Patriarcha Sanctissimus, non omnino inter sese consentiunt. Sunt etenim, qui totam promiscuè Judaicam Gentem designari volunt suprema Authoritate potituram, donec demissus Cœlo Messias Mundo illucesceret; Alii peculiarem Judæ Tribum notatam existimant, tanquam unicam supremæ inter Judæos Potestatis hæredem ad tempus usque Christi Domini regnaturam. Quin & hoc ipso secundo in ordine non desunt, qui peculiarem Judæ Tribum, non Homines ipsos a Juda prognatos intelligant, quos ad Christum usque regnaturos dixerit Patriarcha Sanctissimus, sed Judæ Sortem, seu Possessionem, ac Regionem, quæ in Terræ promissæ partitione Judæ Tribui obventura erat: ut nimirum pronuntiati Vaticinii sensus sit: non ablatum iri Sceptrum de Juda, hoc est, Regni Sedem futuram in Tribu Juda, seu in Sorte Tribus Judæ, Hierosolymis scilicet, nec inde auferendam (quicumque tandem ibi Principatum obtineant) donec Christus advenerit.

Quàm procul a vero aberraverint, qui postremam illam explicandi Vaticinii viam aperuere, multis evincere non est opus. Patet res ipsa per sese. Duo quippe conjungit Vaticinium Jacobæum: non auferendum Sceptrum de Juda, & Ducem de fœmore Iudæ non defuturum, donec Christus advenerit. Si ergo Iudæ nomine peculiarem Iudæ Tribum Iacob voluit intelligi, ut illi quidem autumant, non Sceptrum itaque in ejus duntaxat Sorte duraturum portendit a quibuslibet obtinendum, sed Sceptrum potius a solis Iudæ Posteris, ex ejus scilicet fœmore orituris ad Christi usque tempora possidendum. Huc illud adde: acceptam eo sensu primam illam Iacobæi Vaticinii partem falsissimam fore. Nec enim toto Iudicum Principatu, qui annos obtinuit trecentos sexaginta quinque; nec Saulis ætate, qui per annos quadraginta regnavit super Israe-

Israelem, Regni Sedes in Sorte Tribus Iuda semper fuit, multò minùs Hierosolymis substitit. Sed neque quo ex tempore in Sorte Iuda, ac Hierosolymis constituta est Regni Sedes, ibidem ad Christum usque perennavit, quæ per annos septuaginta fuit in Babylone, regnantibus illic Ioachimo, & Sedecia. Nec omittendum, impletum non iri ea in Hypothesi Sacrum Oraculum, dum ad Herodem translatum est Sceptrum : cùm & tunc quoque in Sorte Tribus Iuda, ac Hierosolymis perennaret Regni Sedes; ubi fixam Herodes habebat Regiam, non secus ac David, illiusque Nepotes.

Illud verò, quod ad eam interpretationem cohonestandam obtruditur, indignum est, ut refellatur a nobis : in id scilicet intendisse Davidem, dum ait *Psal.* 77. *Repulit Tabernaculum Joseph: & Tribum Ephraim non elegit : sed elegit Tribum Juda, montem Sion, quem dilexit*. Quasi verò de Regni Sede loquatur illic Regius Vates, quam in sola Tribu Iuda, ac Hierosolymis fixam voluerit Deus; ac non potius de Arca fœderis, quam de Silo Ephraimiticæ Iosephi Tribus Civitate transferri voluit, ut in Templum Hierosolymitanum tandem aliquando inferretur, ibidemque custodiretur : juxta quod ibidem *v.* 60. dicitur : *Repulit Tabernaculum Silo, Tabernaculum suum, ubi habitavit in hominibus*. Quanquam etiam, si de Regni Sede, quam Hierosolymis fixam manere jussisset Deus, locutus esset Regius Vates, quid inde, quæso, colligeretur, id unum Iudæ Filio promisisse Iacobum, non defuturam in ejus Sorte Regni Sedem a quibuslibet Tribulibus occupandam?

Eâ igitur eliminatâ Sententiâ, quam primus omnium, si benè conjicio, Perrerius invexit, multisque subinde pigmentis obduxit Bonfrerius, eò Difficultatem redactam video, num Iudæ nomine tota Iudaica Gens, quæ ab ipso nomen accepit, an verò peculiaris Iudæ Tribus intelligenda veniat in Vaticinio Iacobæo?

Qua in re, ne diutius in limine hæream, iis me libenter assentiri profiteor, qui Iacobi morientis Oraculum non de sola Iudæ Tribu, Principibusque eo Genere ortis intelligendum opinantur; quasi penes illos solos Iudææ Sceptrum ad ortum usque Messiæ perpetuò steterit; sed de tota Iudaica Gente, quæ ad Christum usque supremum in suos Imperium ita tenuit, ut ex quibuslibet Tribubus Principes suos indiscriminatim habuerit. Ita sane Ecclesiæ Patres communi pene calculo definiunt : ita Iudaicæ Gentis Historia prorsus evincit.

Verumenimvero antiqui pene omnes Ecclesiæ Patres, qui Iudæos Argumento ex celebri Iacobi morientis Prophetia deducto exagitarunt, nempe S. Iustinus Martyr *in Dialogo cum Triphone Ju-*

Judæo; S. Athanasius *Lib. de Incarnatione Verbi Dei*; S. Ioannes Chrysostomus *Homil.67. in Genesim*; Eusebius *Lib.8. Demonstrationis Evangelicæ*; S.Ambrosius *Lib. de Benedictionibus Patriarcharum Cap.4.*; S.Augustinus *Lib.* 18. *de Civitate Dei Cap.*45.; Theodoretus *Quæstione* pariter *in Genesim* 109. Ii, inquam, omnes Ecclesiæ Patres Sceptrum de Iuda ad Christi Domini ortum propterea non defecisse asserunt, quòd Iudæi usque ad Christi Natale Principes ex Gente sua, ex Genere suo semper habuerint; non quòd ad id usque temporis penes unam Iudæ Tribum steterit suprema Potestas. Oraculum igitur Iacobæum ad totam Iudaicam Gentem, non ad unam Iudæ Tribum referendum existimarunt.

Id Iudaicæ Gentis Historia ex Sacris Literis petita multò luculentiùs evincit; quæ a pronuntiato celebri illo Oraculo ad Christum usque multos Iudaicæ Genti Principes, ac supremos Dominos præfuisse tradit ex aliis a Iuda Tribubus oriundos. Plane sua huic Oraculo veritas nullo pacto constaret, si de sola Tribu Iuda veniret intelligendum. Oraculum enim fudit Patriarcha Sanctissimus in Ægypto degens, atque extremis vitæ metis admotus: porro ab ejus obitu ad Davidem usque non paucos Iudaicæ Genti præfuisse liquet, qui Iudæ Tribules nequaquam essent. Ut enim totum Ægyptiacæ Servitutis tempus omittamus (quandoquidem sui tunc Iuris Hebræi non erant, sed Ægypti parebant Regibus) ubi primùm soluta Captivitate Ægyptiaca sui Iuris effecti sunt, cœperuntque a propriis Gentis suæ Ducibus regi, Moysen primò, tum deinde Iosue Principes habuere, non illos profectò de Tribu Iuda; cùm Is de Tribu Levi, Iste de Tribu Ephraim originem duceret. Iis fato sublatis, Terraque promissionis ab Israelitis occupata, secuta est Iudicum Dominatio. Fuerunt illi numero tredecim, qui trecentis, & amplius annis Iudaicum Populum cum summa Potestate rexerunt. Ex iis autem duo duntaxat ex Tribu Iuda prognati fuere, Othoniel, & Abesan; cæteri ex quibuslibet aliis Tribubus oriundi. Iudicum Principatui successit Regium Imperium in Iudaicæ Gentis regimine. Regum verò primus Saul fuit de Tribu Beniamin; huicque demum successit David, qui Regium Sceptrum in domum Iuda, e qua ille ortus erat, primùm intulit. Non itaque penes unam Iudæ Tribum Iudaicæ Gentis stetit Imperium.

Haud me fugit responsuros Aliquos, Iacobæi Oraculi sensum esse, nunquam Sceptrum de Domo Iuda defuturum, ex quo primùm in illam inductum esset, non ex quo tempore Oraculum fusum est: atque idcirco non inquirendum, quinam ante Davidem Iudæis præfuerint; numne ii omnes ex Tribu Iuda originem duxerint; sed quinam David successerint; num illi deinceps perpetua suc-

successione ad Christum usque Sceptrum in Judæ Tribu servarint. Verùm præterquam ea exponendi Vaticinii ratio & violenta videtur, & Patribus ex diametro adversatur, necdum tamen eorum Opinionem in tuto ponit, qui Judæ Tribui perenne Sceptrum post Davidis tempora concreditum arbitrantur. Quanquam enim a Davide ad Joachimum, seu Jechoniam, & Sedeciam usque, imperturbata nepotum serie, Judaicum Sceptrum quingentorum circiter annorum spatio in Judæ Tribu perennarit; extincto nihilominus Jechonia in Babylonica Captivitate, Sceptrum ab ea domo recessisse, certissimum est. Id evincit imprimis tremendum Jeremiæ Oraculum in Jechoniam pronuntiatum in ejus scelerum execrationem *Cap.* 22. : *Nunquid vas fictile, atque contritum vir iste Jechonias? Nunquid vas absque omni voluptate? Quare abjecti sunt ipse, & semen ejus, & projecti in terram, quam ignoraverunt. Terra, terra, terra, audi sermonem Domini. Hæc dicit Dominus : Scribe virum istum sterilem, virum, qui in diebus suis non prosperabitur : nec enim erit de semine ejus vir, qui sedeat super solium David, & potestatem habeat ultra in Juda.* Atque ita quidem probavit eventus : quanquam enim octo Filios habuerit Iechonias, qui *Lib.* 1. *Paralip. Cap.* 3. recensentur, *Asir, Salathiel, Melchiram, Phadaja, Senneser, & Jecemia, Sama, & Nadabia*; nullum tamen illorum Regni successorem obtinuit. Quin & ipse Zorobabel Nepos ejus per Salathielem prognatus Populi quidem e Captivitate reducis Ductor fuit, nullum tamen habuit Principatum; sed in Iesum Iosedech Levitam Tribulem translatus est. Sedecias verò Iechoniæ, seu Ioachimi Patruus, quem Nabuchodonosor loco ejus ad Solium evexit, nullos perinde habuit Regni Hæredes, ac Successores, Regumque Davidicæ Familiæ postremus est habitus, *Lib.* 4. *Reg. Cap.* 25.

Confirmat id totum multò magis, quæsitumque Suffugium intercludit omnino Iudaicæ Gentis Historia; ex qua Principatum e Iudæ Tribu ad Leviticam translatum esse, perspicuè liquet. Nota quippe, explorataque res est, Iudæorum Rempublicam, soluta Captivitate Babylonica, quandam Aristocratiæ formam induisse, rerumque summam penes Summos Sacerdotes, (quandoque Ducis, ac Principis, quandoque etiam Regis Titulum præferentes) extitisse per quingentos, & ampliùs annos ad Herodem usque, quo regnante natus est Christus. Assamonæos enim, quos & subinde Machabæos vocitarunt ex quatuor initialibus literis *mem, caph, bet, jod*, quas suis Vexillis inscripserant, *Quis similis tui in fortibus Domine?* penes quos suprema Authoritas erat, de Tribu Levi fuisse, certissimè constat ex *Lib.* 1. *Machabæorum Cap.* 2. ubi Matathias Machabæorum Pater dicitur *Filius Joannis filii Simeonis, Sacerdos ex filiis Joarib* : & *v.* 54., ubi idem ille Matathias Machabæorum Pater se ex Phinee oriundum prædicat:

dicat : *Phinees*, inquit, *Pater noster*, *zelando zelum Dei accepit Testamentum Sacerdotii æterni*. Phineem autem, ac tum Ioaribum Aaronis Nepotes extitisse sacris Altaribus destinatos, atque adeo ex Tribu Levi, nota res est ex *Libro Numerorum Cap.* 25., ubi legimus : *Dixitque Dominus ad Moysen : Phinees filius Eleazari filii Aaron Sacerdotis avertit iram meam a filiis Israel : quia zelo meo commotus est contra eos, ut non ipse delerem filios Israel in zelo meo. Idcirco loquere ad eum : Ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipsi, quàm semini ejus Pactum Sacerdotii sempiternum*. Et ex *Lib.* 2. *Esdræ Cap.* 11., ubi recensentur Incolæ Hierosolymæ, & Civitatum Iuda post factam instaurationem, *in Jerusalem habitasse* dicuntur *de Sacerdotibus*, *Idaja filius Joarib*, *Jachin*, *Saraja filius Helciæ*, *filius Mosollam*, *filius Sadocb*, *filius Merajotb*, *filius Achitob Princeps domus Dei*.

Apertius etiam Sacerdotale Machabæorum Genus contestatur idem ille *Liber* 1. *Machabæorum Cap.* 13. de Simone Machabæo rerum tunc summam tenente apud Iudæos sermonem habens : *Anno centesimo septuagesimo ablatum est jugum Gentium ab Israel & cœpit Populus Israel scribere in tabulis, & gestis publicis :* anno primo sub Simone Summo Sacerdote, magno Duce, & Principe Judæorum. Ubi summum Sacerdotium cum summo Principatu in Simone Machabæo conjunctum videmus. Pariter *sequenti Cap.* 14., *Judæi, & Sacerdotes eorum consenserunt eum esse Ducem suum, & Summum Sacerdotem in æternum, donec surgat Propheta fidelis*. Quin etiam secutis inde temporibus Pontificalis Dignitas cum Regis Titulo juncta fuit. Aristobulus enim Ioannis Hircani filius, Pontificis & Principis appellatione minimè contentus, Regis Nomen & insignia sumsit, quæ ejus subinde Posteri tenuerunt; ut est apud Flavium Iosephum *Lib.* 13. *Antiquitatum Judaicarum Cap.* 19.; & D. Augustinum *Lib.* 18. *de Civitate Dei Cap.* 45. Quis porro neget, Sacerdotes nonnisi de Tribu Levi, nequaquàm verò de Tribu Iuda extitisse? Deo ita jubente *Numerorum Cap.* 16. : *Ne quis accedat Alienigena, & qui non est de semine Aaron ad offerendum incensum Domino*. Unde & signanter notat Apostolus *ad Hebræos Cap.* 7. neminem ex Tribu Iuda Altaribus præsto fuisse, nisi Christum Sacerdotem simul, & Regem : *Manifestum est enim, quòd ex Juda ortus sit Dominus noster : in qua Tribu nihil de Sacerdotibus Moyses locutus est*.

Quare me stupor ingens insessit, dum apud Baronium (Virum alias nunquam sine laudis præfatione nominandum) legerem in Apparatu ad Annales Ecclesiasticos, Machabæos Paternum Genus ad Judam filium Jacob retulisse. Quod quàm falsum sit, satis me arbitror

bitror demonstraſſe : Genus quippe ſuum ad Levi certiſſimè referebant. Purpuratum Hiſtoricum deluſit *verſus 63. Capitis 5. Libri 1. Machabæorum;* ubi de Machabæis ita legitur : *Et Viri Juda magnificati ſunt valde in conſpectu omnis Iſrael, & Gentium omnium, ubi audiebatur nomen eorum :* Hincque Machabæos de Tribu Juda extitiſſe ſibi ſuaſit ; quòd nempe *Viri Juda* vocitentur. Perperam ſanè : nam τὸ *Viri Juda* non ſignificat *Viros de Tribu Juda*, ſed Viros Judæ Machabæi Fratres, ac Socios, qui eo Duce gerebant prælia : de quibus ſequenti verſiculo ſubditur : *Et exivit Judas, & Fratres ejus, & expugnabant filios Eſau in Terra, quæ ad Auſtrum eſt, & percuſſit Chebron & filios ejus; & muros ejus, & turres ſuccendit igni in circuitu.* Eam ceſpitationem emendaſſet Baronius, ſi ad Textum græcum vel leviter attendiſſet, ubi latinæ Verſionis æquivocatio tollitur; ſic enim habet : Καὶ ὁ ἀνὴρ Ἰούδας καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ ἐδοξάσθησαν. Hoc eſt, *& Vir Judas, & Fratres ejus glorificati ſunt valde &c.* Quod ipſa quoque Verſio Syriaca luculenter expreſſit. Unde nihil ad Genus Machabæorum e Juda derivandum extundi poteſt; quos & Levitas, & de Genere Sacerdotali fuiſſe compertum eſt.

Nonnulli nodum iſtum extricaturi, ut Sceptrum etiam in Tribu Juda Machabæorum tempore conſtitiſſe evincant, hanc putidam Fabulam comminiſcuntur; Machabæos ſcilicet Sacerdotes Principatum obtinentes, ſin minus Paterno, at ſaltem Materno Genere ex Tribu Juda extitiſſe; eo ducti fundamento, quòd utraque Tribus & Levi & Juda mutuis Matrimoniis quandoque junctæ fuerint; uti plane Aaron, & Jojadas Summi Pontifices Filias Aminadabi, & Jorami uxores duxiſſe leguntur *Exodi Cap. 6.* & 2. *Paralip. Cap 22.* : quod plane frivolum eſt. Quanquam enim duæ illæ Tribus Matrimoniis jungi poſſent, incredibile prorſus eſt, eas quingentorum annorum ſpatio perpetuò junctas eſſe ; Summoſque Sacerdotes Principatum tunc temporis obtinentes, nonniſi ex Tribu Juda, nunquam ex ſua, aliiſque Tribubus uxores ſibi copulaſſe. Sed, etſi id contigiſſe fingeremus, non illico profectò conſequens eſſet, Sceptrum in Tribu Juda Machabæorum tempore conſtitiſſe; quia nulla apud Judæos Maternæ Stirpis habetur ratio, juxta Thalmudicum Dictum *Familia Matris non vocatur Familia.* Ac quemadmodum Sacerdotium in Tribu Juda fuiſſe non dicimus, dum aliqui de Tribu Levi Sacerdotes uxoribus de Tribu Juda jungebantur; ita nec Sceptrum in Tribu Juda fuiſſe dicendum eſſet ætate Machabæorum; quanquam ipſi de Tribu Levi prognati uxores de Tribu Juda duxiſſe ponerentur. Quid etiam, quòd eo conſtituto Principio conſequens foret, Sceptrum in Tribu Juda, regnante Herode, ſubſtitiſſe? Cùm & ipſe Mariannam haberet uxo-

Y ij rem

rem, regio Assamonæorum Genere ortam; atque adeo secundùm illos ex Tribu Juda pari ratione prognatam.

Idcirco reponunt Alii, ut eo se laqueo liberent, ea etiam ætate temporum, qua Levitici Principes Machabæi rerum summâ potiebantur, Sceptrum penes Tribum Juda quodam sensu constitisse; quia hæc ipsa Tribus Juda Sacerdotes Machabæos in Principes eligebat; servataque Sceptri proprietate, usumfructum Leviticæ Tribui concedebat. Eo plane modo, quo Poloniæ Sceptrum penes Polonos esse dicitur, quanquam ex aliis Gentibus sæpius Reges habeant; modò Gallum, modò Germanum: quia eos sibi Reges Poloni seligunt, Sceptrique proprietate servata, usumfructum exteris in Regem electis largiuntur.

Bene id quidem, atque subtiliter excogitatum, nodoque solvendo percommodum; modò tamen duo hæc veritate niterentur: primum, Tribum Juda Sceptri Judaici proprietatem ea ætate retinuisse: secundum, solam Tribum Juda Leviticos Viros in Principes elegisse. Ea quippe duo ad hujusce Responsi firmitatem desiderantur. Verùm duo hæc a veritate procul abeunt. Primum quidem, quia Sceptri proprietatem Judæ Tribus amisit in Jechonia, ut ex laudato Jeremiæ Oraculo compertum est: *Scribe virum istum sterilem, virum, qui in diebus suis non prosperabitur: nec enim erit de semine ejus vir, qui sedeat super Solium David, & Potestatem habeat ultra in Juda*, *Cap.* 22. Secundum æquè falsum est, solam Judæ Tribum Levitas Viros in Principes elegisse. Quandoquidem Tribus omnes ad Principis, seu Ducis electionem suffragabantur, si qua tunc fortè fieret: tum ex veteri Judæorum consuetudine *Exodi* 18. insinuata, qua Electiones, ad totius Reipublicæ regimen attinentes, ab universis Tribubus fieri solitum erat: tum maximè, quia ad Jonathæ, ac subinde ad Simonis Electionem Populum omnem tunc temporis conspirasse, Scriptura disertè notat. De Jonatha quidem *Lib.* 1. *Machabæorum Cap.* 9.: *Congregati sunt omnes amici Judæ, & dixerunt Jonathæ: ex quo frater tuus Judas defunctus est, vir similis ei non est, qui exeat contra inimicos nostros, Bacchidem, & eos, qui inimici sunt Gentis nostræ. Nunc itaque te bodie elegimus esse pro eo nobis in Principem, & Ducem ad bellandum bellum nostrum. Et suscepit Jonathas tempore illo Principatum, & surrexit loco Judæ fratris sui*. De Simone autem *Cap.* 14.: *Vidit populus actum Simonis, & gloriam, quam cogitabat facere Genti suæ, & posuerunt eum Ducem suum, & Principem Sacerdotum*: Et rursus *v.* 46. *Complacuit omni Populo statuere Simonem, & facere secundùm verba ista. Et suscepit Simon & placuit ei, ut Summo Sacerdotio fungeretur, & esset Dux, & Princeps Gentis Judæorum, & Sacerdo-*

tum

tum, & præesset omnibus. Perperam ergo ab una Tribu Judæ Principatum obtinuisse Machabæi dicuntur. Quid quòd nec semper ex Electione secutis temporibus Principes fierent; sed plerumque hæreditario veluti jure Levitæ Assamonæi Principatum, quemadmodum & Summum Sacerdotium, obtinerent; ut Patri Filius, Fratri Frater succederet, nulla Populi accedente suffragatione, sed exterorum Principum patrocinio? Quod præsertim in Aristobulo, Alexandro Hircano, alteroque Aristobulo videre fuit: De quibus legendus Flavius Josephus *Lib.* 13., & 14. *Antiq. Jud.* Itane verò iis in casibus Judæ Tribus Sacerdotes in Principes eligebat, servataque Sceptri proprietate, usumfructum Tribui Leviticæ concedebat? Commentum igitur est inter omnia maximum, quod ab iis tam fidenter obtruditur.

Age tamen, demus id totum, ut libet, ut lubet: necdum sua Oraculo Jacobæo staret veritas, si de sola Tribu Juda veniret intelligendum. Nedum enim Sceptri perennitatem Judæ promisit Jacob proximè moriturus, sed & Duces de fœmore ejus perpetuò nascituros; cùm tamen Machabæi de Judæ peculiaris Personæ fœmore prognati dici non possent; quantumcumque precariam ab ea Tribu Authoritatem obtinuisse ponerentur. Uti plane Poloni (quorum Exemplum illis arridet) tenere quidem Sceptrum dici possunt, dum usumfructum Exteris, quos in Reges eligunt, largiuntur; at Reges de fœmore suo, hoc est, Polono sanguine ortos habere dici non possunt.

Unicum est, quod excitare scrupulum possit adversus Sententiam a nobis hactenus vindicatam. Quod nimirum Jacob proximè moriturus singulis Filiis benedixisse dicatur *Benedictionibus propriis*, *Genesis Cap.* 49. Cum itaque Oraculum illud de Sceptro nunquam a Juda auferendo is pronuntiaverit, Judæ ipsi Benedictionem impartiens, ad solam Judæ Tribum Oraculum illud spectare videri potest; aliàs propria Iudæ Benedictio non esset.

Verùm nec id quidem incommodat. Varias quippe partes in Judæ Benedictione secernere opus est; alias, quæ illi uti peculiari Tribui propriæ sunt, ut istæ *v.* 8. *Juda, te laudabunt Fratres tui .... adorabunt te Filii Patris tui. Catulus leonis Juda: ad prædam Fili mi ascendisti*; alias, quæ illi propriæ non sunt, sed ei tamen, uti totam Judaicam Gentem repræsentanti, sint accommodatæ; ut est ista, quæ Sceptri perennitatem Judaico Populo spondet, donec Christus advenerit. Non ergo propria Benedictione caruit Tribus Juda, sed ultra propriam, alteram etiam toti Judaicæ Genti communem accepit. Cur autem destinata toti Judaicæ Genti Benedictio Judæ Tribui potius, quàm alteri cuicumque tributa sit, ratio non una, sed multiplex in promptu est: Primò; quia

quia Messias, ad quem Judaicum Sceptrum in spirituale transmutatum transferendum erat, atque in æternum duraturum, ex ea Tribu oriturus erat: adeoque jus aliquod peculiare ad Sceptrum habebat Tribus illa: Secundò; quia diutius in ea Tribu, ac florentius, quàm in reliquis servandum erat Sceptrum, ac Principatus: Tertiò; quia præcipua Regni Judaici pars, ac ipsa Regni Sedes Hierosolyma in Sorte Tribus Juda futura erat. Quanquam enim ad utramque Tribum, & Beniamin, & Juda initio spectare visa sit Hierosolyma; solius tamen Judæ Tribus secutis inde temporibus habita fuit; maximè verò pars illa Urbis Australior, quæ & *Sion*, & *David Civitas* vocabatur; ut *Lib.* 2. *Regum Cap.* 5. legere est. Quartò; quia ex Tribu Juda, utpote nobiliori, universus Israeliticus Populus Judæorum nomen accepturus erat. Quid verò ex Gentis dignitate magis congruebat, quàm ut in ea, a qua nomen obtinuit, Benedictionem quoque reciperet, quæ ad omnes communiter pertineret? Quinto; quia Primogenituræ partes Rubeno sublatæ, ob incestum cum Bela commissum, in Judam quantùm ad jura Principatus translatæ fuerant. Congruum autem erat, ut totius Judaicæ Gentis Benedictio Primogenituræ jure potiunti potius, quàm cæteris nuntiaretur. Quandoquidem totam unus ille Gentem repræsentabat.


At ecce, inquiet Aliquis, si sic est; si, inquam, Primogenituræ partes in Judam quantùm ad Principatus jura translatæ sunt, ut innuitur *Lib.* 1. *Paralip. Cap.* 5. *Porro Judas qui erat fortissimus inter fratres suos, de Stirpe ejus Principes germinati sunt: Si major in Imperio*, qualis futurus erat Rubenus, factus est Judas; igitur Judaicum Sceptrum singulare illius Tribus Privilegium reputandum est, cæteris Tribubus nulla unquam occasione concessum a Populo.

Consecutionem ex posito Principio male fluentem inficior. Alia quippe tunc erat, estque etiam hodie Primogenitorum dominatio in Fratres, alia Principum, Regumve in Subditos. Priorem obtinuerit Judas in fratres Rubeni loco, bene est, non ambigimus; at posteriorem sibi, suisque Filiis, ac Nepotibus obtinuisse in totam Judaicam Gentem, figmentum est, idque negamus.

Quidni quoque dicamus, Judaicum Sceptrum in spirituale commutandum peculiarem Judæ Tribus Benedictionem extitisse; quòd illud Christus solus ex ea Tribu oriturus æternùm possessurus esset? Quem tamen Prophetiæ sensum si lubet admittere, quod sequitur ita erit accipiendum; ut particula *donec* non Sceptri cessationem significet veniente Christo, sed continuationem. Quasi dixisset Patriarcha Sanctissimus: *Non auferetur Sceptrum de Juda, & Dux de fæmore ejus, dum veniet, qui mittendus est*: quianem-

nempe veniens illud idem æternùm possidebit. Quæ ingeniosa Eruditorum Explicatio est a Nonnullis temere suggillata; quasi Jacobæi Oraculi vim omnem enervet, ne quid inde ad figendam Christi Adventûs Epocham colligamus: qui quovis demum tempore fingatur venturus, Judææ Sceptrum in spirituale commutatum perinde tenebit. Quinimo Jacobæi Oraculi vim integram servat ingeniosa Interpretatio, ac Judæos perinde convincit. Si enim Judææ Sceptrum, nonnisi in spirituale commutatum, a Christo promisso æternùm est possidendum; ex tunc venisse Christum necesse est, ex quo ea Sceptri commutatio facta est. Quandonam autem facta est commutatio, nisi dum desiit esse temporale? Quandonam autem temporale desiit esse, nisi dum temporaliter periit in Herode? Stat igitur data hìc obiter Explicatio; quanquam eâ non est opus ad propositam Difficultatem resolvendam, nec eam propugnare mihi sit animus.

Superest altera longè gravior ejusdem Jacobæi Oraculi occasione eliquanda: quo scilicet distinctè tempore, quo casu sublatum fuerit a tota Gente Judaica Sceptrum illud. Quanquam enim Christi Domini ætate sublatum esse universi Christiani consentiant; non ita tamen liquidò constat, quo distinctè anno, quave occasione desierit. De hoc igitur in sequenti dicendum.



PRÆ-

PRÆLECTIO XXI.

Quo distinctè tempore Judæ Sceptrum exciderit, impletumque fuerit Patriarchæ Jacobi Vaticinium declaratur.



Udææ Sceptrum Iesu nostri Sæculo desiisse, multis contra Iudæos Argumentis evicimus, dum impletam Iacobi morientis Prophetiam demonstravimus. Cæterùm, quo distinctè anno, quave occasione ea Iudaici Sceptri jactura contigerit, necdum expendimus; quòd id vindicandæ contra Iudæos Christianorum Caussæ minus necessarium videretur; satis officio nostro consultum arbitrati, si, semotis Quæstionibus inter ipsos Christianos controversis, Fidei Caput adversus Hebræos staret in tuto. Iam ergo ad eam, quæ curiosi animi est, Quæstionem eventilandam accedimus; ne quid desiderari a nobis possit ad cumulatam suscepti Argumenti elucidationem.

Tota ad Genus Herodis Magni, quo regnante natus est Christus, devolvitur Difficultas: Iudæus ne fuerit, non modò Religione, quod nemo ambigit, verùm etiam Genere, atque Prosapia, quod Aliqui non ita pridem affirmarunt, iique non Heterodoxi duntaxat, ut Iulius Scaliger in *Notis ad Eusebium Lib.* 2. & Isaacus Casaubonus in *Exercitationibus contra Baronium*, sed & Viri summè Catholici, Daniel Huetius Episcopus Suessionensis in *Demonstratione Evangelica Propositione* 9. & Claudius Frassenius *in Scoto Academico in* 3. *Sententiarum*. Si enim Iudæus Genere non fuit Herodes Magnus, Herodianæ Familiæ Parens, consequens profectò est, Iudæ Sceptrum tunc primùm fuisse ablatum, Principesque de Iudæ fœmore desiisse, dum is Romanorum gratiâ Iudaicæ Genti Rex datus est anno ante Christum Dominum trigesimo sexto. Si autem e contrario ut Religione, ita & Genere Iudæus extitit, illud quoque ex adverso consequens erit, Iudæ Sceptrum ad excidium usque Hierosolymitanum ad annos post Christum in Cœlos assumptum triginta septem penes Iudaici sanguinis Principes substitisse. Extinctо siquidem Herode Magno Filii ejus, atque Nepotes Iudaicum Sceptrum pari Romanorum gratiâ ad id usque temporis tenuerunt, in varias quidem Tetrarchias divisum, servato tamen primæ, ac nobiliori Tetrarchiæ Regis Titulo, retentaque vitæ, ac necis in suos Subditos Potestate. Quod ex Evangelio, & Actibus Apostolicis notum est. De Archelao enim Herodis Magni filio legimus *Matth. Cap.* 2. eum extincti Parentis loco in

in Judæa regnasse: *Audiens autem* (Joseph) *quòd Archelaus regnaret in Judæa pro Herode Patre suo, timuit illò ire.* Non absimiliter Herodem Antipam alterum Herodis Magni Filium, qui Archelao Fratri in exsilium amandato, atque e Solio deturbato successit post annos decem Regis Titulo cohonestatum legimus Marci *Cap.6.* dimidiam etiam Regni partem Puellæ saltatrici spondentem, & in Joannem Baptistam pro Jure, & Potestate gladii animadvertentem. Tum Herodem Agrippam majorem Herodis Magni Nepotem, qui Herodi Antipæ in exsilium pariter acto succedaneus a Tiberio Cæsare datus est, Regio etiam Titulo auctum legimus Actorum *Cap.* 12., & in Jacobum Apostolum Jure gladii usum: *Eodem autem tempore misit Herodes Rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia. Occidit autem Jacobum Fratrem Joannis gladio.* Demum Herodem Agrippam minorem prioris ab Angelo percussi, ac male perempti Filium Regio perinde nomine insignitum sæpius observamus *Cap.*25., & 26. Actuum Apostolicorum; ubi & Paulum Apostolum Caussam orantem ex Tribunali audiisse fertur anno ante excidium Hierosolymitanum circiter decimo. Ex quibus omnibus perspicuum fit, Judæ Sceptrum (si Judæus Genere fuit Herodes Magnus) penes Principes Judæ Sanguine ortos ad excidium usque Hierosolymitanum perennasse.

Nec repugnat, quòd passionis Dominicæ tempore Pilato Iudæis objicienti *Regem vestrum crucifigam?* Nefarii Deicidæ reposuerint: *Non habemus Regem, nisi Cæsarem,* Ioannis *Cap.*19.: Eidemque dicenti: *Accipite eum vos, & secundùm Legem vestram judicate eum;* subjunxerint illi: *Nobis non licet interficere quenquam,* Ioannis *Cap.* 18., quasi nec Regem tunc, nec gladii Ius haberent. Quomodo enim utroque tunc caruissent Iudæi, dum Christi Caussa in capitali Foro verteretur, cùm illis præesset Herodes Antipas; ille, inquam, ipse, quem Regem Marcus appellat *Cap.6.* & in Ioannem Baptistam Iure gladii animadvertisse scribit? Quòd itaque nefarii Deicidæ succlamarint: *Non habemus Regem, nisi Cæsarem,* assentatione, & adulatione factum est, ut Pilatum Cæsaris Administrum demererentur, ut ab illo optatam mortis Sententiam facilius extorquerent, si se bonos Cæsaris palpones exhiberent. Maximè cùm & ipsi Cæsares eo Regis nomine veriùs digni essent, a quibus Iudæorum Reges pro nutu pendebant, creabantur, absolvebantur. Quod etiam *non licere* sibi, subjunxerint Deicidæ *interficere quenquam,* occasione Solemnitatis Paschalis est dictum; quo tempore per speciem Religionis illicitum sibi ajebant Hypocritæ, Caussarum capitalium Iudicia exercere; quod aliàs Iure gladii sibi licitum contendissent; uti observant D. Augustinus *Tract.* 114. *in Joannem,* S. Cyrillus Alexandrinus *Lib.*12. *in Joannem Cap.* 6.,

S. Ioannes Chryfoftomus *Homil.* 82. *in eundem*, & Venerabilis Beda in *Caput ejufdem* 18. Nec verifimile eft, Pilatum Iudæis di-ctúrum fuiffe : *Accipite eum vos, & fecundùm Legem veftram judicate eum*, nifi Cæfares Ius vitæ, ac necis in recutitos Iudæorum Principibus reliquiffent.

Hoc ergo, quod ante pofuimus, tanquam certiffimo, atque indubitato conftituto, Principio, nempe, Iudæ Sceptrum ad excidium ufque Hierofolymitanum penes Iudæ Principes fuiffe, fi Iudæus Genere fuit Herodes Magnus; fin autem fuit Allophylus, annis ante Chriftum triginta fex excidiffe; illud ad propofitæ Controverfiæ folutionem expendendum eft : Iudæus ne Natalibus, & Origine fuerit Herodes Magnus, an autem Alienigena, & Allophylus; Idumæus nimirum, aut etiam Afcalonita. Eo quippe Capite tota jam volvitur Difficultas. Quocirca Herodem minimè Iudæum, fed Iudæorum comparatione Alienigenam, & Allophylum dico; feu Afcalonita ille fuerit, ut Aliquibus vifum eft; feu etiam Idumæus, ut Aliis probatur magis; quæ tamen poftrema folius nominis Quæftio eft.

Priorem Afferti partem Patrum omnium firmat affenfus, quos inter ne quidem inventus unus, qui Herodem non dixerit Alienigenam, eundemque Iudæum Natalibus, & Origine non negaverit; etfi in ejus affignanda Patria non omninò confentiant. Iulius Africanus referente Eufebio *Lib.* 1. *Hift. Ecclef. Cap.* 6. *Herodem, qui Salvatoris temporibus vixit, filium* dicit *Antipatri; Nepotem verò Herodis alterius Afcalonitæ, qui Apollinis Templo, quod Afcalone eft, inferviebat*. Iuftinus Martyr in Dialogo cum Tryphone Judæo *Herodem, fub quo natus eft Chriftus, Afcaloniten* perinde vocat. Etfi per errorem in Verfione legamus *paffus eft*. Origenes *Homil.* 17. *in Genefim fcribit, Herodem Regem, qui fecundùm Hiftoriæ fidem, quam Jofephus fcribit, Alienigena fuiffe, & per ambitionem in Regnum Judæorum dicitur irrepfiffe*. Eufebius *Lib.* 1. *Hift. Ecclef. Cap.* 4. ita habet : *Herodes primus ex Alienigenarum Genere ortus, Regnum Judaicæ Gentis obtinuit*. Et paulò infrà : *Quo in tempore primus (ut fuprà dixi) Herodes externi Generis vir, à Romanis Judæorum fufcepit Principatum. Qui Herodes, fecundùm ea, quæ Jofephus tradit, ex Idumæorum Gente paternum Genus, ex Arabum verò materni fanguinis originem deducebat*. S. Epiphanius *Hærefi* 20. : *Herodes Antipatri filius fuit, Afcalonitæ cujufdam Æditui, ac Miniftri fimulachri Apollinis, cujus Antipatri Pater, Herodes quidem erat nomine : filius autem hic erat Antipæ*. Severus Sulpitius *Lib.* 2. *facræ Hiftoriæ : Herodes Alienigena, Antipatri Afcalonitæ Filius, Regnum Judææ a Senatu, & Populo Romano petiit, accepitque. Hunc primum Judæi externum Regem cœperunt habere. Etenim jam ad-*

adventante Christo, necesse erat, secundùm vaticinia Prophetarum, suis eos, Ducibus privari, ne quid ultra Christum expectarent. S. Hieronymus *in Cap.* 3. *Oseæ* : *Postquam defecit Princeps ex Juda, & Dux de fœmoribus ejus, & Herodes alienigena, & proselytus suscepit Imperium, intelligimus venisse, cui Regnum repositum est : & ipse erat expectatio Gentium.* S. Augustinus *Lib.* 12. *contra Faustum Cap.* 42. *Sunt enim literæ certissimæ historiæ ipsorum quoque Judæorum, quibus ostenditur, primum alienigenam Herodem Regem fuisse in Gente Judæorum, quo tempore Christus natus est.* S. Ambrosius *Lib. de Benedictionibus Patriarcharum Cap.* 4. *:* Donec ille veniat, non deficiet Dux ex Iuda : *ut usque ad ejus* (Christi) *ortum Regalis Successionis fides incorrupta servetur. Postea enim per Herodem adulterata Successio prærogativam Dignitatis amisit. Etenim quia verum Regem negaverunt, falsos habere cœperunt.* Et *Lib.* 3. *in Lucam : Ex Græcorum Historiis putavimus transferendum, ut clareat Herodem nulli affinem Generi Judæorum, Regnum adulterina fraude quæsisse.* Theodoretus *in Danielem ad Cap.* 9. : *Herode alienigena regnante, qui paterno genere Ascalonites, materno Idumæus erat, & iis qui Principes Sacerdotum vocabantur, non secundùm Legem unctis, sed ab alienigenis Principibus* (*Herode, Archelao, & Romanis Ducibus*) *electis; deinde commemorat excidium, quo & Civitas opprimenda erat, & hoc ipsum Alienigenarum Regnum evertendum, & Pontificatus maximus non legitimus auferendus.* Et *Dialogo I.*: *Undenam derivantur modo Judæorum Patriarchæ? Ex Herode alienigena, qui ex Patre quidem erat Ascalonites, ex Matre autem Idumæus.* Rupertus *Lib.* 5. *Comment. in Oseam* : *Transire, & cessare debuit Rex Israel eo maxime tempore, quando talis erat Rex Herodes, qui neque de Juda, neque de ulla esset Tribu Israel quo tempore verus Rex Christus natus est .... quem* (Christum) *quærebat ad perdendum Herodes ille alienigena Rex.* Præter hos proferre & alios possem numero multos & Patres, & Ecclesiasticos Tractatores, qui idipsum senserunt; quos lubens prætereo, ne Authorum potius catalogum texere, quàm Theologum agere videar.

Quis, quæso, tot Ecclesiæ Patres in putidam de Genere Herodis Fabulam consensisse, facilè credat? Iis præivit Flavius Josephus, quo nemo meliùs Herodis Genus nosse potuit, ac debuit. Is Antipatrum Herodis Patrem Idumæum, atque ita Judæorum comparatione Allophylum, seu Alienigenam scribit *Lib.* 14. *Antiquit. Jud. Cap.* 2. ; & Nicolaum Damascenum, uti projectum adulatorem traducit, quod eundem Antipatrum Judæum Genere posuisset : *Amicus quidam Hyrcani Idumæus nomine Antipater, vir pecuniosus, natura factiosus, & industrius, infensus erat Aristobulo, eo quòd ipse studeret partibus Hyrcani : Quamvis Nicolaus Da-*

nascens hujus Genus deducat a Primoribus Judæorum, qui in Judæam venerunt e Babylonia. Sed hoc dicit in gratiam Herodis ejus Filii, quem fortuna ad Judæorum Regnum evexit. Et Cap. 27. Antigonum inducit Idem Josephus Romanos culpantem, *quod Judæorum Regnum Herodi dedissent; cùm id more Gentis debeatur successioni Generis*. Id ergo pro certo ponit, eum Judæum Genere minimè fuisse; sed utut maximè Semi-Judæum, propterea quòd Idumæi, ex quibus Herodis Genus erat, ab Abrahamo quidem, non tamen per Jacob, sed per Esau descendissent: quod ad præsens Institutum nostrum satis est. Jacob enim Judææ Sceptrum non penes quosvis Abrahæ Posteros ad Messiam usque perennaturum portenderat; sed penes solos Nepotes suos, ex Judæ scilicet fœmore orituros, seu Judæ nomine peculiarem hujus nominis Tribum intelligas, seu totam promiscuè Judaicam Gentem ex duodecim Jacobi Filiis prodituram accipere malis: cujus certè comparatione Idumæi ex Esau Jacobi Fratre procreati Allophyli erant, & Alienigenæ; nullumque ad Sceptrum Judaicum jus habebant.

Idem de Antipatro Herodis Parente notat etiam Iosephus *Lib.* 1. *de Bello Judaico Cap.* 5.: *Erat autem Genere Idumæus, & nobilitate, ac opibus Gentis suæ Princeps*. Princeps, inquam, non Imperio tamen, atque Dominatione, sed opibus. Quam ob caussam Herodem Filium ejus *plebejo Genere natum* dicit *Cap.* 28. *Libri* 14., hoc est, privatum Hominem, *subjectumque Regibus*, tametsi potentem opibus apud Suos. Id itaque certum, indubitatumque, Herodem Magnum, quo regnante natus est Christus, Iudæum Genere non fuisse, sed Alienigenam, & Allophylum.

Pars verò Assertionis nostræ altera, quam solius Quæstionem nominis esse diximus, Ascalonita ne fuerit, an Idumæus, unica Annotatione patefcit, qua omnis Iosephum inter, & Patres dissonantia tollitur. Idumæum equidem dicunt Iosephus, & Eusebius; Ascalonitam autem Iulius Africanus, Iustinus Martyr, Sulpitius. At hæc de facili conciliantur, si quid rei fuerit, observetur. Herodem scilicet Antipatri filium, quo regnante natus est Christus, a prima Origine Ascalonitam fuisse, utpote alterius Herodis Ascalonitæ Nepotem, qui Apollinis Templi, quod Ascalone erat, Æditaus fuerat, atque ita Gentilis. Utrumque tamen & Antipatrum, & Herodem filium Idumæum fuisse dictum, quòd ille a prima pueritia ab Idumæis Latronibus captus in Idumæa fuisset educatus, ibidemque ad virilem ætatem degens Herodem filium procrearit. Indeque factum, ut Herodes, de quo nobis hic Quæstio est, Idumæus a nativitate sit dictus, Ascalonita verò a prima Avorum gentilium Origine. Observationem hanc, qua omnes Scriptorum de Herodis Patria Dissonantiæ conciliantur, debemus Iulio

-lio Africano apud Eusebium *Lib.* 1. *Historiæ Eccles. Cap. 6.*; S. Ambrosio *Lib.* 3. *Commentariorum in Lucam*; S. Epiphanio *Hæresi* 20. Postremi hæc verba sunt, cæterorum sensum referentia : *Herodes Antipatri filius fuit, Ascalonitæ cujusdam Æditui, ac Ministri Simulachri Apollinis; cujus Antipatri Pater, Herodes quidem erat nomine : Filius autem hic erat Antipæ. Captus est autem ab Idumæis idem Antipater : atque illic in Idumæa degens genuit Herodem. Quum autem Pater pauper esset, & pretio redemptionis filium, Antipatrum inquam, redimere non posset, per multum tempus in servitute permansit. Postea verò liberatus est ex collatione Civium unà cum filio Herode, & ad propria devenit. Quapropter Aliqui ipsum vocant Idumæum, Alii verò Ascalonitam norunt.* Hæc Epiphanius : qui tamen hòc uno a. Iulio Africano, & Ambrosio dissidet, quòd is Antipatrum Apollinis Æditum dicat, illi Herodem Antipatri Patrem. Nisi fortè Uterque eo munere functus sit; Herodes quidem Pater, dum illi ab Idumæis Latronibus surreptus est Antipater adhuc puer; tum postea Antipater ipse, dum grandior factus Ascalonem postliminio reversus est. Quo in munere, aliisque artibus eas subinde divitias comparavit, quibus eum valuisse Iosephus memorat.

Nunc re tota bono in lumine posita, Herodisque Magni Genere (quo regnante natus est Christus) certis documentis asserto, illi modò audiendi veniunt, qui eum, non Religione modò (quod nemo unquam vertit in dubium) sed & Genere, atque prosapia Iudæum existimant. Quadruplici Momento Iudaicum Herodis Genus evincere sibi putant : Primò; quòd orta Cæsareæ Iudæos inter, & Syros rixâ gravissimâ de Civitatis jure, Herodem Cæsareæ Conditorem Iudæum Genere Iudæi contenderint, nec inficiati sint Syri, uti refert Iosephus *Lib.* 20. *Antiquitatum Cap. 6.* : *Apud Cæsaream quoque inter Judæos Habitatores, & Syros de pari jure Civitatis rixa exorta est. Nam Judæi potiore conditione volebant esse, quòd Urbis hujus Conditor Herodes Rex fuerit Judæus Genere : Id Syri non inficiabantur quidem, sed ajebant, Urbem turrim Stratonis dictam a principio, quo tempore nullum Judæum habitasse inibi.* Secundò; Iudæorum non pauci Herodem tanquam Messiam coluerint, Herodiani propterea nuncupati; quorum sæpius Sacrum meminit Evangelium. *Herodiani Christum Herodem esse dixerunt*, inquit Tertullianus *Lib. de Præscriptionibus Cap.* 45. Incredibile autem est, illos Herodem pro Messia habituros fuisse, nisi Iudæum Genere pro certo novissent. Cùm nihil Sacris in Literis expressius sit, quàm Iudæum Genere, ac etiam de Tribu Iuda, imò & de Stirpe Davidica Messiam exiturum. Tertiò; quòd Herodem *Judæum Genere* dixerint Nicolaus Damascenus,

nus, (referente Josepho *Lib.* 14. *Antiquit. Cap.* 2.) Quartò; quod Judæos *Contribules suos* vocare solitus esset Herodes, dum ad illos pro concione diceret, ut apud Josephum legere est *Lib.* 15. *Cap.* 14. Qui etiam priorem illius uxorem Hierosolymitanam nomine *Dorem*, Herodis popularem, quasi illius concivem appellat *Lib.* 14. : *Cap.* 21. : *Duxerat autem etiam ante uxorem e suis popularibus, Dorem nomine; ex qua suscepit Antipatrum Filiorum natu maximum*.

Nihil tamen ista nos movent, ut a statuta sententia resiliamus. Quid enim si in contentiosa disputatione, ubi de jure Civitatis agebatur, Herodem Judæum Genere obiter dixerint Judæi Cæsarienses; nec repugnaverint Syri, cùm de Herodis Genere Quæstio ipsa non esset; ac tantumdem ad tuenda Judæorum Iura valuisset, si Herodem Cæsareæ conditorem Religione Judæum, ut revera erat, simpliciter nuncupassent? Maximè quia Josephus ipse, qui Judæos Cæsarienses ita locutos memorat, iisdem ora verberat aliis Historiæ suæ locis, ubi Herodem Judæum Genere disertissime negat.

Quid etiam illud alterum miremur, Herodianos (vilissimam, odiosissimamque Iudæorum Sectam) Herodem pro Messia coluisse; tametsi Iudæus Genere non esset, sed Religione dumtaxat? Quandoquidem Iosephus ipse, Vir aliunde bonus, & simplicis veritatis amicus, Vespasianum Imperatorem habuit pro Messia, eidemque Prophetarum Oracula, quæ de Christo erant, seu assentatione, seu ex animi sententia accommodavit *Lib.* 4. *de Bello Judaico Cap.* 12. (quamquam Vespasianus nec Genere, nec Religione Iudæus esset) ob id solùm, quod is *apud Judæam creatus fuisset Imperator*. Tantum improba cæcitas Iudæorum animos occupaverat, ac dementaverat! Imò facilè crediderim ego, Herodianos idcirco Herodem tanquam Messiam coluisse, quòd in eo impletum Jacobi morientis Oraculum cernerent, atque ita Allophylum, & Alienigenam probè nossent Judææ Sceptrum obtinentem: Sed in eo illos errasse, quòd Principem Alienigenam Judææ Sceptrum Christo nascente occupaturum, de quo prophetaverat Jacob, Christum ipsum fore, stultissimè crederent. Quare tantum abest, ut ex illorum Errore aliquid ad Judaicum Herodis Genus probandum extundi possit, ut potius illum Alienigenam fuisse luculentiùs evincat.

Herodis Genus a Primatibus quidem Judæorum, qui ex Babylonia in Judæam venerant, deducit Nicolaus Damascenus: at id assentatione factum monet hoc ipso in loco Flavius Josephus, ne quam projecto Adulatori fidem demus. Non ita tamen Strabo loco objici solito; ubi Herodem *Judæorum indigenam* dumtaxat vocat;

vocat; hoc est, eo loco natum, quem Judæi, sin minùs Genere, at certe Religione facti, tunc temporis incolebant. Idumæi enim, quos inter natus erat Herodes, annis in antecessum circiter sexaginta ab Hircano Judæorum Rege, atque Pontifice subjugati, Judæi Religione effecti erant, teste Josepho *Lib.* 13. *Antiquit. Cap.* 17. relictoque proprio Gentis suæ Deo, & antiquatis prioris Idololatriæ Ritibus, Circumcisionem, universumque Moysis Ritum admiserant. Hinc *Judæorum indigena* Herodes est dictus; hoc est, loco illo natus, quem Judæi, qualescumque tandem essent, multos jam annos incolebant,

Hac ipsa de caussa Judæos *contribules suos* appellare solebat Herodes jure summo; quòd Proselytus esset, illorumque Sacris initiatus; atque ita Mosaicæ Religionis professione in Judaicum Nomen, & Populum insitus esset. Non ideo tamen Judæus Genere, Prosapia, Sanguine censebatur; atque adeo nullum ad Judaicum Sceptrum, quod hic maximè quæritur, jus habebat, quod non Religioni soli, sed Sanguini debebatur; ab iis scilicet Principibus possidendum, qui de Judæ fœmore orti essent.

Neque refert, quòd Idumæi *Judæorum fratres* interdum vocentur Sacris in Literis, ut *Deuteronomii Cap.* 23. *: Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus est.* Laxioris quippe significationis appellatio illa est : quòd nempe ex Abrahamo, & Isaaco per lineam Esau descenderent Idumæi. Quia tamen per lineam Jacob prognati non erant, ex quo uno per duodecim Patriarchas Tribules, seu Tribuum Capita prodiit Judaicum Genus, veri, strictique nominis Fratres Judæorum minimè censebantur; sed Alienigenæ potius, & extranei, juxta Davidis Oraculum, quo futura Idumæorum ad Christum conversio prænuntiabatur : *In Idumæam extendam calceamentum meum : mihi alienigenæ amici facti sunt, Psalm.* 107.

De Dore Hierosolymitana priori Herodis conjuge expedita Responsio est : mero nominis æquivoco ludere eos, qui eam Herodis popularem, hoc est, concivem, & conterraneam a Josepho dictam effutiunt; quæ alio longè sensu popularis est dicta, plebeja nimirum, atque ignobilis. Sic enim juxta græcum Josephi Contextum : *Duxerat quidem priorem etiam uxorem popularem nomine Dorin ex Gente*, subintellige, *nostra* : Γυναῖκα δημότιν, Δορὶν ὄνομα ἐκ τοῦ ἔθνους. Quòd cùm Josephus hebræus scribat, eam ignobilem fuisse, significat ex Gente Judaica, non Herodis Idumæi concivem, & popularem.

Nodus superest exsolvendus, qui ex hac tota de Genere Herodis Disputatione relinquitur : quonam scilicet pacto, quave ratione in eo impletum fuerit Jacobæum Vaticinium? Ea siquidem verba.

ba *Non auferetur Sceptrum de Iuda*, & *Dux de fœmore ejus, donec veniat, qui mittendus est* postulare videntur, ut prius ille venerit, qui mittendus erat, quàm Sceptrum re ipsa auferetur a Juda : ut si dicam, *non tradetur Civitas, donec obsidione cingatur*, prius eam obsidione cingi necesse est, quàm tradatur; non tradenda prius est, ac subinde cingenda. Porro si Herodes Alienigena est, Regnumque Judææ tunc primùm excidit, dum ei a Romanis collatum fuit, prius certè Judæ Sceptrum ablatum est, quàm Christus advenerit; cùm annis ante Christum natum triginta sex Judæorum Rex fuerit salutatus.

De facili tamen solvitur nodus; quòd in magnis eventis quæ procul admodum, & quàm longissimè prævidentur, ac prænuntiantur, hujusmodi particulæ ad notationem temporis positæ præcisum, distinctumque tempus non designent, sed indistinctum, ac diutinum. Ut si de Antichristo loquar, non incongruè dicam : *Non suscitabitur Antichristus, donec Mundi finis advenerit*. Quo tamen non significabo, Mundi finem prius obventurum, quàm suscitetur Antichristus; sed eo circiter tempore Antichristum suscitandum, quo Mundi finis adveniet. Hujusmodi igitur est Iacobæi Vaticinii sensus : *Non auferetur Sceptrum de Juda, donec veniat, qui mittendus est*; hoc est, ad ea circiter tempora Sceptrum auferetur a Juda, quibus Christus adveniet; quocunque tandem id modo contigerit, pro varia Eruditorum Opinatione, ut peræquè particula *donec* ad tantillum tempus anterius, aut etiam ad posterius extendatur. Eum sacri Oraculi sensum esse, eamque particulæ *donec* significationem, & potestatem fateantur necesse est ii quoque, qui aliter, quàm nos de Herodis Genere sentiunt. Nemo enim ablatum de Juda Sceptrum ponit eo ipso distincto tempore, quo natus est Christus. Ac sicuti nos ablatum dicimus annis ante Christum triginta sex, dum Herodes Alienigena Regnum iniit; ita illi annis a Christo nato circiter septuaginta ablatum ajunt, cùm demum eversa Hierosolyma Herodianorum Dominatio finem habuit.

Atque hìc finis esto institutæ contra Judæos de Christo promisso, atque jampridem oborto Polemicæ Disputationis. Nunc in Hæreticos, qui admissa nobiscum jamdudum peracta quoad substantiam Incarnatione, de ea tamen quoad ejus Partes, Adjuncta, Prærogativas, & Circumstantias minus Catholicè sentiunt, ut ab initio spopondimus, arma convertere festinabimus. In sequenti itaque Disputationem alteram auspicabimur ; qua præcipuas circa Christum Obortas Hæreses felici, uti spero, exitu, Divino opitulante Numine refutabimus.

DIS-

DISPUTATIO SECUNDA.

Adversus Hæreticos.

PRÆLECTIO PRIMA.

Varia Hæreticorum de Christo Systemata referuntur, ac confutantur.



ADversus Infideles, præsertim Judæos, qui Christo nostro nedum Divinitatem, verùm etiam Messiæ adpromissi Sacris in Literis dignitatem, & Gloriam impiè eripere contendunt, omni, quo potuimus studio, hactenus decertavimus. Alteram modò, Superis adfaventibus, Disputationem auspicamur; ut quam peractam contra eos Incarnationem in Superiori Argumentis invictissimis demonstravimus, integram Illam, suisque partibus absolutam adversus insulsas Hæreticorum Cavillationes in præsentia stabiliamus, ac vindicemus. Quamobrem in Eos iam tandem arma convertimus, qui Incarnationem Divini Verbi verè quidem peractam nobiscum sponte fatentur; sed eam nihilominus iniquè mutilant, deformant, impiisque blasphemiis cumulant, dum Christum, quem Messiam Sacris Oraculis prænunciatum cum Catholicis agnoscunt ac venerantur, suis tamen Titulis & Prærogativis defraudare impudentissimè moliuntur. Ut hanc porro spartam feliciter exequar, Illos paucis recensebo, suisque coloribus pingam, quibuscum arma conferenda nobis erunt, satis subinde in sequenti Disputatione facturi Angelicæ Scholæ Adversariis.

Hæreticos itaque Dominicæ Incarnationis integritatem impetentes duplici statim agmine sitos video, alios Christi Humanitatem, alios ejusdem Divinitatem, adversis licet Consiliis, pari tamen impietate oppugnantes. Christum verum esse Hominem primus, quem sciam, inficiatus est Cerdon; cujus mentionem ingerit D. Augustinus *Libro de Hæresib. Hæres.* 21. Quo semel negato Fidei Capite, illud etiam colligebat, Christum simulatè tantùm atque in speciem, non autem verè passum, ac mortuum esse. Eidem Errori, sequutis inde temporibus, sese alligarunt Proclianitæ, de quibus idem Augustinus *Hæres.* 60. Tum dein Apelles quidam, de quo Eusebius *Lib.* 5. *Hist. Eccl. Cap.* 13, Valentinus, Priscillianistæ, aliique obscuri satis nominis Tenebriones, qui Christi Cor-

Corpus non humanum, vereque de Virgine efformatum prædicarunt, sed cœlesti quadam subtili materia compactum, quod ad nos per Virginem, veluti per rimam ac fistulam venerit. Ab iis omnibus non procul abiisse putaverim Manichæos; qui Christo Corpus phantasticum tribuebant; quosque Augustinus variis Libris exagitavit, multoque sale defricuit.

In Christi Divinitatem non uno eodemque consilio pugnatum est; sed variis, prout maligno suo quisque Genio ducebatur, Erroribus ventum in aciem. Christum verum quidem Hominem fassi sunt; sed itidem verum Deum, ejusdemque cum Æterno Patre substantiæ pernegarunt Arjani, eo nomine dicti ab Ario quodam Lybico Alexandrino, qui Sectam illam secundo Ecclesiæ sæculo a variis Tenebrionibus præformatam longè, latèque diffudit sæculo quarto. Triplex progressu temporis Arjanorum factio conflata est. Prima, eaque omnium princeps illa fuit, quæ Arii primigenium dogma, putamque illius blasphemiam propugnabat: Christum Dominum scilicet alterius a Patre esse Substantiæ eidemque plane dissimilem; atque ita in communem creaturarum ordinem ablegandum. Factio altera Semiarianorum fuit; qui videlicet priorum blasphemiam temperantes Filium quidem Patri consubstantialem negabant; eidem tamen per omnia similem fatebantur. Tertia Arjanæ impietatis Factio Acacianorum dicta est, quod ejus princeps esset Acacius Episcopus Cæsariensis. Ii scilicet Christum Dominum, quem Patri consubstantialem cum Arianis omnibus pernegabant, Patri tamen per omnia similem cum Semiarjanis fateri detrectabant; sed ut ut maximè externæ speciei similitudinem admittebant.

Nos igitur Arjanos, eorumque vel Præformatores, vel Pedissequos non hic in censum vocabimus; qui ut æterno Dei Fillo, Verbo a Patre genito, Divinitatem eripuerunt, ita & Christum suo illo titulo defraudarunt. De iis quippe lato admodum sermone suo loco diximus, dum de Trinitatis Mysterio ex instituto disputavimus, uti quoque in IX præcedentis Disputationis Prælectione, ubi Arjanorum æque ac Judæorum momenta contra Messiæ Divinitatem refutavimus; Sed illos duntaxat in judicium vocabimus, qui cùm Æterno Dei Filio Divinitatem attribuerint, eandem tamen novo absurditatis genere Incarnato Dei Filio denegarunt. Ii quippe ad præsentem Disputationem intimius attinent, nostrique jam juris sunt.

In hunc censum computandi veniunt Eutychiani Sæculo quinto tot inter sese dissidiis commissi, ut vix unum alteri consentientem invenias. In hoc quidem conspirant universi, quòd duæ in Christo ante unionem Naturæ fuerint, post unionem autem unica. Ita quip-

quippe de iis scribunt S. Flavianus *in Epist. ad S. Leonem* (apud Labbæum Tom. 4. pag. 774.) & ipse S. Leo *Epist.* 10. *cap.* 6. At verò qua sorte, quove pacto unica ex duabus Natura coaluerit, non uno, eodemque modo definiunt. Nonnulli, ut legimus apud Theodoretum *lib.* 4. *Hæret. Fabul. cap. ult.*, unam Naturam ex utraque coaluisse fabulantur, per conversionem Humanitatis in Divinitatem. Alii vice versa, de quibus scribit Gelasius *lib. de duabus Naturis* contra Eutychetem, factum id arbitrantur per conversionem Divinitatis in Humanitatem. Alii demum, quasi quid melius suis sodalibus saperent, tertium nescio quid ex utraque Natura conflatum commenti sunt, mutua veluti mixtione, ac confusione, ut nec Divinitas, nec Humanitas secundum proprias sui formas Christo inessent; eo plane modo, quo ex quatuor elementis corpora compinguntur, ut quid aliud inde succrescat, cedantque nativæ elementorum formæ, solaque illorum virtus maneat.

Tam insani, tamque impliciti erroris Architectum produnt communiter Ecclesiæ Patres Eutychetem, Ecclesiæ Constantinopolitanæ presbyterum, ac Monasterii, nescio cujus, Abbatem. At Præformatores eum habuisse certum est, qui hoc idem ante illum delirarint; maximè verò Polemium integro sæculo superiorem, cujus mentionem fecerunt S. Epiphanius *in Compendio Hæret. Fab. lib.* 4. *pag.* 504. Theodoretus *lib.* 4. *Hæret. Fab. pag.* 439. Hinc & multos Ecclesiæ Patres Eutychetis ætate Superiores legere est, qui errorem illum ex instituto confutarunt; ut Athanasius *in Epistola ad Epictetum*, Cyrillus Alexandrinus *lib. de recta fide* ad Theodosium, & S. Ambrosius *lib. de Incarnationis Dominicæ Sacramento cap.* 6. Quin & erunt fortasse, qui putent, primo ipso Christiani nominis Sæculo eum errorem ex Inferis erupisse; quòd illum data operâ confutatum legant ab Dionysio Areopagita *Epist.* 4. *ad Cajum Monachum*. Verùm cum Epistolas illas (extant in Bibliotheca Patrum Tom. 1. pag. 159.) uti & alios sub Dionysii Areopagitæ nomine vulgatos libros spurios judicent Criticæ Scientiæ Periti pene omnes, eosque Scriptori longè recentiori communiter tribuant, nullum inde Argumentum efficax peti potest ad primos Eutychianismi natales detegendos.

Cæterùm, uti Præformatores, ita & Pedissequos habuit Eutyches etiam postquam a Concilio Chalcedonensi damnatus est; Acephalos scilicet, qui uti Naturam Humanam in Divinam transformatam, conversamque commenti sunt, ita Naturam Divinam fuisse crucifixam somniarunt. Cui postremo errori Lutherus manus dedisse visus est *Lib. de Conciliis par.* 2.; palamque suffragati sunt ejusdem Lutheranæ Sectæ combibones, Musculus, & Schvvnexfeldius, uti multis ostendit Staphilus *Lib. de Concordia Discipulorum Lutheri*.

Ex imprudenti, & inconsulta Hæreseos Eutychianæ confutatione nata est Hæresis Nestoriana. Nempe, ut distinctas in Christo Naturas tuerentur aliqui minus oculati, in extremas partes abiere; duasque in Christo Personas propugnarunt; cum ii minus intelligentiâ assequi possent, quo pacto cum Distinctione Naturarum staret Personæ unitas. Nestorium Patriarcham Constantinopolitanum hujusce Sectæ primipilum varios statuendi, exponendique erroris modos, varios anfractus quæsiisse, nec sibi in aperienda mente perpetuò consensisse scribunt quinti Sæculi Tractatores: quæ omnia minutatim dispungere haud facilè tentaremus; cùm Nestorii Libri ad suum illum cudendum errorem elaborati flammis absumpti sint jubentibus Theodosio, & Valentiniano Imperatoribus Ephesinæ Synodi precibus inclinatis. Id tamen ex Actis Concilii Ephesini, & S. Cyrilli Lucubrationibus colligere licet, Nestorium verba sua ita dexterè composuisse; loquendi rationes, ac modos ita temperasse; ut eum non pauci Catholicum arbitrarentur, dum hæreseos luto hæreret quàm maximè. Unam enim Christi Personam frequentiùs vocitabat; at sub herba latebat anguis; & id nominis sensu prorsus hæretico usurpabat, unam in Christo Personam intelligens, unitate concordiæ, & affectus; non veritate Suppositi; Unam, inquam, Christi Personam dictitabat: primò; propter inhabitationem Personæ Unius in altera: secundò; propter communionem Operationum; quatenus scilicet Persona creata Personæ Divinæ instrumentum esset: tertiò; propter conjunctionem affectus; quòd una alteri per omnia consentiret: quartò; propter communicationem Dignitatis, & honoris Divini, qui Personæ creatæ, tanquam Personæ Divinæ Templo tribueretur.

Jam quo fato ex imprudenti Eutychianæ Hæreseos impugnatione Nestoriana germinavit; ita ex incauta Hæreseos Nestorianæ debellatione Monothelitarum Secta suborta est. Ii nempe, ut unam in Christo Personam adstruerent, Voluntatem unicam somniarunt; & verè utique somniarunt; cùm si tantisper vigilassent, quàm facillimè comperissent, Voluntatem rationalis Naturæ Facultatem esse; atque ita (seposita unius in Christo Persouæ consideratione) tot in Christo Voluntates admitti oportere, quot in eo Naturæ conceduntur. Hujus Erroris primarii Duces extitisse referuntur sæculo septimo Macharius Episcopus Antiochenus, Cyrus Alexandrinus, Sergius Constantinopolitanus; Monothelitæ ex Erroris nomenclatura nuncupati; sonat enim græcè, monon thelima, una voluntas. Quas clades in Ecclesiam intulerit Monothelismus, vel ex hoc uno nosse licet, quod etiam veneranda Cœlo Capita, Romanos Pontifices, si non in apertam protectionem Erroris, saltem in dissimulationem pertraxerit. Unde & in Actis sextæ, ac septimæ Sy-

Synodi Œcumenicæ Honorio Romanæ Sedis Episcopo non secus, ac Sergio, & Cyro, anathema pronunciatum legimus: quod tamen non ita accipiendum venit, ut re ipsa Hæreticus Honorius fuerit, sed Hæreticorum duntaxat (uti particularis Persona) ex imprudentia patronus, ac fautor. Hìc itaque exhibito errorum circa Christum specimine, ad eosdem errores confutandos accedo; & quæ veri Theologi partes sunt, statim suscipio. Primi igitur in ordine confutandi veniunt, qui Christo veram inesse Humanitatem inficiantur; quod quidem brevi in præsenti velitatione perficiam; majorem in cæterorum confutatione operam sequentibus Prælectionibus positurus.

Christo itaque veram inesse Humanitatem, corpus verè humanum, nec cœlesti materia compactum, quadruplici Divinorum Oraculorum genere Ecclesiæ Patres demonstrarunt; quæ hìc non tam referre, quàm indigitare satis erit. Primus eorum Oraculorum Elenchus est, quibus Christus ex Abrahæ, Jacobi, ac Davidis semine prognatus, nec non de Virgine natus, ejusque in utero conceptus dicitur *Genesis cap.* 22.; *Isaiæ* 7.; *Psal.* 131.; *Matth.* 1.; *Lucæ* 1.; *ad Rom.* 1.; *&* 9.; *ad Gal.* 3.; *&* 4.; aliisque sexcentis plus minus locis. Quo pacto enim cœlesti corpore in speciem humanam efformato, non vera humanitate constaret ille, qui ab hominibus genus trahit, quique natus, conceptusque est?

Alter eorum Locorum Elenchus est, quibus Christum humanas affectiones persensisse liquet, ut tristitiam, *Matth.* 26.: *cœpit contristari, & mœstus esse*: pavorem & tædium, *Marci* 14.: *cœpit pavere, & tædere*: famem, *Matth.* 4.: *cum jejunasset .... postea esuriit*: lassitudinem, *Joann.* 4.: *fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem*: quæ omnia neutiquam Christus Dominus persensisset, si sidereo corpore compactus esset.

Tertius eorundem Locorum Elenchus est, quibus Christus humores habuisse perhibetur; ut sanguinem *Lucæ* 22.: *Hic est Calix novum Testamentum in sanguine meo*: Lacrymas, *Lucæ* 19.: *videns Civitatem flevit super illam*: salivam, *Joannis cap.* 9.: *expuit in terram, & fecit lutum*. Ex quibus omnibus liquet, corpus verè humanum, nec cœlesti materia compactum, Christum habuisse.

Quartus eorum demum Locorum est, quibus Christus a mortuis redivivus verum corpus veramque carnem habere se demonstravit; *Lucæ* 24.: *Palpate, & videte: quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere*. Certè corpora siderea carnem, aut ossa non habent. Quare ultimò concludendum, Cerdonianos, Prodianitas, Valentinianos, ac Priscillianistas a Sacris Litteris toto ostio aberrasse; imo & a dilecto Discipulo Anathemate percussos esse, dicente illo, *Epist.* 1. *Cap.* 4.: *Omnis spiritus qui confitetur*

Je-

Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est : & omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est ; & hic est Antichristus.

Hinc nosse licet, quid sibi velint duo illa Scripturæ Loca, quibus ad suum obtrudendum errorem illi abutebantur : Nimirum 1. *ad Cor.* 15.; Ubi Apostolus Adami, & Christi antitheses ponens, *primus homo*, inquit, *de terra, terrenus ; secundus homo de Cœlo, Cœlestis ;* Unde Christi corpus materia cœlesti compactum effutiit Valentinus. Et *ad Philip.* 2. Ubi Christus non tam homo, quàm hominibus similis appellatur : *In similitudinem*, inquit, *hominum factus, & habitu inventus ut homo :* quasi externam tantùm Humanitatis speciem habuisset. Quid hæc, inquam, Loca sibi velint, planum est. Christus siquidem cœlestis Homo dicitur ab Apostolo aut propter Divinam Naturam Cœlo delapsam, aut etiam propter Humanam Naturam cœlesti Spiritus S. Virtute in Virginis Utero formatam : non quòd ex cœlesti materia concretum Corpus haberet. Pariter in similitudinem hominum factus dicitur, absque veræ, & propriæ Humanitatis injuria. Usitata quippe est Scripturæ phrasis, ut id etiam simile alicui nuncupetur, quod naturam, ac substantiam ejusdem cum illo rationis obtinet. Sic *Genesis* 2. de Heva dicitur : *faciamus ei adjutorium simile sibi :* cùm tamen Heva ejusdem cum Adamo Naturæ fuisse nemo ambigat. Sic *Genes. cap.* 5. : *vixit autem Adam centum triginta annis ; & genuit ad imaginem, & similitudinem suam, vocavitque nomen ejus Seth :* qui tamen verus, non secus ac Adam, homo erat. Quidni ergo verus Homo Christus Dominus fuerit, tametsi in similitudinem hominum factus ab Apostolo dicatur? Quod porro subjungit ibidem : *& habitu inventus ut homo ;* ad Scripturæ phrasim alludit ; qua Christi Humanitas *Indumentum*, ac Veluti *Vestis* Divinitatis quadam Analogia nuncupatur ; quia sicuti vestis sine substantiæ hominis mutatione eum induit ; ita Humanitas sine Divinitatis mutatione assumpta est. Hinc *Isaiæ* 63. *quare ergo rubrum est indumentum tuum?* Et initio ejusdem Capitis : *quis est iste, qui venit de Edom tinctis* vestibus de Bosra ? Quæ sunt interrogationes de Humanitate Christi sauciata, proprioque Sanguine in Passione rubricata.

In sequentibus graviorem in Eutychianos concertationem Deo volente, vobisque faventibus auspicabimur.

PRÆ-

PRÆLECTIO II.

Contra Eutychianos duæ in Christo naturæ propugnantur.



Utychianam Hæresim, cujus hesterna luce in antehabita Exercitatione Systema perabsurdum exponebamus, hodierna Prælectione confutaturo id statim occurrit animo, quod à Viris eruditissimis observatum pridem, scriptoque traditum est; nullos tota retro Antiquitate Hæreticos inveniri, qui insana Paradoxa majoribus absurdis implicarint: ut plane in reprobum sensum traditi præ cæteris videantur Eutychiani; non modò sacris Litteris, Patribusque contrarij; verùm etiam primis humanæ Philosophiæ Principiis, ac sibi ipsis palam, aperteque repugnantes. In hoc ergo tota hæc nostra collimabit Exercitatio, ut hoc ipsum de illis meritò adnotatum fuisse demonstremus.

Quod ubi semel in aperto fuerit, nemini dubium erit, Hæresim Eutychianam ab Ecclesia Cátholica meritò proscriptam esse, atque damnatam; quòd unam in Christo Naturam effutirent: Seu id factum vellent Divinitatis, & Humanitatis promiscua confusione; seu alterius Naturæ in alteram conversione.

Ac primò quidem in comperto est apud omnes, Eutychianos Arjanis, ac Valentinianis ex æquo infensos esse: hoc est Eutychianos Æterni Verbi Divinitatem agnovisse contra primos, Christumque vera carne præditum affirmasse contra secundos. Unde & nos ab iis proferendis supersedemus, quæ cumulatè satis attulimus, ut Christum & verum Deum, & verum Hominem probaremus. Tam id in Eutychianos regerere facile est, ut illos sibimetipsis, ac Scripturis repugnantes demonstremus. Si etenim Naturarum in Christo confusio facta est, ut in Humanam Divina conversa sit, jam non Deus, sed Homo purus Christus erit. Et contra: si in Divinam Humana Natura conversa est, jam non Homo, sed Deus duntaxat erit: ac tandem, si commixtio utriusque Naturæ facta dicitur, ut mutata Humanitatis, ac Divinitatis formâ tertium quidpiam coaluerit, uti nonnullis Eutychianis visum est, Christus nec Deus, nec Homo dicendus erit; uti plane corpus humanum, quod quatuor Elementorum commixtione concretum est, nec terram, nec aquam, nec ignem, nec aerem vocitamus; sed quod eorum omnium admixtione coaluit. Adeoque Christi Divinitas, & Humanitas tot Scripturarum Oraculis adversus Arjanos, ac Valenti-

lentinianos assertæ, ab Eutychianis re ipsa exploduntur; quamquam se illas admittere videri velint.

Scio responsuros illos, quod aliàs crambis instar recoctæ reponebant; nimirum in Christo, sin minus post unionem, at saltem ante unionem, duas illas Naturas extitisse. At & hoc scio, nihil insulsum magis obtrudi posse. Quomodo enim in Christo ante unionem duæ illæ Naturæ fuisse dicuntur, cùm ante Naturarum unionem nullus re ipsa Christus esset? Rectissimè itaque S. Leo *in sua Epist. Synodica ad Flavianum* (apud Labbæum Tom. 4. pag. 1226.) in Concilio Chalcedonensi recepta, cùm ea Eutychetis verba retulisset num. 6. : *Confiteor ex duabus Naturis fuisse Dominum nostrum ante adunationem; post adunationem verò unam Naturam confiteor*; eas voces tanquam absurdas, impias, & blasphemas insectatur; miraturque illam loquendi formulam ita fuisse in Eutychetis examine posthabitam, quasi nihil quod offenderet, esset auditum, *cùm tam impie* (subdit SS. Pontifex) *duarum Naturarum ante Incarnationem Unigenitus Dei Filius fuisse dicatur, quàm nefariè, postquam Verbum caro factum est, Natura in eo singularis asseritur.*

Eutychianos non minus erroris revincit, quod sacris in Litteris non semel expressum est; imò quod solo Philosophiæ lumine nobis innotescit; nimirum Divinam Naturam nulli prorsus esse obnoxiam mutationi : *Malach.* 3. : *Ego enim Dominus, & non mutor* : *& Jacobi* 1. *apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Porro Deum sua immutabilitate excidere necesse est, si quod Eutychiani obtrudebant, veritate nititur; Divinitatem scilicet in Humanitatem, aut e contrario Humanitatem in Divinitatem fuisse conversam; aut geminam Naturam in tertium quidpiam coaluisse : fieri quippe non potest, ut nullo pacto mutetur illud, quod in aliud convertitur, aut in quod convertitur aliud.

Nunc verò, si SS. Patres Eutychete antiquiores consulamus, perspectum erit, eum novum in Ecclesiam Portentum intulisse; & a sacra Traditione, quæ alterum Fidei nostræ firmamentum est, toto ostio aberrasse. Non eos hìc Ecclesiæ Patres longo ordine numerabo, qui Christum & verum Deum, & verum Hominem extitisse tradiderunt; quamquam eorum Suffragio Eutychianus error commodè confutetur; cùm ex hoc uno colligere liceat, duas in Christo Naturas secundùm distinctas sui formas extitisse : sed illorum tantùm Suffragium advocabo, qui eam duarum Naturarum commixtionem, confusionemque singulariter oppugnarunt; eoque pacto Eutychianam Hæresim distinctiùs, & apertiùs, antequam Eutyches caput extolleret, confutarunt.

Præ-

Præluxit eo in Cœlo S. Athanasius *in Serm. de Annunciat. Deiparæ* post medium inquiens : *Sanctificata igitur superventu Spiritus Sancti Virgo, & corroborata, & virtute Altissimi gravida eum gestabat, qui ex sua propria Essentia Dei erat Filius pro unica ejus Divinitatis Natura, & gignit eundem incarnatum, & Hominem factum, secundum duarum Naturarum proprietatem : eundemque duplicem, & unum, ex duobus constantem, inconfusè, immutabiliter, atque indivisim credi oportere statuimus.* Tum deinde, nonnullis interjectis : *Deus interim perfectus, & Homo perfectus : unus ratione unius Personæ, duplex tamen Naturâ.* Quæ usque adeo clara sunt, ut nulla nostra commentatione egeant.

S. Basilius *contra Eunomium lib. 1. pag.* 28. nil minùs eliquatè rem conficit : *Nam sicut*, inquit, *formam servi suscepisse, hominis substantiam Dominum suscepisse significat* : sic cùm *in forma Dei esse dicat* (Apostolus) *Divinæ Substantiæ ipsi profectò attestatur proprietatem.* En tibi Naturas secundum proprias sui formas, atque proprietates.

Adstipulatur Gregorius Nazianz. *Orat. in Christi Nativ. Missus quidem est*, inquit, *verùm ut Homo (duplici enim Natura erat).*

Sed luculentiùs, & apertiùs S. Cyrillus Alexandrinus *in Scholiis de Incarn. Unigeniti cap. 24. pag. 74.* : *At verò*, inquit, *in Verbi Natura, & Humanitatis, solam nobis differentiam designat diversitas Naturarum. Unus enim ex utroque intelligitur Christus. Ergo inconfusione, ut ante dixi, servata inhabitasse Verbum ait* (dilectus Apostolus) *in nobis.* Sunt hæc profectò ita nitida contra Eutychianum Errorem, ut mihi mirari subeat, potuisse Errorem illum tam dilucidè, antequam oriretur, exagitari.

Alexandrino dat manus Cyrillus alter Hierosolymitanus *Cathechesi 4. cap. de Christo* inquiens : *neque abalienes a Patre Filium : neque commixtionem faciens* υἱοπατρίαν *Filii Patrisque confusionem quamdam credas.*

Succedit S. Hilarius *lib. 9. de Trinit.* sub initium : *Ipse* (Christus) inquit, *ex unitis in idipsum Naturis, Naturæ utriusque res eadem est ; ita tamen, ut neutro careret in utroque, ne forte Deus esse Homo nascendo desineret, & Homo rursum Deus manendo non esset.*

Claudet agmen S. Ambrosius *libro de Incarnat. Domin. Sacram. cap. 6.* : ubi postquam Arianos exagitavit, in Eutychianos jam caput extollentes sermonem convertit : *Dum hos*, inquit, *redarguimus, emergunt alii, qui Carnem Domini, & Divinitatem dicunt unius esse Naturæ. Quæ tantum sacrilegium Inferna vomuerunt?* Cæteros ætate suppares, aut inferiores mitto lubens ; S. Hieronymum *in Cap. 55.* : *Isaiæ* : S. Augustinum *lib. 1. de Trinit. cap. 7.* : S. Gregorium

gorium Magnum *Lib.* 15. *Moralium in Cap.* 28. Job, *cap.* 52. : S. Leonem Magnum *Epist.* 97. *ad Leonem Augustum*; S. Vigilium *lib.* 5. *contra Eutychetem* : Theodoretum *in Dialogo Inconfusus*; Gelasium *lib. de duabus Naturis*; quos omnes, si vacat, consulere licet.

Meritò ergo uti Novatores, sacrarumque Literarum, ac Divinæ Traditionis desertores Eutychiani proscripti sunt primùm in Concilio Chalcedonensi, quod ad eam Hæresim extirpandam ex instituto coactum est; tum deinceps in Concilio Constantinopolitano II. *Canonibus* 2. 7. 8. 11. : subinde in Sexta Synodo Generali, quæ fuit Constantinopolitana III. *Actione* 4.; ac demum in Concilio Romano sub Martino I. *Actione* 5. *Canonibus* 6. 7. 8. 9. & 10. Ut de Conciliis Nationalibus sileam, inter quæ potissimum recensetur Hispalense II. ex Hispaniæ Præsulibus congregatum *Capite* 13.

Restat, ut in præsentia perpendamus, quid tandem viros acutos moverit, ut tam absonum errorem obtruderent. Qui Divinitatem in Humanitatem conversam in Christo fabulabantur, eo maximè nitebantur argumento, quod *Verbum Caro factum* dicatur, *Joan.* 1. Hinc Verbum in Carnem mutatum colligebant; uti plane dum dicitur *Joan.* 2. : *aquam vinum factam* esse in Cana Galileæ, sensus est, aquam mutatam esse in vinum, non vino unitam.

Minus isto movebantur argumento Ecclesiæ Patres. Quamvis enim dum aqua vinum facta dicitur *Joan.* 2. eadem mutata in vinum intelligatur; consequens non est, ut eadem ubique sit hujusce vocis potestas; idque semper in aliud immutatum intelligatur, quod aliud factum esse dicitur. Quare id certissimè statuendum, vocabulum *factum*, non semper transmutationem denotare unius in alterum; sed quandoque etiam accessionem unius ad alterum sine substantiæ mutatione; ut ferrum candens ignem factum dicimus, formæ substantialis ignis accessione, non ferri in ignem substantiali conversione. Quamquam nolim exemplum illud per omnia ad amussim instituto huic nostro accommodari, quod nullum in Natura exemplum habet.

Cur autem aquam re ipsa in vinum transmutatam colligimus, dum eam vinum factam dixit Evangelista; Verbum tamen nequaquam transmutatum in Carnem existimamus, quamquam illud Carnem factum perinde dixerit? Prima philosophica ratio est; quia aqua est capax conversionis in vinum, præsertim Virtute Divina; Verbum autem, utpote incorruptibile, est incapax conversionis in Carnem. Secunda ex sacris Literis delibata; quia ea subinde addit Evangelista, quæ veram aquæ in vinum transmutationem juvarent; nempe degustasse convivas, & vinum probasse : Contra verò, quæ subjungit Evangelista de Verbo, illud ipsum in sua Natura perstitisse convincunt, solùmque Carni unitum ostendunt : siquidem addit, Verbum

in

in nobis habitasse plenum gratiæ, & veritatis; quod utique minùs veritate niteretur, si conversum esset in Carnem.

Addendum insuper, non unico Scripturæ contextui standum esse, dum phrasis subambigua est, variisque sensibus obnoxia; sed alios pariter consulendos ut mutua contextuum collatione, genuinus sensus expromatur. Jam quod his verbis ambiguis exprimit dilectus Discipulus: *Verbum caro factum est*; nitidis, omnemque difficultatem amoventibus verbis expressit Apostolus *ad Philip.* 2.: *formam servi accipiens*, nempe Humanitatem; & *ad Hebræos* 2.: *semen Abrahæ apprehendit*. Cùm certè non transmutari, sed manere omnino necesse sit eum, qui aliud quidpiam apprehendit, & accipit. Perperam ergo in eo Joan. Evangelistæ testimonio errotis præsidium collocabant Eutychiani.

Ex Patribus nonnulla arrodebant Eutychiani in sui præsidium erroris; atque ex iis maximè, qui ea etate temporum Nestorianam hæresim debellarunt. Cùm enim eodem illo Christiani nominis sæculo duæ Hæreses in extremas partes abeuntes grassarentur; Eutychiani scilicet, qui ut unam in Christo Personam astruerent, Unicam pariter Naturam obtrudebant; Nestoriani vice versa, qui ut Naturarum distinctionem tuerentur, Personarum quoque distinctionem asserebant; utraque errantium pars propitios sibi Patres jactitabat, qui partem alteram oppugnabant. Negotium aliquod facessivit in Concilio Chalcedonensi S. Cyrilli Nestorianorum debellatoris Authoritas, qui in Eutychianos omnino declinasse visus erat. Eustachius enim Episcopus Berytensis *Actione* 1. contestatus est, a Cyrillo Assertum esse, *non oportere in Christo intelligi duas Naturas, sed Unam Naturam Dei Verbi incarnatam*. Nihil tamen ejusmodi quidquam in Cyrilli scriptis inventum est: quanquam si forte reperiretur, id ita intelligendum esse declaravit quinta Synodus Œcumenica, ut duas Naturas Supposito distinctas, ac separatas duntaxat negaverit; quo sensu a Nestorianis, quos Cyrillus exagitabat, asserebantur.

Non paucos etiam Patres in suas partes trahebant Eutychiani, qui Divinitatem cum Humanitate mixtam dictitassent; maximè verò S. Cyprianum *lib. de Varietate Idolorum* dicentem: *Carne Spiritu S. cooperante induitur; Deus cum Homine miscetur*: S. Gregorium Nyssenum *in Oratione de Sancta Christi Nativitate* dicentem, *Deum humanæ se immixtum Naturæ; contemperari humanæ Naturæ*. Non absimilia habet S. Irenæus *lib.* 3. *contra Hæreses cap.* 19.; ubi legitur: *& qui Filius Dei est, Filius Hominis factus est, commixtus Verbo Dei*.

Verùm & illud mixtionis vocabulum anceps est: nec ita a Patribus illis accipitur, ut ab Eutychianis jactabatur. Ecquis enim nesciat, ea etiam mixta vocitari plerumque, quæ consociantur duntaxat, ta-

metsi minimè confundantur. Hinc risum dolori misceri dicimus, dum risus luctui interponitur: hinc Regem populo misceri prædicamus, dum seposita majestate, depositoque supercilio familiariter conversatur. Atque id unum intellexisse Patres certò constat, dum Deum cum Homine mixtum scripserunt; unam scilicet Divinitatis cum Humanitate substantialem unionem, societatemque intellexerunt. Id usque adeo verum est, ut eam etiam *mixtionis* vocem usurparit Leo I. *Serm.* 3. *de Nativit. Christi* (ut legitur in Notis ad eundem Irenæi locum) ita scribens: *nec sic Natura in societatem sui Creatoris est assumpta, ut ille habitator, illa habitaculum esset; sed ita ut Natura alteri altera misceretur.* Porro S. Leonem Eutychetis erroribus summè fuisse infensum, latet neminem. Imo Vigilius ipse *lib.* 1. *contra Eutychetem*, dum eum exagitat, eo utitur *permixtionis* vocabulo inquiens: *quis in tam abruptum erroris baratrum semetipsum injiciat, ut Filium Dei sine sua propria carne, quam in Sacræ Virginis Utero ineffabili Societatis permixtione ita sibimet adunavit, ut Verbum Homo, & Homo Deus, idemque unus, non mutatis Naturarum generibus fieret, neget hodie sedere ad dexteram Patris?*

Opponi & illud fortasse posset, quod in Symbolo, Athanasii nomine volitante, legimus: *sicut Anima rationalis, & Caro unus est Homo; ita Deus, & Homo unus est Christus.* Hinc quippe consequens esse videtur, ut una ex Divinitate, & Humanitate Natura coaluerit; uti ex Carne, & Anima, una in Homine Natura coalescit. Sed festivum profectò fuerit, Eutychianismum hujusce Symboli suffragio juvare velle, a quo tam disertè, tam aperte explosus est. Quid enim in Eutychianos luculentiùs, quàm quod ibidem observamus? *Unus est Christus; unus*, inquam, *non conversione Divinitatis in Carnem, sed Assumptione Humanitatis in Deum: unus omnino, non confusione substantiæ, sed unitate Personæ.* Quæ ergo ibi Animæ rationalis, & Carnis comparatio fertur, ut quo pacto ex iis unus Homo coalescit, ita & ex Divinitate, & Humanitate unus Christus coalescat, ad unius duntaxat in Christo Personæ veritatem adstruendam aptata est, non ad Naturæ singularitatem confirmandam; nisi velimus, Authorem Symboli, quisquis tandem ille sit, sibimetipsi intra duas lineas tam oscitanter repugnasse.

Monstro vobis simillimum erit, quòd ad Hæreseos Eutychianæ defensionem nostris demum temporibus proferatur authoritas Clementis XI. sedentis nunc in Romana Sede Pontificis, quasi hanc ipsam Hæresim apertè tradiderit *in Homilia*, seu *Sermone* 3. *de Christo resurgente*, habito anno 1702. inter media Sacra die sancto Paschæ; ubi loquitur in hæc verba: *Hodie forma Servi reversa est in formam Dei; ac inanitio humilitatis, ad pristinæ altitudinis rediit majestatem.* Qua de caussa a nonnullis Theologis Lovaniensibus Hæreseos Eu-

Eutychianæ insimulatus est. Cùm enim perspectum sit, Clementem XI. iis in verbis : *hodie forma servi reversa est in formam Dei*; alludere ad Oraculum illud Apostoli *ad Philip.* 2. : *qui cum in forma Dei esset, ... semetipsum exinanivit formam servi accipiens*; quod de utraque forma substantiali, seu de Natura ipsa tam Divina, quàm Humana dubio procul intelligitur; existimatum est, Clementem quoque de substantiali forma, seu de Natura servi, nempe Hominis dixisse, eam in substantialem formam, seu Naturam Dei fuisse reversam ; quod sine Eutychiana Hæresi dici non potest.

At quis eam Summi Pontificis mentem fuisse sibi persuadeat, ut Christo Domino resurgente, Humana illius Natura in Divinam reversa seu secundò conversa sit? Esto enim de utraque substantiali forma, seu Natura locutus sit Apostolus *ad Philip.* 2.; Esto pariter ad locum illum Apostoli Clemens alluserit; Nullæ tamen Tropologiæ leges postulant, ut quoties simplex, ac nuda ad aliquod Scripturæ dictum allusio fit, in sermone potissimum oratorio, eodem semper sensu verba, quibus alluditur, accipiantur. Sic itaque potuit Clemens XI. ad Apostoli dictum de substantiali tum Dei, tum Hominis forma alludens, de externa duntaxat, ac velut accidentaria tum Dei, tum Hominis forma perorare; formamque servi in formam Dei reversam dicere; idest, humilem, abjectumque statum Humanitatis Christi Domini in sublimem, & gloriosum Divinitati debitum resurgendo transiisse. Quod quidem eo fidentiùs a Summo Pontifice dici potuit, quod id ipsum iisdem omnino verbis scripserit Author celebris ac perventustus *lib. de Cardinalibus Operibus*, *Serm. de Resurrectione Christi*, inter opera S. Cypriani; ex quo illa Clementis verba excerpta sunt.

Satis hodie contra Eutychianos decertatum : In sequentibus adversus Nestorianos de Christi Personæ unitate disputabimus.



PRÆ-

PRÆLECTIO III.

Contra Nestorianos unica in Christo Persona defenditur.



Estorianus error, qui nobis in præsentia refellendus venit, in eo, si benè meministis, situs erat, quod duplicem in Christo Personam Nestoriani ponerent, Divinam Unam, Humanam alteram; priorem in posteriori velut in templo habitantem; nulloque idcirco Substantiali nexu Unitam. Unde & illud consequens erat, alium prorsus in Christo Dei Filium nuncupari, alium Virginis Matris; hancque ipsam Virginem perperam Deiparam vocitari, quasi quæ Deum minime peperisset, sed hominem tantùm, in quo Deus Singulariter habitaret. Quapropter Nestorianos Matri non secus, ac Filio injurios Ecclesiæ Patres passim appellant: Christum enim iniquè dividentes, Virginem quoque Matrem nobilissimo Deiparæ titulo defraudabant.

Errorem hunc tanto ardentiùs confutandum aggredimur, quanto certiùs nobis est, superesse etiamnum in Germania non paucos, qui illum secundò ex Inferis Suscitarint, Lutheri, atque Calvini vestigia sequuti. Et quidem Lutherus *in concione de Natali Domini*, & Calvinus *Lib. 1. Institut. cap. 13.* inter Personam Filii Dei, & Personam Mediatoris non obscure distinguùnt. Brentius quoque Lutheranus Ubiquista *Libro de Majestate Hominis Christi* Filium Dei in Filio Hominis habitare diserte docet, quasi intersese distinguerentur. Sed & Michael Servetus, dignus tantorum Magistrorum Discipulus, qui illos ipsos erroribus, atque impietate superavit, *lib. 2. de Trinitate* apertè negat, Christum Filium Hominis eumdem esse qui Dei Filius in Sacris Literis appellatur. In hoc igitur erroris Monstrum arma convertimus, ex Scripturis præsertim petita; quibus se stare cùm veteres, tum recentiores Nestoriani gloriantur.

Quinque argumentorum genera huic Errori confutando suppeditat Scriptura Sacra: queis tanquam quinque lapidibus de torrente a Davide selectis Goliathi frontem feriemus. Primum istud esto: Christus juxta Scripturæ phrasim ita Deus, & Homo fuit, ut & Homo ille, qui Christus est, verè ac propriè fuerit Deus; & vicissim Deus ille verè, ac propriè fuerit Homo, nullo inter utrumque discrimine posito. Christus enim de se loquens uti de Homine cum hominibus conversante Deum se, Deique Filium vocat, *Joan. cap. 3. 5. 8. 9.* At nisi secundum unam, eandemque Personam Deus

Deus esset, & Homo; falsæ omnino forent phrases illæ: Ut enim hæc propositio: *Homo est Deus*: sua stet veritate, necesse est, substantialem quamdam identitatem subjectum inter, & prædicatum reperiri, Hominem scilicet, & Deum; cùm nomina Dei, & Hominis substantiam exprimant. Cùm ergo in Christo nulla Deum inter, & Hominem identitas in Natura sit, restat ut substantialis idensitas in Persona reperiatur, aut putidæ falsitàtis assertiones illæ revincantur. Ecquo jure quæso, Deum se vocitasset Homo ille, si re ipsa substantialiter Deus non erat; sed Deum tantùm in semetipso velut in templo habitantem habebat? Ita ne Templum Deus dicitur, aut Deus Templum?

Alterum ex Scripturis desumptum argumentum istud est: Nihil tam sæpe in novi fæderis Instrumento expressum est, quàm Verbum Divinum incarnatum esse, factumque hominem: Non ergo secundum aliam Personam creatam, sed secundum illam ipsam Divinam quæ Verbum & Filius Dei est, Christus est Homo. Ut enim albus non dicitur quis per eam albedinem, quæ in altera persona est, sed per eam, quam in sua ipsius persona habet; ita neque Filius Dei Homo dici, & esse potest per Humanitatem in altera Persona existentem; neque Verbum incarnatum per carnem alterius Personæ. Una ergo in Christo Domino Dei, & Hominis Persona est.

Tertium sic efferri potest: Scriptura ubique de Christo tamquam de una eademque Persona loquitur, singularitatis pronomina de illo ubique usurpat *Ego*, *hic*, *ille*: tam itaque fatuum est, duas in Christo Personas secernere, quàm in quovis altero homine. Imo in eum dilectus Apostolus anathema pronunciat, atque uti Antichristum traducit, qui Christum solvere auderet, *Epist.* 1. *Cath. cap.* 4. *omnis Spiritus*, *qui solvit Jesum*, *ex Deo non est*, *& hic est Antichristus*. Quid ni ergo Nestorium Antichristum vocitemus? Id enim maximè est Christum solvere duarum Naturarum in ipso vinculum tollere, quod est Personæ Unitas. Neque reponere juvat, in Exemplaribus Græcis, quæ modo extànt, nequaquam legi: *qui solvit Jesum*; sed *qui non confitetur Jesum*: fuerunt enim Exemplaria hæc olim ab Hæreticis violata, ut *in Historia tripartita Lib.* 12. *cap.* 4. notatur. Nec verò dubium est, quin olim ita legeretur: *qui solvit Jesum*; cùm ita locum illum in Nestorianos contorserit Leo Magnus *Epist.* 10. *ad Flavianum cap.* 5. quæ in Concilio Chalcedonensi *Actione* 5. probata est.

Quartum momentum sic habet: Scriptura Christum hominem non per adoptionem, ut alios Sanctos, sed longè excellentiori modo Deum, ac Dei Filium vocat: porro si Homo Christus non ob alias rationes Deus Deique Filius diceretur, quàm quas Nestorius

rius assignabat ; nempe quod Deus in illo velut in templo habitaret, omni substantiali unione seposita ; nihil ille præ cæteris Sanctis haberet, eoque Dei titulo nullo potiori jure frueretur; cùm & alii Sancti Dei quoque templa nuncupentur 1. *Corinth. cap.* 3. *Nescitis, quia templum Dei estis?*

Quintum demum sic effertur : Christum Hominem adorandum Scriptura sacra non semel declarat ; *ad Hebræos* 1. : *Cùm iterum introducit primogenitum in Orbem terræ, dicit : & adorent eum Omnes Angeli Dei : Et Psal.* 98. : *Adorate Scabellum pedum ejus*; quo Scabelli nomine Humanitatem Patres pene omnes intelligunt. Cæterùm nisi eadem omnino Persona, quæ Deus est, esset etiam Christus Homo, impiè prorsus eamdem illi, quam Deo tribuimus, adorationem exhiberemus, quantumcumque Dei templum diceretur esse : non enim idem honor templo, qui Deo, debetur. Hocque eo luculentiùs est Argumentum, quod Divinum honorem Christo Homini tribuendum Nestorius ipse fateretur.

Nunc tandem, si Patrum Suffragia, quibus in Anteceessum error ille confutatus est, proferre ex integro velim, eaque etiam advocare, queis hac ipsa, qua prodiit, ætate dejectus est, vereor, ne Patrum catalogum conficere necesse sit. Omnes enim ad unum in hujus Hæreseos confutationem conspirasse video. Legi autem præ cæteris possunt S. Irenæus *lib.* 3. *adversus Hæreses capp.* 16. 17. 18. & 19. S. Cyrillus Hierosolym. *Catechesi* 11. : S. Athanasius *De Incarnatione Verbi contra Samosatenum*, & *Epist. ad Epictetum* circa finem : S. Basilius *lib.* 4. *contra Eunomium* super illa verba *Dominus creavit me*, *Prov.* 8. : S. Gregorius Nazianzenus *Epist.* 1. *ad Cledonium*, quæ est *oratio* 51. : Cyprianus *lib.* 2. *contra Judæos capp.* 8., & 10. S. Hilarius *lib.* 9. *de Trinit. n.* 3. : Sanctus Ambrosius *lib. de Incarn. Dom. Sacram. cap.* 5. : S. Augustinus *lib.* 13. *de Trinit. cap.* 17. : S. Hieronymus *Epist. ad Heldibiam quæst.* 9. S. Gregorius Magnus *Hom.* 16. & 38. Quibus omnibus Scripturarum, & Patrum momentis Ecclesia Catholica innixa Nestorianam Hæresim anathemate proscripsit in Concilio Ephesino Can. 2. & 4. (apud Harduinum pag. 1194. & 1195.) : in Concilio Chalcedonensi *Act.* 5. *in Definitione* post recitatum Constantinopolitanum Symbolum : In Constantinopolitano II. *Can.* 4.: in Lateranensi IV. *Capitulo* 1. *de Fide Catholica* : in Constantinopolitano III. *Act.* 4. : ac tandem in Concilio Hispalensi II. *Capitulo* 13.

Restat in præsentia perpendendum, quid Nestorianos ad suum illum cudendum errorem adduxerit ; ut hinc erroris vanitatem probemus magis ; adeo scilicet futili fundamento nitebantur. Palmare, ut putabant, illud erat, quod ex secundo Joannis Capite desumptum est ;

est; ubi Christus de se ait: *Solvite templum hoc*: hinc scilicet colligebat Nestorius, Deum in Christo tamquam in templo habitasse. Cui Oraculo illud adjici potest ex Epistola 2. ad Corinth. *cap.* 5. petitum: *Deus erat in Christo Mundum reconcilians sibi*; quasi non tam Deus Christus esset, quàm Deus in eo. At id quàm ludicrum esset, nemo non videt. Christus enim non Personam Humanam suam, quæ nulla erat, Divinitatis templum appellabat, sed Humanitatem suam, ubi Divinitas inhabitabat, juxta illud Apostoli *ad Collos.* 2.: *in ipso inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*. Unde & continuò, quasi Nestorianum sensum occupans, Evangelista subjungit: *ille autem dicebat de templo Corporis sui*. Corpus ergo, non Persona templum erat. Pari sensu, dum Deum in Christo fuisse scribit Paulus, de Christi Humanitate, aut Corpore venit intelligendus: vel si forte Christi nomine, in quo Deus fuerit, Personam ejus intelligi velit aliquis, quid vetat, Deum Patrem eo Oraculo designari, qui in Christi Persona erat; ea videlicet mirabili unione, quam in tribus Personis Fides agnoscit, de qua Christus ajebat, *Joan. cap.* 14.: *Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est?* Ut nihil hinc Nestorianis extundere liceat ad suum errorem obtegendum.

Futilius est, quod secundo loco Nestoriani opponebant; multa scilicet de Christo in Evangelio dici, quæ ita Deo conveniunt, ut Homini convenire nequeant; ut quod ante Abraham, imò & ante Orbem conditus esset: alia vice versa quæ ita conveniant Homini, ut Deo convenire non possint; ut quod a Deo desertus esset, dum in Cruce pendulus exclamavit: *Deus Deus meus, quare me dereliquisti?* Unde duas Christo Personas inesse colligebant, ratione quarum, isthæc de eo prædicari possent. Sed & id perperam; cùm abunde Naturarum distinctio sufficiat; per quarum alteram, scilicet Humanam, quæ humana sunt, Christo conveniant; per alteram nempe Divinam, quæ Dei sunt, eidem adjudicentur.

Majoris momenti videtur esse, quod ex Patrum authoritate repeti posset Argumentum, apud quos frequens phrasis occurrit, Deum assumpsisse Hominem, aut Deum cum Homine unitum esse. Ita certè legere est apud S. Cyprianum *libro de Vanitate Idolorum*; S. Hilarium *libro 9. de Trin. cap.* 7.; S. Augustinum *lib. de Agone Christiano cap.* 11., *lib. de Præd. SS. cap.* 15., *lib.* 9. *de Civit. Dei capp.* 17. & 21.; S. Leonem Magnum *epist.* 11. *ad Julianum*; S. Joannem Damascenum *lib.* 3. *de Fide Cap.* 4. Quin etiam in Conciliis Toletanis 1. 6. & 11. Et certè, si rem penitiùs observemus, *Homo* concretum, ut loquuntur Dialectici, nomen est, subjectum unà cum forma significans, atque adeo personam: si ergo Deus assumpsit Hominem, Personam Humanam assumpsisse ne-

cessum est ; atque ita duas in Christo Personas extitisse fatendum erit.

Equidem, si ad exactam Dialecticæ limam phrases suas composuissent laudati Patres, minùs eam loquendi rationem usurpassent; vocabulo quippe *Homo* stricto sensu accepto personam significari, comperta res est. Quocirca Fœlix I. Papa in *Epistola ad Maximum Episcopum, & Clericos Alexandriæ*, quæ in Synodo Chalcedonensi *Actione* 1. laudata est, ita scribit : *Nec enim Hominem assumpsit Dei Filius, ut esset alter præter ipsum : Sed Deus existens perfectus, factus est simul & Homo perfectus incarnatus ex Virgine*. Quibus verbis phrasim illam *Deus assumpsit Hominem* reprobasse videtur. Quare dicendum, Patres illos in Objectione laudatos, misso Dialecticæ rigore, Hominis nomine Naturam realem, ac singularem, non Personam intellexisse. Ne quis verò putet hoc nostrum interpretamentum pro arbitrio confictum esse, ne tot verenda Cœlo Capita Nestorianis concedamus; id unum notare juvat; illos scilicet ipsos, qui phrasim illam frequentiùs usurparunt : *Deus assumpsit Hominem*, in Nestorianos præcipuè depugnasse; Personarumque distinctionem luculentiùs impetiisse. Unus instar omnium sit Augustinus, qui, licet Deum Hominem assumpsisse dixerit locis paulo ante laudatis; nihilominus *lib.* 13. *de Trinit. cap.* 17. : *Sic Deo*, inquit, *conjungi potuit Humana Natura, ut ex duabus substantiis fieret una Persona*. Et *Tract.* 27. *in Joann. Commendavi*, inquit, *charitati vestræ, unam Personam esse Christum, Deum & Hominem, non duas; ne Fides vestra non sit Trinitas, sed Quaternitas*. Ut hinc videatis, non esse cur de ea phrasi a nonnullis Patribus usurpata Nestoriani glorientur.

His ita statutis, & ab Hæreticorum cavillatione vindicatis, consequens est illud alterum, quod perfractè Nestoriani diffitebantur; Virginem scilicet Mariam, Dei Matrem, seu Deiparam nuncupari oportere. Ex quo enim unam Christo Personam asserimus, nempe Divinam, sequitur, Virginem hujusce Personæ Matrem verè dici, & esse; quia concipi, & nasci Personæ tribuitur secundùm naturam, in qua concipitur, atque nascitur : Persona autem Divina concepta, nataque est in Humana Natura ex Virgine; cùm ab ipso Conceptionis diluculo Divinum Verbum Naturam illam assumpserit : atque ita in Concilio Ephesino *canone* 1. sancitum est : *Si quis non confitetur, Emmanuelem verum Deum esse, & ob id sanctam Virginem Deiparam .... anathema sit*. Quam definitionem ex Divinis Literis hausit sacra Synodus, *ad Galatas* 4.: *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere* : si enim Filius Dei ex muliere factus est, mulier igitur Dei Filii Mater est. Et *Lucæ* 1. : *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*.

Ne-

Neque officit, si quis cavilletur, Virginem non genuisse Divinitatem, Christumque non concepisse, ut in Divina Natura subsistit, sed in Humana. Et id quidem certissimum est: at ut Dei Mater vocetur & sit, satis est, ut in Humana Natura Personam genuerit, quæ Deus est. Persona quippe, juxta Philosophiæ decreta, Humanæ generationis est terminus. Id generationis Vulgaris exemplo compertum fit; in qua certè rationalis anima a Matre minimè gignitur; quamquam hæc simpliciter Mater hominis geniti nuncupetur: nemoque adeo ineptus cavillator inventus est, qui mulierem carnis, non item animæ Matrem diceret; hujusque speciosæ distintiunculæ obtentu mulierem hominis ex anima constantis Matrem esse diffiteretur: quia nimirum terminus generationis est homo ex anima, & corpore simul constans. Ita insulsè prorsus, Virginem solius Humanitatis Christi Matrem diceret aliquis; cùm sacræ ejus generationis terminus Persona fuerit ex Humanitate, & Divinitate æquè constans.

Nec itidem officit, si quis dixerit, Divinam Verbi Personam terminum esse generationis æterni Patris ante sæcula peractæ; adeoque alterius generationis in tempore factæ terminum esse nequaquam posse. Reponimus enim, Verbi Divini Personam terminum esse Divinæ generationis prout est in Divina Natura subsistens; at Humanæ generationis terminum esse, ut in creata Natura subsistit. Neque verò repugnat, divinitùs fieri posse, ut idem duplicis actionis generativæ sit terminus, ubi subjectum termini nempe Natura, duplex est, & ordo diversus: sicut minimè repugnat, eundem effectum esse á duplici causa efficiente, ubi caussarum ordo diversus est.

Die proxima Monothelitas, Deo volente, vobisque benignè audientibus, exagitabimus.



PRÆLECTIO IV.

Adversus Monothelitas duplex in Christo Voluntas asseritur, aliaque de duplici Christi appetitu, humanaque Corporis forma expenduntur.



PHilosophos Hæreticorum Patriarchas esse, omnesque a Philosophia natas Hæreses, non semel queritur Tertullianus; quòd eas ætate sua grassari Hæreses cerneret, quæ suum omne ex Philosophia præsidium repetebant. Eam ille, ut opinor, sententiam exuisset, si ea floruisset ætate temporum, qua in Ecclesiam Monothelitæ grassabantur; quorum error non modò a Philosophia prognatus non est; verùm etiam contra Universa Philosophiæ principia, irato velut Aristotele, caput extulit. Cùm enim Eutichianos Monothelitæ velut Hæreticos execrarentur, duasque in Christo Naturas ab iis explosas palam, aperteque prædicarent; Consequens plane erat, ut duas etiam in Christo Voluntates admitterent, si primis Philosophiæ Principiis imbuti fuissent. Quid enim tam tritum, tamque apud Philosophos pervulgatum, quàm Naturam Humanam sine Humana voluntate stare non posse? Quid ipso Philosophiæ lumine tam exploratum, quàm Naturæ Facultates Naturam proximè sequi, eidemque indivulse cohærere? Et tamen, si Superis placet, unicam illi Voluntatem in Christo Domino propugnabant, cùm duas Naturas admitterent. Is ergo primus adversus Monothelitas infamiæ titulus esto, illos naturalis Philosophiæ lumen penitus extinxisse.

Jam verò quantum illi a Sacris Literis, Ecclesiæque Traditione procul abierint, quod Theologici instituti maximum est, aggredimur demonstrandum; ut hoc novo telo impiam Hæresim configamus. Facit ad hoc, quod legimus *Joan. 6.* ubi Christus de se loquens: *Descendi de Cœlo*, inquit, *non ut faciam Voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me. Hæc est autem voluntas ejus, qui misit me, Patris. Et Lucæ 22.: Non mea Voluntas, sed tua fiat*. Quibus liquet, fuisse aliquam in Christo Voluntatem a Patris voluntate distinctam. Cæterùm si Unicam in Christo Divinam voluntatem admitteremus, nullam in eo invenire fas esset a Paterna Voluntate distinctam; cùm certò certiùs sit, Divinam Christi Voluntatem eamdem cum Paterna Voluntate prorsus esse; uti una utriusque Natura est.

A:-

Accedit alterum nil minus in sacris Literis expressum, Christum scilicet Humano Intellectu fuisse præditum: *Matth.* 8. *audiens autem Jesus miratus est.*: Est porro admiratio, ut scitis, intellectus, & quidem Humani affectio; Divino enim nihil creare admirationem potest. *Matth.* 26. *Cœpit contristari, & mœstus esse.* Tristitiam porro Humani Intellectus passionem esse, nemo nescit. Ut quid ergo Voluntatem Humanam Christo negabimus, cui Intellectum Humanum adjudicamus? Sunt enim illæ cognatæ, & indivulsæ potentiæ; quarum neutra sine altera stare potest.

Idem de Anima rationali statuere facile est; ea scilicet Christum Dominum fuisse præditum: *Matth.* 26.: *tristis est Anima mea usque ad mortem; Joan.* 10.: *Animam meam pono pro ovibus meis .... quia ego pono Animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso; & potestatem habeo ponendi eam: & potestatem habeo iterum sumendi eam.*

Quin & hoc ipsum Monothelitæ profitebantur, qui Apollinaristas pro Hæreticis habebant, quòd Christum verâ Animâ præditum negarent, Verbumque Animæ vices obiisse fabularentur. Quis porro sano capite diffiteatur, voluntatem rationalis Animæ facultatem esse; ut tam necesse sit aliquem Animâ, quàm Voluntate exuere?

De Christi Libertate quid moror? non Divinâ modò, sed & Humanâ libertate donatum illum esse, fatebitur quisquis eum meruisse & nobis, & sibi non negaverit: siquidem Divina libertas nulliùs meriti capax est. Neque hoc ipsum Monothelitæ diffitebantur, qui Christum salutem nobis passione sua meruisse dictitabant. Jam, inquio, qua sorte, ad merendum liber fuisset, si nulla Humana Voluntate præditus erat; cùm libertas radicem in Intellectu, sedem in Voluntate positam habeat? Hinc compertum omnibus arbitror, quot secum absurda tulerit Hæresis illa, secundùm quam & meritum, & libertatem, & intellectum, adhuc etiam & Animam Christo negare necessum est.

Non hìc Patres longo ordine percensebo, qui eamdem Hæresim antequam erumperet confutarunt, ne actum reagere videar. Quotquot enim sunt a me appellati, dum Naturarum in Christo distinctionem contra Eutichianos probarem, in hujus quoque erroris confutationem conspirarunt. Quippe qui nedum Naturas, sed & Naturarum affectiones, proprietates, ac potentias geminatas propugnarunt. Quibus Ducibus Agatho Romanæ Ecclesiæ Pontifex *Epistola* 2. *Synodica* Monothelitis Anathema pronunciavit; duasque in Christo Voluntates asseruit. Sexta verò Synodus Œcumenica *Actione* 4. his verbis sententiam tulit: *Unde consequenter, sicut duas Naturas, sive substantias, idest Deitatem, & Humanitatem inconfuse, indivisè, incom-*

commutabiliter, eum habere veraciter confitemur : ita quoque & duas naturales voluntates, & duas naturales operationes habere, utpote perfectum Deum, & perfectum Hominem, unum eumdemque ipsum Dominum Jesum Christum Pietatis nos regula instruit. (Apud Labb. Tom. 7. pag. 710.) Idcirco verò particulas illas indivisè, incommutabiliter Decreto suo inseruit Sacra Synodus, ut varias illas operationes ab una eademque Persona Verbi proficisci significaret.

Videndum amodo, quid suus illis Mercurius aspirarit, ut tam absonum errorem obtruderent. Hoc eis Achillis instar argumentum erat. Si strictо sensu ea accipi oporteret, quæ de duplici Voluntate Christi *Lucæ* 22. & *Matth.* 26. scripta sunt, nedum duas in eo Voluntates admitteremus, sed unam alteri repugnantem : dum enim inquit Christus : *non mea Voluntas, sed tua fiat : non sicut ego volo, sed sicut tu* : non modò duas, sed contrariàs, secumque pugnantes Voluntates satis innuit. Quare ne in illud absurdum impingerent, contrariasque Voluntates Christo affingerent, ea scripturarum Oracula in figuratum sensum miserè detorserunt.

Hoc opus igitur nobis, hic labor est in præsentia, ut ea demonstremus Scripturarum Oracula, tametsi strictо sensu accepta, contrarias in Christo Voluntates nequaquam innuere : quo omnem Monothelitis obtrudendi erroris occasionem eripiamus. Id porro ita conficimus.

Ut Voluntates contrariæ, ac repugnantes intelligantur, necesse est, eas discrepare circa idem eadem ratione consideratum : nam si discrepent circa idem diversa ratione spectatum, certè contrariæ non erunt, ac repugnantes ; cùm etiam una, eademque Voluntas affectibus secundo illo modo discrepantibus agitari possit. Numquid enim unica in Mercatore voluntas est? Et tamen irato Neptuno jactatus merces projicere statuit, ut vitam tueatur ; servare vult, ne lucrum amittat. Porro secundo illo modo, non primo discrepavit Voluntas Humana a Divina in Christo Domino. Alià quippe ratione passionem Voluntas Humana refugiebat, alià Divina passionem optabat. Illa refugiebat, ut naturæ inclinationi adversabatur; ista optabat, quatenus Humanæ saluti, ac Divinæ Justitiæ resarciendæ conferebat.

Idem ergo nolebat, volebatque; sed idem alia, & alia ratione spectatum : idem, inquam, ut schola loquitur, materialiter, non formaliter. Non ergo contrariæ, sed diversæ in Christo Voluntates erant : una, quæ Verbi simul, ac Patris esset, nempe Divina; alia Hominis. Omnibus ergo cachinnis excipiendi veniunt Monothelitæ; qui tam ludicro, tam elumbi fundamento stolidam Hæresim fabricati sunt ; & eliquatissima Scripturarum Oracula, quibus

bus Catholica veritas nititur, vitiarunt. Consultiùs centum quinquaginta Patres in eadem sexta Synodo congregati in Symbolo, quod extat apud (Labb. Tom. 7. pag. 1058.) Act. 18. ita definierunt: *Credimus in unum Deum Patrem .... Et duas naturales Voluntates non contrarias, absit, juxta quod impii asseruerunt Hæretici, sed sequentem ejus humanam voluntatem, & non resistentem vel reluctantem, sed potius & subjectam Divinæ ejus, atque omnipotenti Voluntati.*

Hinc facili interpretamento excipimus, quod habet Augustinus *lib. 2. contra Maxim. cap. 20.: Quamquam & in hoc, quod ait,* non quod ego volo*; aliud se ostendisse voluit, quàm Pater.* Aliud scilicet voluit alia ratione spectatum; quatenus mortem a Patre redimendi Hominis causâ desideratam, tamquam naturali inclinationi contrariam detrectabat; quamquam & illam eodem redimendi Hominis studio æquè vellet, ac Pater: Unde & addebat *: fiat voluntas tua :* disertè verò Isaias *cap. 53. oblatus est*, inquit, *quia ipse voluit.*


Erit fortasse, qui in Monothelitarum gratiam ea ipsa recoquat, quæ in sui patrocinium erroris Apollinaristæ regerebant; Deum scilicet non integram Naturam Humanam suis omnibus facultatibus præditam induisse, sed solam Humanitatis carnem sine Anima, atque ita sine Voluntate, rationali animæ indivulsa. Quod ut obtruderent, illud Joannis Oraculum detorquebant *Evangelii cap. 1.*: *Verbum Caro factum est :* quasi nudam Carnem a Verbo assumptam dilectus Discipulus innuisset; Verbum verò Animæ vices obiisset. Sed illos in Scripturis peregrinos esse oporteat, qui vim aliquam ea in vocula facere velint; cùm nihil frequentiùs in Scripturis occurrat, quàm Homo integer Carnis nomine designatus: *Genesis 6. : Omnis Caro corruperat viam suam : Lucæ cap. 3. Videbit omnis Caro salutare Dei* : Roman. cap. 3. *Non justificabitur omnis Caro coram illo* : aliisque sexcentis plus minus locis; ubi Carnis nomine totus, & integer Homo significatur.

His ita constitutis, consequens est, ut omnes in Christo Humanæ Naturæ partes, & appetitus ad Naturæ integritatem attinentes summo consensu statuamus. De appetitu irascibili, atque concupiscibili a nonnullis difficultatem moveri video; quasi quid in eis pravitatis esset, quod Christo adscribere scelus est. Sed illos horum appetituum naturam minùs novisse certum est. Appetitus siquidem irascibilis nomine non eum intelligimus, qui judicio, ac rationi prævalet, sed eum, qui ad ardua feratur, prælucente rationis dictamine: si etenim secus agat, non appetitus naturæ, sed vitium est: hinc Regius Vates *irascimini*, inquit, *& nolite peccare :* satis his verbis innuens, justam ali-

aliquam iram esse posse; illam scilicet, quæ contra malum, contra peccatum inardescat. Ac re ipsa quidem sacro zelo, justâque irâ accensus Christus flagellum è funiculis fecit, & negotiatores templo exegit. Non absimiliter nomine appetitus concupiscibilis non ille statim venit in mentem, qui excusso rationis jugo, laxis habenis in delectabilia propendit, ac fertur: is etenim ex originali peccato fructicavit; sed is intelligendus est, qui sensibilia ratione dirigente consectatur. Hinc Doctor Angelicus 1. 2. *quæst.* 85. *art.* 3. *ad* 3. *Concupiscentia*, inquit, *in tantum est naturalis homini, in quantum subditur Rationi: quod autem excedat limites Rationis, hoc est Homini contra Naturam*. Nihil ergo vetat hunc appetitum Christo tribuere; iis tamen defectibus amotis, quos ex originali peccato derivatos esse certissimum est; non ex ipsa Hominis Natura proficisci: Nam & Adamum originali Innocentiâ præditum eo quoque appetitu valuisse, nemo hactenus inficiari ausus est.

De Humani Corporis partibus nihil vacat hic dicere: nullus etenim fuit, qui Christum aliqua parte minutum commentus sit. De vultus venustate moveri quæstio posset, si veterum Patrum authoritatem cum speciosa recentium quorumdam pietate committere velim. Etenim veterum Patrum sententia fuit, Christum ex facie decorum, ac formosum minimè fuisse: S. Irenæi *Lib.* 4. *adversus Hæreses cap.* 33.: Tertulliani *Lib.* 3. *contra Marcionem cap.* 14.: Clementis Alexandrini *Lib.* 3. *Pedagogi cap.* 1.: Basilii *Hom. in Psalm.* 34. ad vers: *speciosus forma præ Filiis Hominum*: Theodoretis in Psal. 44.; S. Isidori Pelusiotæ lib. 3. Epist. 130.; Cassiodoris in Psalmum 44.; Augustini in Psalm. 43. 103. & tract. 9. in epist. 1. Joannis; D. Thomæ in psal. 44., & in caput 53. Isaiæ. Unde & illud Psal. 44. Oraculum: *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis*: illudque: *Specie tua, & pulchritudine tua intende, prosperè, procede, & regna*, de spirituali dumtaxat Animæ pulchritudine intelligendum summo consensu SS. Patres definiunt: nec immeritò; de ea quippe pulchritudine loquitur Regius Vates, cujus merito æternam benedictionem Christus obtinuit: *Speciosus forma*, inquit, *præ filiis hominum; diffusa est gratia in labiis tuis; propterea benedixit te Deus in æternum*. Ita Veteres, ita Patres. Non desunt tamen hac ætate temporum, qui Sententiæ tot Sanctorum Patrum adstipulatione munitæ genuinum sensum frangant; grandeque facinus, ac morte piandum putent, si quis Christum facie venustum, formosumque negaverit: quasi id inficiari, impium esset. Pietatem laudo; sed velim maximè secundum scientiam esse. Interea id affirmare non dubitarim, ingentis levitatis esse, ne quid

quid pejus dicam, Sententias a Patribus summo consensu propugnatas uti pietati adversas sugillare : cum ii non minus Pietatis ac Religionis, quàm Doctrinæ Magistri fuerint. Quin etiam opto, ut qui speciosæ pietatis obtentu melius aliquid sentire sibi putant, quod Christi Dignitatem, ac Majestatem magis deceat, tantâ in Christum pietate, ac religione ferveant, quanta exarserunt Ecclesiæ Patres; tamque gratum Christo obsequium exhibeant, ac illi exhibuisse perhibentur. Hactenus contra Fidei, ac Religionis hostes pugnavimus. Tempus est, ut & in illos arma vertamus, quos Angelico Præceptori, ejusque Scholæ adversarios in hac, de qua agimus, Divinæ Incarnationis materia experiri dolemus. Erit hoc subsequentium Dissertationum amplissimum argumentum, uti ab initio promisimus.



DISPUTATIO TERTIA.

Adversus Angelicæ Scholæ Adversarios.

PRÆLECTIO PRIMA.

Sepofita redimendi hominis, juftæque fatisfactionis exigendæ voluntate, nulla fuit Incarnationis neceffitas.



Uod in Republica optime conftituta fervari folitum monet Julius Cæfar in Commentariis; ut fcilicet primùm hoftiles exterarum Gentium impetus diffipet; tum verò civium contentiones, mothus, ac rixas amicè componat; id ego in Theologicis Tractationibus factitare foleo; atque in ifta; qua verfor in præfentiarum, de Deo Homine commentatione exequi pro viribus adnitor. In Judæos Incarnationis Myfterium tollentes ex integro, nec non in Hæreticos ejufdem integritatem minuentes, aut deturpantes majeftatem, hactenus arma convertimus; illofque, uti profeffos Chriftianæ Reipublicæ hoftes exagitavimus. Jam tandem in eos ftudium omne, curamque conferimus, qui in ipfo Catholicæ Ecclefiæ finu pofiti mutuis fecum rixis, & contentionibus committuntur. Quamquam enim ii Chriftianæ Fidei fummam non lædant; fed contra fartam illam, tectamque in omnibus velint; minùs tamen probari a nobis poteft, fi in agitandis Fidei proximis controverfiis, minus rectâ, tritâque viâ inceſferint aliqui; & ab Angelico Præceptore, cui nos ftudia confecravimus, procul abierint.

In Scholæ itaque controverfias de Deo Homine inter Theologos agitatas ingredimur hodie: ut poftquam Ecclefiæ Fidem in tuto pofuimus, Angelicæ Scholæ afferta ab illius oforibus vindicemus. Neque tamen, dum id aggredimur ullus nobis eft animus, fingula minutatim difpungere, quæ a quibufdam fupinis Theologaftris, fuo, Lectorumque otio plus nimio abutentibus difputantur, fed ea ex omnibus feligemus; quæ veri nominis Theologos deceant; quæque ad exactam Theologiæ limam juxta Divinas Scripturas, & Traditiones exigi facilè poffint. Ecquis enim mihi non

non æquè succenseat, si Theologos de trivio imitatus inanium argutiarum supellectilem, queis Sacram Doctrinam fœdè, ac turpiter inquinarunt, in hoc limen intulerim? Si quæstiones futiles, ac inanes, vix dignas lucubrationibus anicularum agitarim? Si buccis typho crepantibus, quasi alta de tripode Mysteria revelaturus disputaverim, num Deus Materiæ primæ uniri possit? Num accidenti? Num naturam rationis experrem assumere quiverit? An medio nexu, glutineque aliquo ambæ in Christo Naturæ coaluerint? Num Deus priùs totum, quàm partes assumpserit? An humores etiam fœdi, corporisque purgamenta ad Hypostaticæ Unionis dignitatem evecta sint? Aliasque id genus nugas, quas tanto illi supercilio consectantur. Hoccine nos Theologiam appellabimus? An non veriùs nugacem, audacemque Dialecticam, de rebus sacris stultè, atque inaniter delirantem?

Iis ergo procul ablegatis sordentium Scholarum purgamentis, dignas sacro consessu, dignas Theologo, dignas Deo controversias æmulabimur; missaque argutiarum farragine, qua sacram Doctrinam in profanam Dialecticam transformarunt Recentiores bene multi, veri nominis Theologiam commentabimur Scripturis, Conciliis, ac Patribus nixam. Si quid verò ratione delibabimus, ita sobriè, ac temperanter res agetur, ut nec Philosophiam plus æquo luxuriari patiamur, nec famulam dominari nobis, aut jura ponere permittamus.

Prima itaque de Incarnationis Necessitate controversia ad examen veniat; num videlicet Deum Hominem fieri necesse fuerit? qua in re ita sine mora pronuncio: si rem per se se spectemus, ac seposita redimendi hominis, justæque satisfactionis exigendæ Voluntate, Deus nulla necessitate factus est Homo.

Ita sane Scripturæ docent, secundum quas uni Dei Voluntati, Misericordiæ, Charitati tribuitur, quod carnem induerit: adeoque omnis ab eo necessitas procul fuit: *Joan. 3.: Sic enim Deus dilexit Mundum, ut Filium suum Unigenitum daret: ut omnis, qui credit in illum, non pereat, sed habeat, Vitam æternam: ad Rom. 5.: Commendat autem Charitatem suam Deus in nobis: quoniam cum adbuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est: ad Ephes. 2.: Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam Charitatem suam, qua dilexit nos, & cùm essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo*. Charitatis igitur, non necessitatis opus Incarnatio fuit.

Suffragantur Ecclesiæ Patres, qui hoc ipsum dogma ex divinis Literis eruerunt, validisque rationibus confirmarunt. Horum Cho-

rum ducit S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* 2. *in Pascha*; Ubi cùm docuisset, Deum Patrem Redemptionis nostræ pretium a Christo Domino suscepisse, addit e vestigio: *Non tamen quod petierit, aut eo opus habuerit, verùm propter consilium, & administrationem, & quia per humanitatem a Deo assumptam Homini sanctitatem afferri oportebat.*

Sequitur Augustinus lib. de Agone Christiano cap. 11. *sunt*, inquit, *Stulti, qui dicunt, non poterat aliter Sapientia Dei homines liberare, nisi susciperet Hominem, & nasceretur de fœmina, & a peccatoribus omnia illa pateretur? Quibus dicimus, poterat omnino, sed si aliter faceret, similiter vestræ stultitiæ displiceret.* Hominem igitur alio pacto liberare Deus poterat, Augustino judice.

Eidem hac parte concinit Leo Magnus *Sermone* 2. *de Nativit. Christi*: *Verax*, inquit, *Misericordia Dei, cùm ad reparandum Humanum Genus, ineffabiliter ei multa suppeterent, hanc potissimum consulendi viam elegit, qua ad destruendum opus Diaboli, non virtute uteretur Potentiæ, sed ratione Justitiæ.* Si porro multæ aliæ reparandi hominis rationes suppetebant, nulla itaque fuit carnis assumendæ necessitas.

Claudit Agmen Gregorius cognomento Magnus *lib.* 20. *mor. cap.* 36. *cùm posset*, inquit, *nobis etiam non moriendo concurrere, subvenire tamen moriendo hominibus voluit.* Et infra paucis interjectis: *An non in Divinitatis suæ divitiis, nobis invisibilis permanens, miris nos potuit virtutibus ditare? Sed ut ad internas divitias rediret homo, foras apparere dignatus est pauper Deus.*

Ex iis Patrum Oraculis ratio eliquatissima petitur, quæ controversiam istam totam facilè dirimat. Si etenim Deus aliis miris modis liberare hominem potuit, quæ illum amabò necessitas adigebat, ut & Homo ipsemet fieret?

Quinam porro miri illi modi fuerint, quibus liberare hominem potuerit, si quis rogitet, indicabo. Primò offensam gratis dimittere Deus poterat, nullo sibi pretio exsoluto. Eccur enim Deus summè bonus id ex intimo Misericordiæ sensu præstare non posset, quod homo nequam interdum factitat, debita liberaliter relaxando? Secundò, si omnino gratis laxare debitum Deus nollet, eam saltem satisfactionem accipere ab homine potuisset, quæ non totam, sed aliquantulam debiti partem exhauriret. Nulla etenim creditorem necessitas, nulla lex adigit, ut integram debiti solutionem exposcat: Sed cedere de jure suo potest; maximè ubi debitorem solvendo imparem novit. Quæ omnia brevi complexus est D. Athanasius *Orat.* 3. *contra Arianos*: *Poterat etiam*, inquit, *si-*

ne

ne ullo adventu Christi, solummodo loqui Deus, & solvere maledictionem.

Sed & quid illa moramur? Fac si lubet, si libet, hominem non alio pacto liberari a peccato posse, quàm obita Dei Hominis Redemptione: Necdum illico consequens esset, Deum fieri Hominem debuisse: cùm captivum hominem, & peccatis onustum, & debitis gravatum deserere, nullaque libertate donare potuisset. Annon enim ita se in peccatorem hominem gerere Deus potuit, uti se in Angelos gessit, quos suo sordere delicto perenniter voluit? An fortè redimi Homo meruit? Annon potiùs deseri, uti desertus est Angelus? Nulla itaque ad eum redimendum necessitate Deus factus est Homo. Hanc rationem tetigisse videtur Sapiens *cap.* 12.; dum in Deum converso Sermone ita fatur: *Quis tibi imputabit, si perierint Nationes, quas tu fecisti? Non enim est alius Deus, quàm Tu.* Satis videlicet innuens, Deo succensere neminem posse, si universum hominum Genus suo sordere peccato permisisset: Cùm id vel solo supremi Dominii jure, ac titulo posset.

Hinc facilè colligas, quid sibi velint Ecclesiæ Patres, Cyrillus Alexand. *lib.* 5. *Thes. cap.* 7.; S. Athanasius *Oratione de Incarnat. Verbi* pag. 59. & 60.; ac demum D. Anselmus *Lib.* 1. *Cur Deus Homo cap.* 4.: qui necessariam hominis a peccato liberationem ostendunt, ne Dei opus sua perfectione minutum, & Originali culpa detritum remaneret. Necessitatem scilicet intelligunt non stricti juris, sed congrui; quæ Deum non adigat, sed invitet, majoris decoris, dignitatisque gratiâ. Eccur enim, si rem summo jure pensare velimus, cur, inquam, qui Angelum æternæ Sapientiæ opus absolutissimum sua perfectione minutum, peccatoque inquinatum occulto, justoque judicio dimisit, hominem pari pede pulsare non poterat; eodemque damnationis vinculo irretitum relinquere? Quæ ergo de Homine aliter quàm de Angelo statuendi necessitas dicitur, decentis, ac congrui juris est; non stricti, & absoluti. Cujus quidem rationem Patres indigitant; quòd Homo præ Angelo venia dignior esset, tum ob Tentatoris astutiam, qua turpiter lusus est; tum ob minora Innocentiæ custodiendæ præsidia ab Deo Conditore suscepta; quibus sanè multis eum titulis Angelus præcellebat.

Sed erit, qui contra statutam veritatem argutetur hoc pacto: Iniquum prorsus est offensam sine justa compensatione dimittere: sic enim inultum impunitumque crimen esset. Hominis ergo peccatum gratìs a Deo dimitti non potuit; atque ita necesse fuit, Deum ipsum Hominem fieri, qui dignam solutionem exsolveret.

Id

Id nos perfractè negamus, si de supremo Judice sermo fiat, ad quem præsertim offensa pertinuit, quique ab delinquente singulariter læsus est. Is etenim debitam pœnam condonare supremâ, qua valet, authoritate potest; nullique injuriam irrogat. Quid enim tam liberum, quàm de jure suo cedere, remque sibi debitam non exigere; præsertim si rationes magni momenti præstò sint, quibus ad debitum relaxandum invitetur Judex: qualis forte esset Clementiæ, ac Misericordiæ exercendæ gloria; qua nihil Deo dignius excogitari a quoquam potest? Quamquam ergo ex ea justæ compensationis exigendæ ratione inferre liceat, decere quàm maximè, atque congruere Incarnationis Mysterium, quo uno justa pœna solvi Deo potuit; nemo tamen inde colliget, Deum absoluta necessitate adactum esse, ut vel justam ab homine pœnam sumeret, vel humanam peccati eluendi caussâ Naturam assumeret.

Nec alio certè sensu intelligendi veniunt nonnulli Ecclesiastici superiorum temporum Tractatores; qui Christi Redemptoris satisfactionem necessariam profitentur, ne Deus justi Judicis officio deesset. Vel enim de necessitate non absoluta, sed hypothetica sermonem habent; ut nempe Christi Salvatoris satisfactio necessaria supponatur, si dignam delicto pœnam exigere Deus velit, uti re ipsa voluisse certum est; vel necessitatis nomine prudentem, magisque Divinæ Sapientiæ congruentem legem appellant; quam *necessitatem secundum quid* Theologi de Schola vocitare solent. Neque enim suboriri dubitatio potest, quin & Deo, & Humanæ Naturæ congruerit magis: Deo, inquam; quia justa delictorum pœna a Christo Domino persoluta Justitiæ vindicis partes sartas, tectasque servavit; novæque in hominem Charitatis, ac Misericordiæ genus explicuit: Homini; quia debitum tributum exsolvisse jam dicitur, ex quo illud Deus Homo factus obita morte persolvit.

Reponet forte nonnemo, Deum necessariò factum Hominem, sin minus salvandi, ac redimendi hominis necessitate; saltem novæ gloriæ obtinendæ titulo: nam & Filius factus Homo novam a Deo Patre sortitus est gloriam; ipseque etiam Deus Pater novum gloriæ cumulum ex Filii Humanitate suscepit. Cæterùm cum parta utrique gloria adventitia duntaxat, externa, atque, ut Schola loquitur, accidentaria solùm fuerit; nulla sanè ad eam sibi eo titulo comparandam necessitate ducebatur, satis superque congenita, sibi gloriâ felix, nulliusque novi nominis, aut tituli cupidus.

Hodie velitum more leviùs depugnavimus; quòd illud nobis obtigerit disputationis argumentum, quod a nemine Theo-

lo-

logorum clari nominis vertatur in dubium. Ampliorem nobis dicendi materiem ministrabit controversia die crastina resolvenda: Num saltem ad exhibendam Deo dignam pro peccatis hominum solutionem ita necesse fuerit, Deum Hominem fieri, ut hominum nemo quibuslibet gratiæ donis ornatus satisfacere Deo, injuriamque importatam resarcire potuerit? Quod Deo favente in sequenti prælectione præstabimus.



PRÆ-

PRÆLECTIO II.

Divinæ Justitiæ condignam satisfactionem pro importata per peccatum injuria a puro homine exhiberi minime potuisse; sed hoc ab homine Deo duntaxat præstandum esse, asseritur, propugnatur.



ULLA Deum necessitate ductum, ut Homo fieret, hesterna luce dicebamus; quòd tunc rem totam per sese, & ex propriis meritis pensaremus. At nova jam rerum facies inducitur, ubi sacra æternæ Justitiæ Consilia introspicimus, quibus dignum sibi admissi delicti pensum exsolvi voluit; dignam importatæ injuriæ pœnam dari. Hinc etenim sumendæ carnis orta Deo necessitas, ut quam exsolvere pœnam purus homo non posset, solveret Homo Deus. Est hoc Angelicæ Scholæ dogma, verè Angelicum contra Subtile. Pugnant utrinque docta capita, utriusque palestræ dictatores. Utri digniùs de Deo sentiant, sensaque sua ad exactos veræ Theologiæ canones veriùs exigant, expendere nostrarum hìc partium arbitramur.

Et certè, tametsi is ego non essem, qui dato Angelicæ Scholæ nomine, meam placitis ejus fidem Sacramento obligarim; in hanc tamen sententiam velis, ac remis accederem ob id unum, quòd scripturis, ac Patribus ita consentiat, ut nulla magis. Ecquid enim inculcatum sæpius, frequentiùs confirmatum, quàm purum hominem, quibuslibet gratiæ donis cumulatum, dignum Divinæ Majestati pensum ad sua, alienaque delicta exhaurienda, rependere nequivisse; & in unius Dei Hominis potestate fuisse, ut justam vice nostra pœnam exsolveret?

Totus in hoc statuendum dogma incumbit Gentium Apostolus, *cap. 3. ad Rom.* Ubi postquam universos homines ad salutem consequendam minus sufficientes ex Sacrarum Scripturarum Oraculis demonstravit, ad Christum subinde sermonem convertit, tamquam solus ille condignum Patri munus obtulerit, justumque nostrarum noxarum pensum fuso cruore persolverit: *Quem proposuit*, inquit, *Deus propitiationem per fidem in Sanguine ipsius, ad ostensionem Justitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum, in Sustentatione Dei, ad ostensionem Justitiæ ejus in hoc tempore.*

Apertiùs verò, semotisque ambagibus Ecclesiæ Patres in hoc idem dogma conspirant. Una enim illorum vox est, non aliter po-

potuisse homines liberari, & peccatorum reatu abstergi, quàm per eum, qui Deus simul, & Homo esset. Quod non nisi de liberatione ex condigna delicti Solutione profecta intelligi posse, planùm est : cùm aliàs gratuita condonatione, nudaque relaxatione liberari absolutè homo potuerit ; uti hesterna luce commentabamur.

Ita plane D. Athanasius *lib. de Incarn. Verbi : Cujus Opera*, inquit, *ad recuperandam istam* (gratiam) *requirebatur, nisi solius Verbi, quod ab initio omnia ex nihilo condiderat ? Ejus enim fuit, id quod corruptibile erat, iterum ad incorruptibilitatem reducere : & pro omnibus id, quod æquum, rationique consentaneum erat, Patri præstare. Et Oratione 2. contra Arjanos : si enim Dominus*, inquit, *Homo factus non fuisset, numquam nos a peccatis vindicati ex mortuis resurrexissemus*. Quibus Verbis uni Homini Deo liberandi hominis potestatem asserit ; justique pro delictis nostris pretii persolvendi.

Subscribit S. Basilius cognomento Magnus, sacrum illud *Psal.*48. Dictum expendens : *non dabit* (homo) *Deo placationem suam, & pretium redemptionis animæ suæ :* Unde ita colligit S. Doctor : *Neque enim fratrem in redemptionem quærit, sed unum aliquem, qui nostram exsuperet naturam. Non item hominem nudum, sed hominem Deum Jesum Christum, qui solus pro nobis omnibus Deo propitiationem dare potest*. Quæ usque adeo aperta sunt, ut nulla nostra commentatione sit opus.

Suffragatur & S. Ambrosius *in Psalm.*48. super illa verba *Frater non redimit, redimet homo : Quia sicut unus Deus*, inquit, *ita & unus Mediator Dei, & Hominum Homo Christus Jesus. Ipse est solus, qui redimet Hominem, vincens pietate germanos; quia pro alienis sanguinem suum fudit, quem nemo potest offerre pro fratre :*

Quibus gemina sunt, quæ Augustinus *in Enchiridio ad Laurentium cap.*108. habet, ut probet, neminem posse in homine gloriari : Id enim usque adeo verum esse contendit, ut ne in Christo quidem gloriari aliquis posset, nisi & ipse Deus esset : cujus rei hanc e vestigio rationem subjungit : *Nam neque per ipsum liberaremur unum Mediatorem Dei & hominum hominem Jesum Christum, nisi esset & Deus*. Quo spectat etiam pervulgata illa Leonis Magni Sententia, quam Sacris supplicationibus insertam Ecclesia voluit, ex I. Sermone in Christi Natale : *Nisi enim esset verus Deus, non adferret remedium : nisi verus esset Homo, non præberet exemplum*. Ut hinc plane liqueat, satisfactionem integram, debitoque condignam non nisi ab Deo Homine persolvi potuisse.

Neque verò abstrusiora Scripturarum Mysteria rimari Patribus opus erat, ut in hanc Sententiam communi calculo conspirarent: cui statuendæ vel ipsa sola humana Ratio communibus Fidei principiis imbuta sufficeret. Quid enim condignæ satisfactionis nomine venit in mentem, nisi ea, quæ illatæ injuriæ plenè respondeat, tantumque dignitatis læsæ Personæ restituat, quantum abstulit injuria irrogata? At quantalibet gratia donetur homo, nunquam exhibita satisfactio irrogatæ Deo injuriæ respondebit, ejusque læsam Majestatem resarcire ex integro poterit. Seu etenim illata Deo per peccatum injuria infinitæ simpliciter gravitatis esse existimetur, uti Theologis sanioribus visum est: seu ad eam infinitatem prope tantùm accedat, uti aliis probatur magis; nudi hominis satisfactionem semper excedet; utpote modis omnibus finitam, & exilibus humanæ conditionis limitibus circumseptam.

Illud enim verò injuriam inter, & satisfactionem discriminis interest; quod prior gravitatem ex læsæ personæ Majestate sortiatur; altera ex satisfacientis excellentiâ crescat, aut ex ejusdem vilitate minuatur. Rem in exemplo ponamus: da virum de plebe, qui Principem verbo lædat; tantò gravior injuria reputabitur, quantò Princeps tabernarium, & caprimungum antecellit: cùm tamen vice versa, si vilis ille homuncio importatam injuriam voluerit resarcire, eò vilior satisfactio censebitur, quanto is comparatione Principis vilescit, atque sordescit. Sic ergo cum Deus hominem infinitis titulis antecellat, tantum injuria Deo ab homine importata, ex læsa Majestate gravitatis habebit, quantum satisfactio Deo ab homine rependenda ex satisfacientis abjectione & humilitate vilescit. Quo fit ut nudus homo parem importatæ injuriæ satisfactionem Deo rependere nunquam possit.

Rationem hanc subministrat Doctor Angelicus 3. *par. quæst.* 1. *art.* 2. *ad* 2. inquiens: *Peccatum contra Deum commissum quamdam infinitatem habet ex infinitate Divinæ majestatis: tantò enim offensa est gravior, quantò major est ille, in quem delinquitur. Unde oportuit ad condignam satisfactionem, ut actus satisfacientis haberet efficaciam infinitam, utpote Dei, & Hominis existens.*

Hinc elisum manet adversæ partis fundamentum: ita quippe videntur sibi pro more subtiliter disputare: Qui tantum læsæ Personæ restituit, quantum abstulit, is ex æquo satisfacit: porro, subjungunt, homo per actum Charitatis tantum Deo restituit, quantum peccando abstulerat; cum Supremi Domini, ac Finis ultimi titulum, quem peccando abstulerat, amando resarciat: is ergo Deo Maximo satisfacere ex æquo potest.

Hoc,

Hoc, inquam, in antecessum elisum est Argumentum. Nedum enim in referenda satisfactione sat est, ut quis rem ablatam ex integro restituat; sed ut injuriam insuper furto importatam plenè resarciat: aliàs restitutio nuda erit, non satisfactio. Fac exempli caussà, virum de fœce Regi mille aureos suffurari: Is non illico injuriæ satisfecisse reputabitur, si totidem restituerit, nisi latam injuriam insuper resarserit. Sic ergo peccator Deo ex æquo satisfecisse non reputatur, quamquam redivivâ Charitate illam ipsam Supremi Domini dignitatem, quam ei peccando sustulerat, restituerit: quia necdum, resarto, ut ita dixerim, furto, injuria resarcitur. Idque multiplici de caussa.

Primò: quia licèt amando se Deo subdat, cujus Imperium peccando excusserat; atrocior tamen Deo fuit ea Divini Imperii detrectatio, quàm honorifica illi esse possit ejusdem Imperii recognitio. Secundò: quia dum Divino Imperio paret homo, non deprimitur, non de jure aliquo cedit, sed officium suum implet: nec minùs illum Deo subesse oporteret, tametsi nihil in eum peccasset unquam; ejusque majestatem nec leviter offendisset. Cùm tamen contra, Deus hominis injuriâ læsus multum sui juris, ac dignitatis amiserit, si non physicè, quoad moralem saltem æstimationem.

Non absimiliter elisa corruit altera eorundem de schola subtili Theologorum Machina, qua hominem solvendæ satisfactioni parem eo præsertim momento nituntur ostendere, quòd peccatum infinitæ, ut ajunt, simpliciter gravitatis non sit. In quam rem varia Patrum, ac potissimùm D. Thomæ momenta congerunt; rationes perinde Theologicas, ac Philosophicas addensant. Sed demus id, ut libet ut lubet, tametsi oppidò falsum existimem; demus, inquam, peccatum offensam Deo non importare simpliciter infinitam; nequaquam tamen hominem eidem resarciendæ parem esse concederemus: cùm & id aliunde certò constaret, injuriæ gravitatem satisfactionis valorem longè admodum superare; utpote quæ eadem mensurâ crescat, qua minuitur ista; tantòque gravior ex Divinæ Majestatis excellentia censeatur injuria, quantò ex creatæ conditionis vilitate minor satisfactio reputatur. Quocumque ergo se vertant, Angelicæ rationis vim non elidunt.

At inquiunt: Quamquam homo ingenitis corruptæ Naturæ viribus, ac nativæ sorti commissus vilior sit, quàm ut Deo satisfaciat; ex quo tamen Gratiæ sanctificantis munere donatus in Divinæ Naturæ consortium assurgit, exutaque Vilitate, Dei consors effectus est, quidni tunc æquum Divinæ Offensæ pensum exhibeat? Sed & id jejunum nimis, & elumbe est. Fac enim hominem uberrimâ,

quantùm libuerit, Gratiâ perfundi, in Dei Benevolentiam, Regnumque transferri; nunquam tamen indivulsam Creaturæ conditionem exuet: fac illum Gratiâ Deum esse, Naturâ certè nunquam erit. Atque hinc duo ista, quæ paulò antea memorabam, necessariò consequentur: primum; obsequium ab eo Deo præstitum satisfactionis titulo, tantum Deo honoris non allaturum; quantum injuriæ attulit Divini Imperii detrectatio peccato mortali penitus indivulsa: secundum; hominem nihil obsequii præstare Deo Optimo posse, quod ei infinitis aliunde titulis rependi non debeat. Quæ duo satisfactionis condignitatem plus satis enervant.


Numquid ergo, repones, Deo nos bonis Operibus non satisfacimus, justumque noxarum nostrarum pensum exsolvimus? Id si negemus, in Calvini errorem dilabimur. Ita plane. At non ex ipsis bonis Operibus merita, ut e penu nostro proficiscuntur; sed a Christi satisfactione cumulantur. *Sanguis Jesu Christi, Filii ejus*, ut habetur 1. *Joan. cap. 1. emundat nos ab omni peccato*. In eo, ac per eum satisfacimus, a quo fructus digni pœnitentiæ vim obtinent. Is vitis est, nos sumus palmites. Quare si is factus non esset Homo, nostrorumque delictorum pœnas nequaquam suo sanguine persolvisset, satis in sese virium non haberent hominum merita, ut Deo integrè satisfacerent.

His ita constitutis, facilè quisquis intelliget, quid de altera admodum affini controversia pronunciandum: num homo nudus Deo dignè pro alterius noxa satisfacere queat? Cùm enim minus homini pro altero supplicanti concedatur, quàm si pro semetipso preces offerat; nemo non videt, multò minùs pro altero satisfacturum illum, quem dignæ pro semetipso satisfactioni offerendæ imparem demonstravimus.

Scio dicturos aliquos, posse quempiam a Deo cæterorum hominum caput, principemque constitui, uti planè Protoparentem constituerat ea lege, ut Gratiam membris promereri possit. Bene id sanè: Verùm quid inde ad dignam pro aliis satisfactionem exhibendam? Minus enim ad meritum, quàm ad satisfactionem desiderari notum est; quia satisfactio in gravibus offensis æqualitatem læsum inter, & satisfacientem expostulat; meritum contra subjectionem merentis exigit; satisque illi est, si moralem quamdam æqualitatem inter opus meritorium, & præmium præseferat: quæ sanè inter opera hominis, Capitis dignitate ornati, gratiamque membris demerendam intercederet. Uti plane Dux strenuus heroico facinore gratiam alteri læsæ Majestatis reo promereri ab Rege potest; minimè tamen satisfacere, Regique importatæ injuriæ gravitatem condigna satisfactione diluere. Quamquam non desint primi subsellii Theologi, qui fieri posse negant,

ut quis ita cæterorum hominum Caput constitui a Deo possit, ut gratiam illis post lapsum valeat promereri: Quia ad Gratiam post lapsum alteri demerendam, tanti esse meriti debet homo, quantæ gravitatis esse supponitur injuria irrogata; quod puræ Creaturæ accidere neutiquam posse, satis hactenus demonstravimus.

Jam qualis, quantaque fuerit Dei facti Hominis satisfactio, quærendum incumbit. Erit id proximæ Exercitationis Argumentum amplissimum.



PRÆ-

PRÆLECTIO III.

Christi Domini pro hominum noxis Deo exhibitam satisfactionem non solùm æquam, sed superabundantem, moralique æstimatione simpliciter infinitam fuisse demonstratur.



Uantum humanæ facultatis tenuitatem hesterna luce depressimus, ut eam digno noxarum, penso Divinæ Justitiæ persolvendo imparem probaremus; tantum hodie Christi Virtutem, ac Meritum commendabimus; qui quod tenuitas nostra non poterat, cumulatissimè resarsit. Non morabor hic scrupulosiùs varias de Christi satisfactione Theologorum opinationes. Præmonere hic satis erit, cum Schola subtili rem nobis esse; quæ minus, judicio quidem nostro, Christi Servatoris Merito, Virtutique videtur tribuere. Hæc etenim, ut paucis exponam, Scoto, ejusque discipulis inhæsit opinio, Christi satisfactionem æterno Patri pro delictis hominum exsolutam, minus suapte virtute, congenitoque valore suffecisse; sed una Patris acceptatione, qui eâ se contentum exhibuit, illamque pro nutu suo ratam habuit. Adversis contra vestigiis incedit Angelica Schola, digniùsque Christi dignitati consultum vult. Quocirca satisfactionem ab eo pro noxis hominum exsolutam, non modò externo Dei acceptantis favore, grataque ratihabitione sufficientem existimat; sed & ipsâ quoque internâ, congenitâque dignitate, atque valore: quin imò, non æquum duntaxat a Christo solutum pensum profitetur; verùm & superabundans, ac morali æstimatione simpliciter, ut Schola loquitur, infinitum. Utri meliùs sentiant, perpendamus.

Scripturam si consulamus (uti profectò consulere necesse est, si volumus esse Theologi, ut debemus) adstipulantem Scholæ Thomisticæ reperiemus. Tantum enim abest, ut solutionis a Christo datæ valorem, & ἐνέργειαν, ex libera Dei eamdem ratam habentis acceptatione repetat, ut contra potius id totum ex ejusdem congenitis meritis, iisque altiùs, ac sublimiùs exaggeratis perpetuò derivet. Hinc copiosam Redemptionem Regius Vates appellat *Psal.* 129. *Apud Dominum Misericordia: & copiosa apud eum Redemptio.* Superabundantem vocat Apostolus *ad Rom.* 5.: *Ubi autem abundavit delictum, superabundavit Gratia.* Et eodem capite paulò ante dixerat: *sed non sicut delictum, ita & Donum. Si enim unius delicto multi mortui sunt: multò magis Gratia Dei,*

& Donum, in Gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit. Excedentem nuncupat Lucas Evangelii sui *cap. 9.* : *& dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem*. Cùm contra, nisi verbis abuti lubeat, diminutam Redemptionem, tenuatam Gratiam, decurtatam Passionem veriùs appellaveris, si interna illi satisfaciendi ex æquo energia non inerat, & ab externa Dei dignatione, valoris defectus Suppleri debuit. Quid etiam, quòd Christi Satisfactionem emptionis titulo frequentius indigitant Sacri Codices? 1. *Cor. 6.* : *Empti estis pretio magno* : 2. *Petri* 2. : *Eum, qui emit eos, Dominum negant* : *Apoc.* 14. : *Et cantabant quasi canticum novum..... qui empti sunt de terra* : cùm tamen ea emptionis ratio sit, ut æqua, parique solutione fiat; aliàs non emptio, sed largitio verius appellabitur.

Luculentius difficultatem omnem absolvit Apostolus *ad Hebræos cap.* 10., ubi Sacrificia veteris Legis cum Crucis Christi Sacrificio conferens, veterum Victimarum inefficaciam, Novæqne in ara Crucis oblatæ vim, atque energiam ostendit: *Impossibile enim est Sanguine taurorum, & hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens mundum dicit: hostiam & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi*. Porro si externa duntaxat acceptatione Dei, Christi Sacrificium exhauriendi peccati virtutem habuit, non ingenito valore, et energia, nihil hac sua antithesi confecisset Apostolus, cùm ipsa quoque veteris Legis Sacrificia externa Dei acceptatione delendi peccati efficaciam obtinere potuissent. Facit hic maximè Jobi patientis exemplum, quem Patres universi, uti Christi in Cruce morientis typum exhibent. Quid etenim est, quod cruciatus suos in statera unâ cum delictis appensos graviores reputandos affirmabat? Nisi quia Christi cruciatus, cujus ille nomine loquebatur, delictorum nostrorum gravitatem excederent. Nostra quippe delicta Christus sua dicit, quia hæc in se sumpsit, factus pro nobis maledictum, ut ait Job cap. *6.*, Ut nos inveniremur Justitia Dei in ipso: *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui: & calamitas, quam patior, in statera. Quasi arena maris hæc gravior appareret*. Et erit post hac, qui effutiat pensum a Christo Domino persolutum minus suopte merito, ingenitoque valore delictis hominum extitisse? Absit.

Quid vero, si Patrum Chorum appellem? Una illorum vox est, una sententia, plus Christum passum esse, quàm delicta hominum postularent; pensum ultra, quàm jus exigeret, persolvisse; chariùs humanum genus redemisse, quàm decernerent juris apices: ut plane ima summis miscere videantur, qui ingenitum, internumque Dominicæ Passionis Meritum infra nostrorum scelerum gravitatem demittunt. Augustinus vel quisquis sit author Serm. 153. de

de Passione Domini 4. in Appendice pag. 268. *Tom. 5. Indubitanter enim credimus, quod totum mundum redemit, qui plus dedit, quàm totus mundus valeret. Meritum enim redemptæ mercedis dignitas insignis pretii supergressa est. Inter Redemptum, & Redimentem dispensatio fuit, compensatio non fuit.* Leo Magnus *Sermone 12. de Passione:* Effuso Christi Sanguine *validius factum est donum libertatis, quàm debitum servitutis. Et Serm. 1. de Ascensione Domini: ampliora adepti per ineffabilem Christi Gratiam, quam per Diaboli amiseramus invidiam.*

Quamquam non est, cur Patrum oracula diligentiùs congeramus; a quibus in antecessum præjudicata res est, dum de agitata nudius tertius controversia pronunciarunt. Cùm enim nudum hominem solvendæ condignæ satisfactioni imparem judicarint, necessariamque Dei Hominis Solutionem idcirco dixerint, consequens profectò est, Dei Hominis Solutionem ex intimis meritis parem delictis eluendis extitisse; nec externa duntaxat Dei Patris acceptatione suffecisse: Nam & hoc pacto, externâ nimirum ratihabitione, nudi hominis pensum potuisse sufficere, nemo negat; nec ipsi quidem Scotistæ diffitentur; qui idem de Christo, ac de nudo homine (quantum ad satisfactionis sufficientiam attinet) pronuntiant, atque definiunt. Quod an ferendum, probandumque sit, æqui bonique viderint.

Mihi quidem controversiam hanc totam diremisse videtur Clemens VI. *in Extravaganti Unigenitus de pœnitentiis, & remissionibus;* Ubi exertè decernit, *modicam guttam Christi Sanguinis, propter Unionem ad Verbum suffecisse pro redemptione totius humani Generis.*

Certè si redimendi humani generis sufficientia, quæ vel uni Christi Sanguinis guttulæ inerat, ex ipsa ejus cum Divino Verbo Unione proficiscitur, ex ingenita igitur dignitate, atque valore vim totam obtinet Christi Domini satisfactio; non ab externa Dei satisfactionem ratam habentis acceptatione, atque favore.

Atque hinc quidem efficacissima ratio petitur, qua statuta veritas ineluctabiliter demonstratur. Illam enim Satisfactionem ex ingenitis, propriisque meritis condignam, imo superabundantem vocitamus, cujus valor morali existimatione gravitatem offensæ non æquat modò, verùm etiam exsuperat: Porro Christi Domini Satisfactio Offensæ Deo illatæ gravitatem morali æstimatione non æquat modò, verùm etiam exsuperat: enim verò illatæ offensæ gravitas inde oritur, quòd Deo illata sit; Satisfactio verò Christi ipsius Dei Satisfactio censetur. At Dignitas Personæ satisfacientis plus valoris, ac pretii in actum Satisfactionis transfundit, quàm ex Dignitate læsæ Personæ offensa ipsa gravitatis induat, & malitiæ: prior

prior enim intimiùs Satisfactionis actum ingreditur; quia ab ipsa Persona, ut ab interno, proprioque principio necessariò progerminat.

Quocirca eos perperam cavillari videas, qui ut Christi Satisfactionis æqualitatem inficientur, peccati infinitatem exaggerant. Sit etenim, uti volunt, Infinitam peccati gravitatem ponamus, ut libet: Christi Satisfactionem nihilosecius abundantem, atque exuberantem nullo negotio conficiemus hac vel una demonstratione Theologica. Gravitas offensæ mortalis oritur ex ejus unione morali cum Divina Majestate læsa; valor autem Satisfactionis Christi petitur ex unione physica Verbi Divini cum ipsa Humanitate actum Satisfactionis elicientis; sic enim in Satisfactionis meritum influit. Porro valor ex unione physica, ac r ali progerminans excedit prudenti æstimatione offensæ gravitatem ex unione duntaxat morali sobolescentem: Christi igitur Satisfactio mortalis peccati gravitatem excedit, tametsi hæc infinita simpliciter afferatur: cum aliàs nemo non videat, intimiorem conjunctioremque habitudinem versari inter Operationem, & Operantem; quàm inter peccatum, & eum, in quem peccatum admissum est; quandoquidem intimiùs actus principio suo conjungitur, quàm objecto.

His nixa fundamentis, altiùs erigitur Angelica Schola: nec modò Christi Satisfactionem abundantem, atque exuberantem agnoscit; verùm etiam simpliciter, ut Schola loquitur, infinitam. Quo etenim major est Personæ satisfacientis Dignitas, ac Majestas, eo major est Satisfactio: Satisfactio quippe honoris, ac reverentiæ exhibitione perficitur; quæ sanè eo major, digniorque reputatur, quo altior est Persona ipsa reverentiam, atque obsequium exhibens. Quis porro neget, Christi Personæ Dignitatem, ac Majestatem esse simpliciter infinitam?

Audio quid subtilis Scholæ proceres reponere soleant: nimirum, Christi Personam, utpote Divinam, infinitam Dignitatem ejusdem Satisfactioni allaturam, si ipsa per sese nullo finito accedente medio satisfaceret: Verùm cùm hæc nonnisi Humanâ Naturâ mediâ satisfaciat, præpeditur, ac veluti coercetur, ne Dignitatem infinitam Satisfactioni communicet.

Cæterùm non advertunt Viri alioquin subtilissimi, principium, quo medio suos actus exerit Divina Christi Persona, entitatem duntaxat actuum elicere; totam nihilominus Dignitatem ab una Persona integrè derivari; atque idcirco inde fieri, ut perfectionem quidem physicam infinitam, obstante videlicet Humanitate, habere actus illi non possint; tametsi merito moraliter infinito perfruantur. Porro nos non aliam, nisi moralem infinitatem Christi Satisfactioni adjudicamus.

Facit in hanc rem Clementis VI. Definitio paulò ante laudata

in Extravaganti Unigenitus. Postquam enim is modicam Christi Sanguinis guttam ob ejus cum Divina Persona unionem universo hominum Generi redimendo parem asseruit; tum subinde ad sacrum Ecclesiæ Thesaurum, qui potissimè ex Christi Meritis coalescit, gressum faciens subjungit: *non esse de illius consumptione, aut minutione aliquatenus formidandum, propter infinita merita Christi.* At si hæc simpliciter, ut Schola loquitur, infinita non esset, timeri profectò posset, ne peccatorum nostrorum multitudine tandem aliquando exhauriretur Sacer ille Ecclesiæ Thesaurus.

Frustra verò reponas, satis esse, si Christi Merita secundum quid infinita supponantur, ut infinità peccatorum multitudine Ecclesiæ Thesaurus exhauriri non possit; utpote quia, nonnisi potentia, ac successione, infinita peccatorum multitudo esse potest. Id, inquam, frustra reponas. Cùm etenim Theologi Divinam Omnipotentiam inde simpliciter infinitam ostendant, quòd ad creaturas in infinitum producendas extendi possit, tametsi illæ non nisi potentia, ac successione infinitæ supponantur; Christi quoque Meritum iufinitum simpliciter rectè dicimus vel ob id unum, quòd infinita peccatorum multitudine exhauriri non possit, ex Clementis VI. sententia.

Interea tamen, dum Christi actiones, quibus pro noxis hominum satisfecit, infiniti esse meriti propugnamus, non eo protendimus, ut putemus, Christi actiones universas infinito gaudere merito. Uti enim in Rege actus aliquos esse novimus, quos ex Regis conditione non edit, sed communi cæterorum hominum sorte; exempli causà comedere, dormire, deambulare; qui nil magis in eo dignitatis obtinent, quàm in Rustico; ita in Christo duo actionum genera cautè secernimus; alias, quas instar cæterorum hominum, atque etiam animalium fortè, exerebat; alias ex Dei Hominis, Hominumque Redemptoris conditione profectas; ut Obedientiæ, Humilitatis, Religionis, Gratitudinis actus, aliosque id genus, quibus Servatoris Officium adimplevit. Priores infinito merito gaudere nequaquam contendimus; nisi forte ratione motivi, ac finis: Posterioribus infiniti meriti Dignitatem arrogamus ex Verbi Divini, unde prodibant, Excellentia sobolescentibus; hasque solas esse contendimus, quas Theandricas, hoc est, Dei vel viriles Vulgus appellat.

Reliquum est, ut adversæ partis momentis satisfiat. Erit hoc proximæ Prælectionis argumentum.

PRÆ-

PRÆLECTIO IV.

Satis fit adversæ partis fundamentis.



CHristi Domini satisfactionem altius in Scripturis, ac Patribus pro meritis exaggeratam hesterna luce demonstravimus, ut eam exhauriendis Hominum noxis suopte valore, ingenitaque virtute parem abundantemque probaremus; nec sola Patris acceptatione, & externa ratihabitione sufficientem ostenderemus. Eos nunc ad audientiam admittimus, qui plus æquo Christi meritis a nobis tributum existimant; pensumque ab illo pro noxis Hominum persolutum minus ex se se, ingenitaque dignitate sufficiens dictitare non erubescunt. Quid contra nos, statutamque a nobis doctrinam congerant, perpendamus.

Ac primò quidem, (quod observari, ne dicam lugeri, ab omnibus velim) nihil illi ex Scripturis, ac Patribus in medium proferunt, quo nobis ora subliniant; sed suum omne ex Dialecticæ, prophanæque Philosophiæ tendiculis præsidium accersunt; ut inanibus captiunculis nos alligent; & cornua, si id quidem permittimus, nobis affigant. Ecquid ergo? Numquam ne Theologiam profitentibus Theologos esse licebit? desertisque sacræ Doctrinæ Canonibus, Scripturis scilicet, Patribusque, ad argutias, futilesque quisquilias continuò provocabimur? quasi de Christo, nonnisi ex Aristotele liceat disputare? Sunt hæc nostrorum temporum fata. Theologiam in Dialecticam transformatam lugemus, querimurque quotquot sanas literas, & bonam mentem amamus. Si quis enim dogma Catholicum ex Scripturis, Patribus, atque Conciliis defloraruerit; si ex Venerandæ Antiquitatis ærario asserta sua petierit, confirmarit, communierit; is otiosus commentator ab Auditoribus reputatur; ac veluti Magistellus tantùm non in culinam detruditur. Si quis contra, missis Scripturis, ac Pattibus rancidam argutiolam ex Dialecticæ spineto in medium tulerit; deque altissimis Fidei Christianæ Mysteriis, de quibus nec per somnium Philosophi cogitarunt, de Philosophorum latrina protervè garrierit; is tanquam Cœlum digito moverit, aut Herculis cothurnum induerit, acclamatur ab omnibus. Oh! Sic itur ad astra, papæ, & delicium musarum, & magnum Jovis incrementum? Et hic tamen, si rectè calculum ponimus, uti prophanus, procul a Theologiæ sacris submovendus; alter velut Antistes summo solio collocandus.

Hic nugacissimus argutator ; ille solidissimus Ecclesiæ Fideique defensor.

Verùm ne videamur inania tela formidare ; quas illi de Schola Dialectica cantilenas occentant, auscultemus ; & quidquid eis adversus Christi Merita suus Aristoteles aspirarit, expendamus.

Hoc primo nos ariete pulsant : Si Christus æquam, imò etiam exuberantem pro noxis Hominum solutionem obtulit, frustra nova a nobis satisfactio petitur ; utpote pro quibus integrum pensum a Fidejussore persolutum est. Porro a nobis nova satisfactio petitur : non ergo Christus integrè satisfecit.

Dignam profectò viris Catholicis argutationem. Eo ipso principio usos Calvinistas, ac Lutheranos in aperto est ; nisi quod ii alia via suum iter aggressi, aliud ex jacto principio colligerent. Ita quippe argutabantur : Si Christus æquam, imò etiam exuberantem pro noxis Hominum solutionem obtulit, frustra nova ab nobis satisfactio petitur : at Christus cumulatissimè solvit ; frustra igitur nova a nobis satisfactio postulatur. En novam ejusdem capitis caudam ; idem tamen caput. Hoc itaque falsum, hoc ineptum, hoc ridiculum, frustra a nobis satisfactionem novam postulatum iri, si Christus satisfecit ex integro. Quia non ideo adjungenda venit hominum satisfactio, ut satisfactionis a Christo exhibitæ defectum suppleat ; id enim ne piæ quidem aures ferre possunt ; sed ut generalem Christi Domini satisfactionem sibi ipsis specialiter applicent. Sicut ergo nulla fit injuria dolori, quo Christus pro peccatis nostris afflictus est, & lacrymis, quas pro illorum remissione fudit, tametsi contritio, & lacrymæ pænitentium ad expianda delicta necessariæ asserantur ; nec ulla fit injuria orationibus Christi, licèt orationibus nostris sit opus ad remissionem peccatorum, Divinaque Beneficia impetranda ; ita nulla fit injuria satisfactioni Christi, quantumvis cumulatissima censeatur, etsi satisfactio nostra ad Deum placandum, jure Divino Necessaria prædicetur.

Eo contuso telo, aliud regerunt, ut Christi satisfactionis valorem ingenitum, peccatorum gravitati imparem probent. Offensa, inquiunt viri subtiles, irrogatur Deo, ut Deus est ; at Christus non ut Deus satisfecit, sed ut Homo ; non igitur satisfecit ex æquo. Verùm quod subsumitur, falsum est, Christum satisfecisse, ut Hominem ; satisfecit enim ut Deus Homo. Cùm ergo Christus, ut Deus Homo tantæ sit Dignitatis, ac Deus solâ propriâ Naturà subsistens ; utpote qui assumptæ Humanitatis accessu nihil Majestatis amisit ; infinitæ Dignitatis satisfactionem obtulit Deo Patri.

Reponunt illi, Christi satisfactionem non ita Deo placere, ac illi offensa displiceat ; quod ita sibi videntur subtiliter demonstra-

ſtrare. Chriſti ſatisfactio non tantum Deo placet, quantum illi ſua ipſius Bonitas placeat: at offenſa tantum Deo diſplicet, quantum ei ſua Bonitas placet; cùm enim offenſa, quantum poteſt, Dei Bonitatem deſtruere conetur, tantum ei diſplicere neceſſe eſt, quantum placet iſta. Verùm in fumum tota illa ſubtilitas abit, ſi vel id unum attenderis; offenſam ſcilicet non phyſicè, ac realiter Divinam Bonitatem deſtruere, ſed affectu tantùm, moraliter, ac ſecùndùm prudentum æſtimationem: e contra Divina Bonitas non moraliter tantùm, ſed realiter, phyſiceque infinita eſt. Quare tametſi Deus offenſam impensè habeat odio, execreturque quàm maximè; minus tamen hæc illi diſplicet, quàm ſua illi Bonitas placeat.

Pergunt acuti homines: Si Deus per impoſſibile Deum offenderet, Chriſti Domini ſatisfactio, ut ut maximè hujus offenſæ gravitatem æquaret; utraque enim & Dei, & ad Deum eſſet: at gravitas offenſæ Deo per Creaturam irrogatæ major eſt gravitate offenſæ quæ Deo ab altero Deo irrogaretur: ejus quippe gravitas creſcit ex vilitate Perſonæ offendentis: Chriſti itaque ſatisfactio gravitatem offenſæ Deo ab Homine irrogatæ non æquat. Subtiliter quidem excogitatum iſtud eſt: at aſſumpta propoſitio laborat æquivoco: Gravitas enim offenſæ Deo per crearuram irrogatæ extenſivè quidem, ut Schola loquitur major eſt gravitate offenſæ quæ Deo ab altero Deo irrogaretur; non intenſivè. Cum enim offenſa irrogata Deo ab altero Deo, ratione Perſonæ offenſæ, in ratione injuriæ infinita eſſet, eminenter, ſeu æquivalenter omnem gravitatem poſſibilem contineret: atque adeo offenſa Deo per creaturam irrogata ob vilitatem offendentis majorem gravitatem non intenſivè, ſed extenſivè ſortiretur. Quemadmodum perfectiones creaturarum Deo additæ quid perfectius intenſivè non faciunt; quia Dei perfectio infinita ſupponitur; etſi fortè extenſivè quid perfectius facere ſuppponerentur. Quamquam tamen, ut fatear quod res eſt, nihil illis argumentis tribuendum, quæ nedum falſâ, ſed & impoſſibili, atque inſulſa hypotheſi adnituntur. Quid verò magis inſulſum, quàm Deum comminiſci, qui alterum Deum offendat?

Ea ſtatione, utpote iniquiori, pulſi nonnulli, aliò confugiunt, ut Chriſti Satisfactionem, ſin minus æquam, ſaltem abundantem, atque infinitam inficientur. Enim verò, inquiunt iſti, ſi Chriſti Satisfactio excedit gravitatem offenſæ, injuſtè eam Deus poſtulavit in ſolutionem delictorum: Perſona enim offenſa ſatisfactionem irrogatæ injuriæ parem duntaxat exigere poteſt, non excedentem. Quibus reponimus è veſtigio, Deum æquam tantùm Satisfactionem a Chriſto Domino exegiſſe; nihil amplius per ſeſe, ac ſummo ju-

re

re postulasse; sed ex accidenti tantùm evenisse, ut Satisfactio Christi abundaret, ratione Dignitatis Personæ satisfacientis, quæ æqualis satisfactionis duntaxat capax esse non potest. Eo plane modo, quo dicimus, veniale peccatum æterna pœna dignum non esse; per accidens tamen æterna in Inferis pœna plecti, quia in Persona æternis cruciatibus propter mortale peccatum addicta reperitur.

Sed hæc levia sunt, si cum iis conferantur, quæ ad Christi Satisfactionis infinitatem oppugnandam suis passim commentationibus procuderunt. Alii hoc paralogismo pugnant: Christi Merita satisfactoria quadam justa compensatione, præmioque exhauriri possunt: Non sunt igitur infinita. Id verò hoc pacto probant. Si Pater Æternus intuitu Meriti Christi Carnem sumeret, justa profectò compensatione, præmioque exhauriretur: Præmium enim æqualis valoris obtineret. At non advertunt subtiles Disputatores, non eam esse infiniti Meriti conditionem, ut nullo præmio etiam infinito compensari possit; sed ut nullo finito præmio exhauriatur. Incarnatio porrò Patris, si fieret Christi Meritorum intuitu, præmium infinitum censeretur; nihilque idcirco mirum, si Christi Meritum exhauriret. Res exemplo liquescit: Potentia Generativa Patris Æterni infinita profectò est; & hæc tamen Generatione Verbi ita plenè exhauritur, ut repugnet prorsus, alterum ab eo Filium generari. Quid ergo mirum, si Christi Domini Merita infinito accepto præmio exhaurirentur? Aut quid inde ad ejus infinitatem enervandam consequens esset?

Alii rem sibi videntur expeditiùs conficere, Christique Meritorum infinitatem solidiùs oppugnare, dum ajunt: Rem non censeri simpliciter infinitam, si ex duobus coalescat, quorum unum duntaxat infinitum sit, alterum verò finitum: quo jure corpus illud infinitum non esse censeretur, cujus longitudo foret infinita, si ejus fortasse profunditas finita duntaxat esset: At Satisfactio Christi, inquiunt, constat etiam ex valore a Gratia habituali petito, quæ simpliciter infinita non est: Non est itaque Satisfactio simpliciter infinita, licet valor a Persona Verbi petitus censeretur infinitus. Et id rursus nullo negotio diluitur. Quamquam enim res non censeatur simpliciter infinita, si ex duobus coalescat, quorum unum duntaxat infinitum est, alterum verò finitum, dum ea finita pars in infinita non continetur; secus tamen se res habet, si finita pars in infinita contineatur. Jam certò certiùs est, in Merito Christi valorem ex habituali Gratia, aliisque Capitibus orientem in eo eminenter contineri, qui ex Verbi Unione proficiscitur. Ecquis verò dicat, infinitum ex finiti accessione sua infinitate defraudari?

Sed inquiunt: Persona Verbi non tribuebat Valorem Christi Ope-

Operibus, nisi ut Unita Humanitati : At ut unita Humanitati nonnisi Valorem finitum tribuere poterat; quia non infinito, sed finito modo Humanitati conjuncta erat : Non itaque valor infinitus ex infinita Christi Persona derivatur. Id verò exemplo ex Visione beatifica petito adstruere sibi putant. Licèt enim, inquiunt, Essentia Divina in ratione speciei intelligibilis infinita sit ; quia tamen finito modo, & juxta mensuram Luminis Gloriæ intellectui beato conjungitur, illum non determinat, nec potentem reddit ad Visionem infinitam eliciendam.

Sed & id minùs feliciter excogitatum. Quamquam enim Persona Divina valorem in Christi Domini Opera non transfundat, nisi quatenus Humanæ Naturæ conjungitur unione quidem finita, ac limitata; nihil tamen id obest, quominus valorem infinitum transfundat. Quia unio hæc instar conditionis duntaxat est ; Conditio verò finita infinitatem formæ moralis impedire non potest. Quocirca minus appositum est exemplum ex Visione beatifica desumptum : Quia Lumen Gloriæ, juxta cujus mensuram Essentia Divina intellectui creato unitur in Patria, non nuda conditio reputatur, ad Deum videndum desiderata ; sed ratio propria videndi. Addi etiam ad Solutionis cumulum potest, unionem Humanæ Naturæ ad Verbum, sin minus physicè, saltem moraliter esse infinitam ; cùm Humanitas infinitè ex ea Unione sanctificetur.

Jam verò, si ad ea incommoda, quæ ex Christi Satisfactionis infinitate derivari Scotistæ putant, animum intendamus ; vereor ne turpiùs hoc ipso ex Capite causâ decidant. Quod enim illud est, quod nobis obtrudunt : si Christi Satisfactio infinita esset, consequens foret, ut unico primo actu totius Humani Generis debitum persolvisset : Id scilicet incommodum ii putant, quod nos uti certissimum propugnamus ; quodque Ecclesiæ Patres sexcentis plus minus locis affirmant. Neque enim obest, quod illi reponunt, Humani Generis Redemptionem non unico primo actui a Patribus tribui, sed obitæ Morti, & toleratæ Passioni. Duo enim in Christi Satisfactione secernenda veniunt ; quantitas pretii persoluti, & deputatio, seu ordinatio solventis. Quantitatem pretii vel unico primò actu solutam dicimus, Patribus ita firmiter statuentibus : Verùm quia Christus gloriæ Patris promovendæ cupidus, majorisque erga homines Amoris exhibendi zelo permotus non singularem aliquem actum ad cumulatam Humani Generis Redemptionem voluit deputare ; sed omnes in universum ad Mortem usque ad Redemptionem nostram ordinavit ; inde factum, ut completa Humani Generis Liberatio, perfectaque, ac rigorosa Satisfactio, obita somodo

lummodo Morte, ac Paſſione tolerata, facta dicatnr. At de his jam ſatis a nobis dictum.

Novam die proxima Controverſiam auſpicabimur, in Scholis admodum ventilatam: num Chriſtus, quem ſufficienter, imo & abundanter Satisfeciſſe monſtravimus, ex rigore Juſtitiæ, ac ſecundùm ſtricti juris Apices Satisfecerit? Quæ nobis in hac controverſia ſententia ſit, ſequenti exercitatione aperiemus.



PRÆ-

PRÆLECTIO V.

Christus Dominus secundùm strictos juris apices pro noxis hominum offenso Deo satisfecit.



UM Christus secundùm strictos juris apices Satisfecerit; quæstio est Theologos inter, non sine stomacho, agitata; sed ab ea, de qua diximus hactenus, dum Christum æquè, & abundanter Satisfecisse probaremus, longè diversa. Plus etenim ad Satisfactionem stricti, quàm ad æquam Satisfactionem Theologi postulant. Ad eam, de qua paulò ante dicebamus, satis est, si justum, æquumque pretium persolvatur; ad istam, de qua dicturi hodie sumus, exigitur insuper, ut creditor eam acceptare, ratamque habere modis omnibus teneatur. Contingit enim plerumque justum offerri pretium, nec tamen creditorem ad illud ipsum acceptandum teneri; quia ab exercitio commutationis abstinere potest: Ut si viginti aureos ad pallium emendum exhibeam, æquum certè pretium offeram; nec tamen idcirco Mercatorem adigam, ut aureos acceptet, tradatque pallium, si vendere re ipsa nolit. Dum ergo in præsentia controvertimus, num Christus secundùm juris apices Satisfecerit, id inquirimus unum, num Christus tale, tantumque pretium solverit, ut illud ipsum Deus acceptare debuerit.

Quatuor dotibus stat ea Satisfactio stricti juris; de quibus non parum Theologi digladiantur, quo pacto in Christo Domino inveniantur. Prima est: ut Satisfactio alteri fiat: cùm enim actus justitiæ sit, in alterum exerceri necesse est. Secunda: ut ex bonis propriis fiat, non creditoris; aliàs non Satisfactio erit, sed debiti relaxatio: ut si Petro centum debeam nummos aureos; is verò totidem mihi largiatur, ut debitum solvam, non tam ego solvisse debitum, quàm is relaxasse dicendus erit. Tertia: ut gratiæ creditoris non innitatur; quantum enim gratiæ accedit, tantum justitiæ detrahitur; hic verò de Satisfactione disputatur, quæ summo jure fieri dicitur. Quarta demum: ut ex bonis aliàs indebitis fiat: si cui enim jure mutui centum aureos debeam, a quo subinde agrum centum aureorum emam; certè summo jure pro agro mihi divendito non Satisfaciam, si centum duntaxat aureos ei numerem. Hos enim ille pro mutui antecedentis, non pro agri solutione, si libuerit, acceptabit.

In ea ergo, quæ de Christi Satisfactione secundum juris apices, agi-

agitatur controversia, tota eò recidit difficultas; num iis quatuor dotibus steterit. Quod ubi semel in aperto fuerit, Christus secundùm strictos juris apices Satisfecisse dicendus erit.

Quod primam dotem attinet, ea statim obviam venit non modica difficultas, quo pacto Christus alteri Satisfecisse dici possit. Erat enim Deo, totique Trinitati per peccatum hominum injuria irrogata: Deo itaque totique Trinitati Christum Satisfecisse, compertum est. At is Deus erat, alteraque Trinitatis Persona: sibi igitur Satisfecisse dicendus erit. Neque enim Veteres illi Theologi audiendi, qui Christum soli Deo Patri, atque adeo alteri tantùm Satisfecisse dictitabant. Ea etenim ab Scholis exolevit opinio, quæ in alterutrum absurdum necessariò recidit: nimirum vel soli Deo Patri, non itidem Filio fuisse per peccatum hominis injuriam irrogatam, quod nemo falsum esse non sentit; aut nullam secundæ Personæ Satisfactionem fuisse exhibitam; cum ei nihilosecius irrogata injuria fuerit. Nec iis e contra dandæ aures; qui, ut Christi Satisfactionem alteri factam ostendant, Christi Humanitatem ejusdem Divinitati Satisfecisse reponunt. Non enim nuda Humanitas Satisfecit; sed Christus ipse totus & integer, Deus & Homo, cui cùm unica Divina Persona insit, unde actiones Satisfacientes proficisci possunt, perperam ad nudam Humanitatem, quæ Divinitati Satisfecerit, recentiores ii Theologi confugerunt. Iis igitur præclusis effugiis inaniter excogitatis, nodum feliciùs extricant, qui ajunt, Satisfactionem alteri factam abundè censeri, modò Naturæ, tametsi non Personæ distinctio intercedat; Christumque idcirco alteri Satisfecisse, quia, licet inter eum, ut Satisfacientem, & Deum, cui fit Satisfactio, distinctio Personæ non occurrat; stat tamen diversitas Naturarum. Id porrò abundè sufficere multis ostendo, nequis etiam me putet peregrina Suffugia quæsiisse. Primò: quia sola distinctio Naturarum, eâdem licet remanente Persona, distinctionem jurium præ se fert; cùm & diversas Voluntates præ se ferat: Ubi porrò distinctio jurium intercedit, justitia exerceri potest. Secundò: quia non minùs Religio, & Obedientia alteri sunt exhibendæ, quàm stricta justitia in alterum exercenda: porro sola distinctio Naturarum, unâ licet stante Personâ, abundè, in Christo suffecit, ut is obedisse Deo, eidemque Religionis cultum exhibuisse dici possit; quid ni ergo sola distinctio Naturarum satiserit, ut alteri Satisfecisse intelligatur? Tertiò: quia nulla major inter Satisfacientem ex jure, & illum, cui Satisfit, distinctio postulatur, quàm inter servum, & Dominum: porro sola in uno supposito distinctio Naturarum satis in Christo fuit, ut Christus secundùm Naturam assumptam Dei servus vocitetur servitute naturali, juxta Davidi-

vidicum illud : *Ego Servus tuus, & filius Ancillæ tuæ* : Ea itaque pari ratione sufficiet ad stricti juris Satisfactionem exhibendam.

In secundam conditionem a Theologis constitutam, ut nimirum Satisfactio non fiat ex bonis Creditoris non levis pariter militat difficultas. Christus siquidem per actiones creatas Satisfecit ; at illæ sub Dominio Dei sunt, qui in eas creationis, & conservationis titulo jus obtinebat : quin etiam actiones illæ Satisfaciendi Virtutem ex Divini Verbi Persona repetebant : at Personæ quoque Verbi Satisfactio facta dicitur : alienis itaque bonis, ac ipsius maximè Creditoris Christus Dominus Satisfecit. Non igitur summo jure Satisfactio facta est. Mirum quantum sese hoc loco Theologi torqueant, ut ab eo se laqueo liberent. Hunc ego brevi responso extricabo hoc pacto. Tametsi repugnet, Satisfactionem stricti juris ex iis bonis fieri, quæ sub Dominio peculiari creditoris sita sunt; nihil attamen vetat, ex iis bonis fieri, quæ sub dominio generali creditoris inveniuntur. Hinc subditus Domino suo summo jure Satisfacit ex ipsis bonis, quæ sub ejus directo dominio possidentur. Quia qua ratione causa universalis peculiaris causæ Virtuti non officit, ita nec generale dominium peculiari dominio repugnat. Cùm itaque Christus etiam ut Homo libero polleret arbitrio, propriumque in suos actus dominium exerceret, tametsi actus illi generali Dei dominio subderentur, nihil planè obfuit, quominùs iis Deo ipsi Satisfecerit. Et certè, si generale Dei dominium Christi Domini actibus obesset, quominùs ille Deo summo jure Satisfaceret; idem illud profectò obesset, quominùs & nos cuipiam alteri homini Satisfaceremus. Uti enim ex bonis creditoris Satisfactio fieri non potest, ita nec ex bonis alienis fieri valet; sed ex iis duntaxat, quæ personæ Satisfacientis re ipsa sint. Numquam ergo alteri Satisfacere possemus ex stricta justitia, cum nihil cuiquam possimus impendere, quod generali Dei dominio non subsit.

Tertia conditio ad strictam Juris Satisfactionem desiderata hoc etiam pulsatur ariete : Postulat stricti juris Satisfactio, ut non innitatur gratiæ creditoris : At Christi Domini Satisfactio innititur Dei creditoris Gratia, Gratia scilicet Unionis Hypostaticæ, unde Christi actus Valorem obtinent infinitum, cujus ope Satisfecit : Non itaque stricti juris Satisfactio illa fuit. At & id facilè diluitur. Duplicem scilicet distinguimus gratiam creditoris, antecedentem unam, quæ jam transiit in proprietatem recipientis, & alteram consequentem. Isthæc quidem, non item illa, Satisfactioni stricti juris officit : Si etenim ego cuipiam centum aureos gratuitò conferam nudè, ac sine onere; tum verò deinceps idem ille quidpiam emere a me ipso velit; numquid, amabò, ex cen-

tum aureis jam ante a me susceptis pretium erogare mihi non poterit? Ita sanè : quia & illos gratuitò susceperat, & illius proprii facti fuerant. Secus porro se res haberet, si quo ipso tempore emptæ rei pretium soluturus erat, pecuniam eidem numerassem, ut ex hac ipsa mihi solveret : sic enim simulata venditio esset, & vera largitio. Christus ergo strictò jure Satisfecisse censeri potest; quia Gratia Unionis, qua ejus Satisfactio nititur, omnibus modis antecedit Satisfactionem, eidemque in antecessum propria facta est.

Quarta demum conditio superest, cujus non absimiliter occasione hoc argumentum regeri potest. Stricti juris Satisfactio ex iis bonis præstanda est, quæ aliis titulis creditori minimè debeantur: At Christi actiones omnes, ac passiones Deo multis aliis titulis debebantur; Gratitudinis scilicet, Religionis, & Obedientiæ. Quamquam enim is Sponsor noster, ac fideijussor non fuisset, nec nostram in sese Caussam suscepisset, Deo nihilosecius cultum, honoremque debuisset, tum pro suprema Dei in omnes Excellentia, tum etiam ob ingentia beneficia Humanitati collata. Non itaque strictò jure Satisfecisse dici potest.

Cui reponimus, Satisfactionem stricti etiam juris esse posse, tametsi fiat ex bonis aliunde debitis, si alii illi tituli, quibus ea bona debentur, ad alias Virtutes spectent, atque in eandem materiam recidant. Tunc etenim unica solutione titulis omnibus fieri satis potest; tametsi res aliter se haberet, si alii forte tituli ad eamdem justitiæ speciem attinerent; & debiti materiam augerent. Res exemplo comperta fiet. Si centum aureos Petro debeam; primo ratione contractus venditionis, quia domum mihi vendidit : secundò titulo obedientiæ, quia mihi a Principe jussum est, ut debita solvam; tertiò ratione misericordiæ, quia is centum illorum aureorum penuria ad summam egestatem adactus est; profectò unica centum aureorum solutione titulis illis omnibus Satisfaciam; quia tituli illi tametsi numero plures, in eandem materiam recidunt; nec faciunt a me plura deberi, sed idem pluribus titulis. Pari sorte licet Christi Domini actus titulo Religionis, Gratitudinis, & Obedientiæ Deo Optimo Maximo deberentur; quia tamen tot illi tituli in eandem materiam recidunt, potuit planè Christus iisdem illis actibus Deo pro titulis omnibus strictò jure Satisfacere.

Quid ergo? (repones) si sic est, si Christi Satisfactio juxta strictos juris apices fuit, Deus ergo ad eam acceptandam obligatione justitiæ tenebatur : at id omnino falsum; cum nullam in Deo justitiam commutativam reperire liceat; solâque fidelitate, ac veracitate sua ligari possit : non ergo summo jure Christus Dominus Satisfecit.

Con-

Consecutionem diffitentur Theologi benè multi; qui licèt in humanis contractibus acceptandi necessitatem oriri putent, ubi stricti juris solutio exhibetur, nequaquam tamen in Deo, quem ratione supremi Dominii acceptandi necessitate liberum arbitrantur; solâque idcirco fidelitate sua factum existimant, quod Christi Satisfactionem acceptarit.

Longè ego aliter sentio, qui licèt Deum erga nos sola fidelitate adstringi putem, secus tamen erga Christum hominum Redemptorem: eo maximè titulo, quod is Deus esset, pretiumque modis omnibus æquum, atque excedens rependerit, jurisque apices per omnia servarit. Unde & Sacris in Literis Christi Domini Satisfactio Emptionis, Redemptionis, ac Pretii titulis insignitur. Imo D. Augustinus *Enarratione in Psal.* 88. *Serm.* 2. eam commutationis nomine nuncupat, ad ea Verba: *Exprobraverunt commutationem Christi sui*. Commutatio porro strictæ justitiæ pars est: Deus ergo ad Christi Satisfactionem acceptandam tenebatur.

Neque verendum, ne id Supremo Dei Dominio repugnet. Supremo quippe Dominio fit, ut Creaturæ puræ obligari non possit; quamquam Homini Deo nullâ sui injuriâ obligetur. Quid etiam, si dicamus, supremo Dei dominio obesse obligationem absolutam, minimè verò hypotheticam; a conditione scilicet ab ipsomet Deo posita dependentem. Sic etenim fit, ut obligatio in Dei Voluntatem, ut in primam radicem, ultimò refundatur. Sic itaque Deus nulla externa solutione absolutè ligandus erat: at ubi semel exhiberi sibi solutionem voluit ab Homine Deo, secuta inde est acceptandi necessitas, ac summi juris obligatio. Quemadmodum enim liberum Deo est, ut hominem Gratiâ suâ donet; eum verò Gratiâ donare tenetùr, si eum salvum efficaciter velit; nec tamen idcirco Supremi Dominii juribus excidit, quia nonnisi liberè vult salutem homini impertiri; ita nec Supremi Dominii juribus excidit, dum Deo Homini Satisfacienti obligatur; quia & hoc ipsum liberè voluit, ut Deus Homo Satisfaceret; ac nisi voluisset ipse, numquam Deus Homo Satisfecisset. Et hæc de Christi Satisfactione dicta sufficiant.

De motivo Incarnarionis crastina luce disputabitur.

PRÆ-

PRÆLECTIO VI.

Sola redimendi hominis caussa Humanitatem a Divino Verbo fuisse assumptam, statuitur.



Uænam Divino Verbo carnis suscipiendæ caussa fuerit; num una redimendi hominis ratio; disputare Theologi solent. Sunt enim verò non pauci, qui unico redimendi hominis studio, Deum factum hominem putant, adeo ut nullo hominis stante peccato, carnem nullatenus induisset. Alii qui subtilitatis titulo gloriantur, diversam prorsus viam ineunt. Christum quidem, nullo hominis stante peccato, carnem passibilem suppliciis, ac morti tandem addicendam nequaquam assumpturum fuisse ultro consentiunt; carnem nihilominus gloriosam assumpturum existimant, in qua non homines quidem redempturus esset, nullius hac in hypothesi redemptionis indigos, sed initurus amicos. Ea de re, uti de novo invento, sibi plaudunt; at prorsus immeritò; cum hanc ipsam opinationem in antecessum, uti probabilem, exposuerit Doctor Angelicus *in* 3. *sent. dist.* 1. *quæst.* 1. *art.* 3. eamque subindè 3. *p. sum. Th. quæst.* 1. *art.* 3. repudiarit. Quare, si quæ laus Scholæ Subtili in ea tutanda sententia, hæc una certè esse potest, quod fœtum spurium Angelici Doctoris a parente jam dimissum adoptarit, aluerit, informarit.

Porro dum hæc summo studio Theologi disputant, Dei decreta atque consilia, qualia re ipsa fuerint, nobisque sacris ex Literis innotescunt, dimetiuntur; non qualiacumque efformari a Deo potuerint, si secus ipse voluisset. Nec enim ullus hominum fuit, qui scire certò potuerit, quid Deus esset facturus, si nunquam homo peccasset; quid æterno consilio, atque decreto statuisset, si primævam innocentiam servasset hominum Protoparens Adam. Quid ergo re ipsa decreto sanxerit disputamus; non quid alias sancire potuerit. Quocirca id liberè pronunciamus: Deum usque adeo peccati delendi, ac redimendi hominis gratia, Verbum suum futurum hominem statuisse, ut nullo prorsus modo, ac nec impassibili quidem in carne venisset, si nunquam homo peccasset, & primævam innocentiam exuisset.

Ac re ipsa quidem, nisi velimus ariolari ac fingere pro arbitrio, æterna Dei consilia non nisi Scripturarum ac Traditionis ope nosse possumus: iis quippe unis suam hominibus voluntatem testari vo-

voluit. Hæc porro duo si consulamus, unam susceptæ a Deo carnis rationem invenimus, peccatum hominis diluendum. Scripturarum Elenchum & Indicem faciam, si loca singula proferre velim: *Matth.* 18., & *Lucæ* 19.: *Venit enim Filius hominis quærere, & Salvum facere, quod perierat*: *Joan.* 3.: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum Unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam*: *Luc.* 5.: *non veni vocare justos, sed peccatores*: *Rom.* 3.: *Hunc proposuit Deus propitiationem per fidem ..... propter remissionem præcedentium delictorum*: 1. *ad Timot.* 1. *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus; quòd Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere*: Et alia id genus pene sexcenta: cùm tamen nec vel unum Scripturæ contextum invenire liceat, ubi alio consilio Christum venisse vel leviter innuatur. Quare si aliam quis rationem caussari velit, fateatur necesse est, se æterna Dei consilia non ex Divinis Literis, sed ex proprio cerebello rimari, & comminisci.

Sed & Patres distinctiunculam omnem amovent: quippe qui nedum Christum redimendi peccati caussâ venisse ajunt; verùm etiam nullam aliam veniendi rationem fuisse significant; ut eâ plane semotâ nequaquam venisset. Luculentiora testimonia, cæteris omissis, indigitabo.

Irenæus *lib.* 5. *adversus Hæreses cap.* 14.: *Si enim non haberet*, inquit, *caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset. Et si non haberet Sanguis justorum inquiri, nequaquam Sanguinem habuisset Dominus*: Origenes *homil.* 24. *in Numeros*: *Pone*, inquit, *non fuisse peccatum, si non fuisset peccatum, non necesse fuerat Filium Dei agnum fieri*: Athanasius *orat.* 3. *contra Arianos* super illa verba *In principio erat Verbum*: *Nam etiamsi*, inquit, *opera condita non fuissent, æque tamen erat Verbum Dei, & Deus erat Verbum. Cæterum ut fieret Homo, numquam destinatum fuisset, nisi Hominum necessitas ejus rei caussam præbuisset*. Quibus ex eadem Ecclesia Græca concinunt Gregorius Nyssenus *orat. in Christi Nativ.*, S. Gregorius Nazianzenus *orat.* 36., S. Cyrillus Alexandrinus *Dialogorum Lib.* 5. *de Trinitate*; S. Joan. Damascenus *Lib.* 3 *de Fide Orthod. cap.* 6.

Nil minùs luculenter Latinæ Ecclesiæ Patres suffragantur: S. Ambrosius *lib. de Dominicæ Incarnationis Sacramento cap.* 6.: *Quæ erat caussa Incarnationis, nisi ut caro, quæ peccaverat, per se redimeretur*. S. Augustinus *Serm.* 174. *de verbis Apostoli, cap.* 2. expendens illud *Lucæ* 19.: *venit Filius Hominis quærere, & salvum facere, quod perierat*; subjungit: *Si homo non periisset, Filius Hominis non venisset*: Et *Serm.* 175. *cap.* 1. *nulla caussa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere*: Et *enar-*

Enarratione in Psalm. 36. Serm. 2. : Si tu o Homo non dimitteres Deum, non fieret pro te Deus Homo. Quibus calculum adjiciunt S. Gregorius Magnus *Lib. 4. in primum Reg. cap. 1. n. 7. : Et quidem nisi Adam peccaret, Redemptorem nostrum carnem suscipere nostram non oporteret.* Non enim venit vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam. *Si ergo* pro *peccatoribus venit, si peccata deessent, eum venire non oporteret.* S. Leo *Serm. 3. de Pentecoste : Si enim Homo ad imaginem & similitudinem Dei factus, in suæ honore Naturæ mansisset, nec Diaboli fraude deceptus, a Lege sibi posita per Concupiscentiam deviasset, Creator Mundi Creatura non fieret.* Et alii Patres bene multi, quos longo ordine recensere, otiosi prorsus hominis videretur.

Non me fugit responsuros Theologos de Schola subtili, ita locutos Ecclesiæ Patres; nullamque, nisi peccatum eluendum, Dominici Adventus rationem indigitasse, quòd de Christo passuro loquerentur.

Sed, inquio, si Patribus perspectus fuisset novus ille, quem Scotistæ comminiscuntur, veniendi modus in carne scilicet impassibili, & invisendorum amicorum gratiâ; cur nemo omnium inventus est unus, qui id vel obiter indigitarit? Cur nemo omnium Scotica distinctione usus perhibetur? Itane illi minùs Scoto vidisse putandi erunt? Sed & quotquot istas argutias pro arbitrio fingunt, nedum eliquatissimis Patrum oraculis illudunt; sed mendaces illos nobis produnt. Quod enim duobus modis fieri potest, si uno fortasse modo non fiat, altero tamen reipsa futurum est, futurum universim, & absolutè negari non potest; cùm absoluta negatio modum omnem eliminet. Si ergo homine non peccante Christus in carne saltem impassibili venturus erat, tametsi non in carne passibili, falsa profectò esset universalis illa, indiscreta, & absoluta Patrum assertio, qua Christum ea in hypothesi minimè ventnrum affirmant.

Addiderim ego, Nicœnum Symbolum distinctiunculam illam exsufflasse. Duo quippe distinxit, Christi scilicet Incarnationem, & ejusdem in Cruce passionem: Utramque verò redimendi hominis caussa factam significat: *Qui propter nos homines*, inquit, *& propter nostram Salutem descendit de Cœlis, & incarnatus est de Spiritu S. ex Maria Virgine, & Homo factus est :* En primùm: *Crucifixus etiam pro nobis :* en alterum. Ut plane intelligamus, utrumque nostri caussâ factum esse.

Jam si ea paulò penitiùs dispungamus, quæ in oppositum proferuntur, tantò firmiùs statutæ Veritati Suffragium dabimus, quantò levioribus ad eam impetendam fundamentis adnituntur. Instar Achillis illis est, quod ex Ordine Divinorum Decretorum repetunt

tunt Argumentum; istud videlicet toties decantatum: Christus ante omne prævisum Adæ, Hominumque peccatum prædestinatus est futurus Homo: igitur futurus erat homo, etiamsi nullum fuisset Adæ peccatum. Antecedens congestis Scripturarum Oraculis adstruere sibi putant, quibus Christus ante omnia præfinitus, & initium viarum Domini vocitatur: tum ea maximè ratione, quòd Christus, utpote finis omnium hominum, ante ipsos homines, atque idcirco ante omne peccatum hominum decerni debuerit.

Hæc omnia nos larga manu concedimus, damusque, ut libet, ut lubet, Christum ante omne prævisum Adæ peccatum prædestinatum esse futurum hominem: at Consecutionem inficiamur: Igitur futurus erat homo, etiamsi nullum fuisset Adæ peccatum: Id, inquam, inficiamur non secus, ac Thomistæ nostrates huius Argumenti, in caussa Prædestinationis factitari soliti Petrus ante omne prævisum meritum prædestinatus est futurus Sanctus: igitur futurus esset Sanctus, si nullum haberet meritum: concesso antecedenti, consecutionem omnino negant; quia tametsi prævisa merita non fuerint causa Prædestinationis, media nihilominus reputantur, sine quibus Deus executioni demandari non vult Decretum Prædestinationis. Idem in præsentia de Christi Prædestinatione statuendum existimamus. Demus enim, Christi Prædestinationem nequaquam ex futuri peccati prævisione dependisse; sed contra potiùs, Christi Prædestinationem cujusvis peccati præscientiam antevertisse; satis id nobis esset, peccatum medium extitisse, sine quo noluit Deus Incarnationis Decretum executioni demandari; ut inde meritò colligamus, Christum nequaquam futurum hominem, si nullum fuisset Adæ peccatum.

Neque officit, si reponant, prius sine posteriori esse posse; adeoque Incarnationis Mysterium etiam sine peccato futurum fuisse, si æterno Dei Decreto prædefinitum est ante peccatum. Falsum quippe est, prius sine posteriori esse posse, dum quovis in ordine non est prius: porro Mysterium Incarnationis, intentionis duntaxat ordine, non tamen executionis prius est; quin & a posteriori, nempe peccato, saltem velut a conditione, dependet, sine qua non esset executioni demandandum, uti mox de Prædestinatione meritis comparata dicebamus.

Alterum ex Christi Dotibus, ejusdemque Incarnationis fructibus repetunt Argumentum: Christus siquidem sacris in Literis nedum Redemptor hominum peccatique victor vocitatur; verùm etiam Pastor, Magister, Rex, Legislator; qui tituli ab officio Redemptoris minimè pendent: Ea igitur officia impleturus venisset, tametsi nullum extitisset Adæ peccatum, cujus caussâ Redemptoris munus obiret. Non absimiliter, inquiunt illi, uberrimis Incarna-

tionis fructibus adnumeratur Divinorum Attribtorum Manifestatio, Universi perfectio, exaltatio Humanæ Naturæ, Gratiæ denique consummatio. Quid ni ergo Christum tot illos divina majestate dignos fructus suo ad homines adventu laturum fuisse dicamus; tametsi nullo stante peccato nullam esset homini redemptionem allaturus?

Minùs ista nos movent, nec a statuta propositione divellunt: Eos quippe titulos, Pastoris, Magistri, Regis, Legislatoris ab uno Redemptoris titulo pendere contendimus, & ad peccati remedium pertinere judicamus. Ut quid enim is hominum Pastor effectus est, nisi quia a Deo Segreges peccando effecti sunt? Ut quid Magister, nisi quia Veritatem peccando deseruere? Ut quid Rex, nisi quia Dei Imperium delinquendo detrectaverant? Ut quid demum Legislator, nisi quia primigeniam Legem peccando violarant? Quare nullo stante peccato, Deus in propriâ Naturâ subsistens, & Pastor, & Magister, & Rex, & Legislator futurus erat; nullaque ratio postulabat, ut iis officiis in assumpta Natura fungeretur.

Idem de Incarnationis fructibus judicandum: Illos nimirum ad humani generis redemptionem revocari, qua Deus Bonitatis & Misericordiæ suæ thesauros explicuit. Aut certè, si tot illos fructus uberrimos ad primarium illum referri omnino neges; fructus esse dicemus, ut Schola vocitat, secundarios, minùs præcipuos, minusque necessarios; quorum caussâ Deum Hominem fieri, nulla necessitas postulabat.

Negotium facessere videtur aliquod D. Augustini, cæterorumque Patrum opinio, qui Mysterium Incarnationis primo Parenti in ipsa sui creatione revelatum fuisse docent, cùm tamen is futuri peccati sui præscius non esset: Unde consequens esse videtur, ut Christi Domini Incarnatio ab Adami peccato nulla ratione dependeat.

Consecutionem negat Doctor Angelicus 3. *part. quæst.* 1. *art.* 3. *ad* 5. inquiens: *Dicendum quòd nihil probibet, alicui revelari effectum, cui non revelatur caussa. Potuit igitur primo Homini revelari Incarnationis Mysterium, sine hoc, quod esset præscius sui casus.*

Ergo, inquies: anxius, atque adeo tristis hærebat Adam, utpote qui Incarnationis sibi notæ caussam penitus ignoraret: Noto quippe effectu, enascitur desiderium caussæ dignoscendæ. Anxium autem, tristemque hæsisse Adamum, non patitur status innocentiæ felicitas.

Sed & id consequens esse diffitemur: tristitiam ex ea ignoratione natam negamus omnino: neque movet, quod opponunt;

nunt; noto nimirum effectu, dignoscendæ caussæ desiderium enasci: Id enim de iis duntaxat caussis verum esse Theologi monent, e quibus effectus ex sese, atque intrinsecè pendeat; secus de illis, a quibus sola Dei libera Voluntate effectus pendere supponitur. Cæterùm dum Incarnationem ex Adami peccato pendere diximus, non ea mens nostra fuit, quasi ab eo intrinsecè pendeat, & ex sese; sed quòd ita libera Dei Voluntate Sacris in literis nobis expressa sancitum est, ut hæc illius occasione perficeretur. Hactenus de divinæ peractæ Incarnationis motivo.

Die proxima Controversiam agitabimus, num Christus Incarnationem ipsam promereri potuerit.



PRÆLECTIO VII.

Christum actibus suis promereri Incarnationem, & Virginis Maternitatem minime potuisse, demonstratur.



Controversiam aggredimur non in recentium Scholarum umbraculis natam, sed olim a Patribus summo studio adversus Nestorianos, ac Pelagianos agitatam: num Christus piis Operibus Incarnationem suam promeruerit. Cùm enim duas in Christo Personas Nestoriani fabularentur, Christumque quadam temporis successione hominem priùs extitisse dicerent, quàm a Verbo in Divinæ Naturæ communionem assumeretur; id quoque primario errori addidere, eum pristinis operibus bonis suam illam a Verbo Dei assumptionem meruisse. Cùm etiam Pelagiani gratiam piis nostris operibus promereri ex nobis blasphemarent, & ab Augustino non semel Christi exemplo premerentur, qui Unionis gratiam bonis Operibus nulla ratione promeruerat; in Nestorianorum partes, ut Augustini Argumentum effugerent, declinarunt. Hinc nota illa Historicis omnibus Nestorianorum, & Pelagianorum arcta societas; ut quamvis jam grassantibus Pelagianis Nestoriani proruperint; Pelagianam nihilominùs Hæresim ab Nestoriana enatam faterentur universi; quòd nimirum ab ea Vires, quibus sese tueri posset, accepisset. Hinc carmen illud longe celebratissimum D. Prosperi:

Nestoriana lues successi Pelagianæ,
Quæ tamen est Utero progenerata meo:
Infelix miseræ genitrix, & filia natæ,
Prodivi ex ipso germine, quod peperi.

Veterem hìc nœniam canerem, si errorem illum, ut est a Nestorianis, ac Pelagianis præformatus, confutandum aggrederer: actum enim non sine fastidio reagerem, utpote qui Nestorianum errorem de duplici in Christo Persona, quarum una alteram promeruerit, non ita pridem confutaverim; Pelagianumque commentum de Gratia meritis nostris promerenda superiori anno, dum de Divinis Auxiliis ageremus, cumulatiùs exagitarim. Quare ad quorumdam Theologorum Opinationem confutandam animum, vocemque convertimus, qui cùm Dominicam Incarnationem præviis Christi Domini

mini Operibus obtineri non potuisse fateantur; siquidem hujusmodi nulla fuerunt; eò demum se conferunt, ut actibus Incarnationem consequentibus Christum Incarnationem ipsam promeritum dicant. Qua de re, ut dicam ipse quod sentio, ita decerno: nempe commentum illud ab Hæresi quidem procul esse; minùs tamen cum sanæ Theologiæ principiis cohærere; & a Doctore Angelico, cujus se discipulos profitentur, qui ita autumant, immensum abire.

Ab hæresi procul esse, paucis conficio. Idcirco Sancti Patres Nestorianos Incarnationem præviis Christi meritis tribuentes hæreseos incusabant, quòd Christum hominem extitisse, meritisque abundasse dicerent antequam assumeretur a Verbo. Hinc Gregorius Magnus *Lib. 11. Registri Epist. Indictione 4 Epist. 67. ad Quiricum* Fidei professionem Hibernis Episcopis præscribens, quam lapsis ab Hæresi Nestoriana redeuntibus edendam iniungerent, hoc præsertim profitendum edicit, Christum primo momento conditionis suæ fuisse Deum. Porro, quos hìc eventilamus Theologi recentiores, Christum antea Hominem extitisse, quàm Deum nequaquam hariolantur; nec meritis abundasse fabulantur antequam Humanitas assumeretur a Verbo; cùm omnia ejus merita a Verbo ipso Humanitatem jam terminante repetenda velint. Ab Nestoriana igitur hæresi procul absunt.

De Pelagiana idem plane statuerim. Pelagianos etenim, præsertim isto in capite flagellavit Augustinus, quòd ultra Nestoriana deliramenta, in quæ oblique, ac pene nolentes inciderant, Unicnis Gratiam Naturæ meritis adscribere non erubescerent. At tantum abest, ut huic luto Recentiores, cum quibus hìc agimus, hæreant; ut potius omnia Christi merita ex unionis gratia derivent. Longè ergo etiam ab errore Pelagiano discedunt.

Verùm, bona pace dixerim, tantundem illos ab sanioris Theologiæ principiis peregrinari. Quid enim, amabò, istud est: Christus per actus unionem Hypostaticam consequentes, & a Verbo Humanitati jam unito derivatos hanc ipsam unionem Hypostaticam promeruit? An non id, quæso, secum omnino pugnat? Effatum hoc siquidem in confesso est apud Theologos: Principium meriti sub merito cadere nullatenus posse; sic etenim mereremur, quod nobis est ratio promerendi; ac ipsa etiam caussa ab suo effectu progerminaret: Unio enim Hypostatica in Christo cujusvis meriti radix, ac principium est; nisi fortasse velint, quod nec Religio, nec ipsa Philosophia satis capit, Humanitatem agendi, ac merendi principium esse: Repugnat ergo, Christum suis actibus unionem Hypostaticam consequentibus Unionem ipsam Hypostaticam meruisse.

Et quidem, ut explicatiùs dicam: meritum alterius profectò rei

rei meritum est; nec aliquid semetipsum mereri potest; sic etenim sui ipsius caussa esset: essetque idem simul, & non esset; quod omnium absurdorum maximum est. Igitur non potest aliquid mereri Principium, a quo vim habet merendi: Si quid enim sui ipsius caussa esse non potest, multò minus caussæ suæ caussa esse poterit.

Rationem alteram nil minùs efficacem suppeditat Doctor Angelicus *Quæst. 29. de verit. art. 6.*: *Meritum* inquit *est caussa præmii, non quidem per modum finalis caussæ. Sic enim magis præmium est caussa meriti; sed magis secundùm reductionem ad caussam efficientem, in quantum meritum facit dignum præmio, & per hoc ad præmium disponit. Id autem, quod est caussa per modum efficientis, nullo modo potest esse posterius tempore eo, cujus est caussa: unde non potest esse, quòd aliquis mereatur, quod jam habet.* Et sanè secundùm ipsa moralis Philosophiæ Principia, meritum se habet ad præmium, uti medium ad finem, via ad terminum, dispositio ad formam, caussa demum efficiens ad effectum: at repugnat plane medium subsequi finem, viam esse termino posteriorem, caussamque effectivam a suo effectu præcedi: repugnat igitur, meritum posterius esse termino ipso, quem promereri satagimus; adeoque repugnat omnino, Christum operibus suis Incarnationem subsequentibus, eam ullo pacto meruisse.

Si verò assertionem suam ita temperent Theologi illi recentiores, ut velint duntaxat, merita Christi futura, a Deo prævisa, Deum ab æterno movisse, ut Incarnationem decerneret; nec sic quidem laqueum effugient; imò commentum illud suum novis difficultatibus implicabunt. Enim verò, merita Christi, ut futura, nequaquam prævideri a Deo potuerunt ante decretum Incarnationis perficiendæ; cùm Christi merita intelligi, ut futura, non possint, nisi eo ipso, imò & in antecessum, Christus in tempore futurus intelligatur; nec Christus vicissim in tempore futurus intelligi queat, nisi decretum Incarnationis perficiendæ supponatur. Nugas itaque, ac pugnantia loquuntur quotquot eam hujus Figmenti adstruendi viam ineunt.

Mirum quantum se inutiliter torqueant Theologi isti, ut ab iis Argumentis se expediant. Primùm nodum extricare nititur Franciscus Suarez; principiumque meriti sub merito cadere posse contendit, non absolutè quidem, sed eo saltem in casu, quo principium meriti confertur a Deo sub conditione meriti futuri, ac dependenter ab eo: Uti plane contingit sæpius, Regem militi equum, & arma tribuere, in præmium, ac stipendium futuræ militiæ equo, & armis exercendæ.

At & id plane absurdum est, principium meriti conferri a Deo posse

posse sub conditione futuri meriti, ac dependenter ab eo. Esto enim id, unde meriti valor non oritur, intuitu futuri meriti dari possit; minimè verò id, unde totus nascitur meriti valor. Ratio in promptu est; quia meritum subsequens rationem pretii habere potest respectu illius, a quo valorem minimè sortitur; secus tamen respectu ejus, a quo totum valorem habet. Rursus dum id, unde meritum minimè nascitur, intuitu futuri meriti datur, nullo pacto ea sequuntur incommoda, quæ paulò ante notabamus, caussam scilicet ab suo effectu prodire; aliaque id genus supra memorata: ea tamen dubio procul consequuntur, si id, unde meritum verè nascitur, propter meritum conferretur. Quare quod obtrudit exemplum, equi scilicet, & armorum, quæ a Principe militibus conferuntur uti præmium exercendæ militiæ, a præsenti instituto procul abest; quia virtutis militaris meritùm nec ab equo, nec ab armis enascitur; sunt enim hæc adiumenta duntaxat, & instrumenta militiæ; sed a virtute Prudentiæ, ac generositate proficiscitur: cum contra valor meritorius operum Christi ab unione Hypostatica derivetur; in aliis autem hominibus a prima gratia. Quare si quid militum exemplo conficere voluisset Suaresius, quod præsens institutum attingeret, id illi ostendendum incumbebat; posse Prudentiam, ac generositatem militi a Principe concedi, ut militiæ bene gerendæ mercedem: quod sanè tam absurdum est, quàm quod maximè.

Erit fortasse quod opponat, Veterum nimirum Patrum exemplum, qui sub veteri Testamento floruerunt. Patrum enim, Theologorumque sententia est, illos Christi Domini Incarnationem meruisse; cum tamen omnis illorum meriti origo Incarnatio ipsa fuerit: ut hinc consequens videatur, principium meriti posse sub merito cadere. Et id tamen non minùs, quàm alterum frivolum est, duplici de caussa: primùm quòd Patres V. T. Incarnationem ipsam, quæ omnis humani meriti principium est, non promeruerint, sed ejus duntaxat adjuncta, & circunstantias: neque enim promeriti sunt, ut Deus Homo fieret, sed ut Deus Homo futurus adventum suum acceleraret: quo vel uno tota objecti argumenti vis elisa est. Secundò, quòd aliter Incarnatio meritorum hominum, aliter meritorum Christi principium fit; meritorum siquidem humanorum principium est Incarnatio moraliter duntaxat, ac meritorie; quia Deus factus Homo hominibus bona omnia, ac ipsa illorum merita promeritus est; Christi verò meritorum principium effectivum, ac formale fuit Unio illa Hypostatica; cum ejus operationes Theandricæ a Verbi Divini Persona ut a forma, valorem in esse moris infinitum acceperint. Quare tametsi daremus, principium morale meriti sub merito cadere potuisse; eaque

de

de caussa potuisse veteres Patres Christi Incarnationem promereri; minimè tamen consequens esset, Christum ipsum eamdem illam promereri quivisse.

Eo immoto, & inconcusso statuto principio, eliquatam cernitis alteram Controversiam ab iisdem Theologis agitatam: qua videlicet Christum Dominum, Virginis Maternitatem meruisse opinantur: hoc est, meruisse, ut ex Matre Virgine nasceretur. Nedum enim Augustino adversa sententia est *Lib. de Præd. SS. Cap.* 15. dicenti: *Neque enim retributa est Christo illa generatio, sed tributa, ut alienus ab omni obligatione peccati de Spiritu Sancto, & Virgine nasceretur*; sed & statutis Principiis plane concutitur. Quî etenim fieri potest, ut is de Virgine nasci meruerit, qui ne nasci quidem mereri potuit? Istud quippe pendet ex altero.

Difficiliùs fortasse fuerit definire, num Maternitatem illam suam meruerit Virgo Deipara. Et quidem, si Patres audiamus, meruisse certum est. Sic Ambrosius *Lib.* 2. *de Virginibus n.* 10.: *Quæ* (Maria) inquit, *digna fuit, ex qua Dei Filius nasceretur*. Hieronymus *epist.* 18. *ad Eustochium de custodia Virginitatis: Propone tibi Beatam Mariam, quæ tantæ extitit puritatis, ut Mater Domini esse mereretur*. Sic Gregorius Magnus *in Lib.* 1. *Regum cap.* 1.: *An non mons sublimis Maria, quæ ut ad conceptionem Æterni Verbi pertingeret, meritorum Verticem supra omnes Angelorum Choros usque ad Solium Deitatis erexit?* Hinc Vulgata illa Ecclesiæ supplicatio: *Regina Cœli lætare, quia quem meruisti portare, resurrexit, sicut dixit*. Si verò rationis ductum sequamur, minus facilè capi potest, quo pacto gratiæ meritis supra gratiæ ordinem evehi aliquis possit. Nam Maternitas Virginis, uti scitis, ad ordinem Hypostaticum attinet, omnisque Gratiæ sanctificantis dignitatem excedit. Rursum: omnia Deiparæ Virginis merita a Christo, ut primo fonte, progerminarunt; in ipso enim, ac per ipsum Virgo meruit. Cum ergo meriti principium, ut paulò antea dicebamus, sub merito cadere nequeat; quî fieri potest, ut hæc Divinam illam Maternitatem promeruerit?

Nodum solvit Doctor Angelicus Duplicis meriti distinctione apud Theologos pervulgata: condigni, ut vocant, merito Maternitatem mereri non potuit; idque objecta ratio satis probat: Quia cum hujusmodi meritum in valoris æqualitate sit situm, nihilque in ordine gratiæ ad valorem Ordinis hypostatici pertingere possit, consequens, est Virginem Operibus gratiâ elicitis Maternitatem Ordinis Hypostacici promereri nequivisse. Cæterùm merito congrui potuit plane; quia istud non stricti juris meritum est, nec in valoris æqualitate, sed in honesta duntaxat decentia situm est.

Nec obest, quod hic obiter innuebatur, principium meriti sub me-

merito cadere non posse. Verum id quidem; at nec Virginem quidem sui ipsius meriti principium meruisse supponimus, dum eam Maternitatem meruisse propugnamus. Non enim Maternitas, sed Christus, cujus est Mater, omnium ejus meritorum principium est; nec consequens est, eam Christum ipsum meruisse, dum ejus Maternitatem promeruit. At de his plus satis disputatum.



N O T A.

Plura hic desunt, quæ ad plenam, integramque Incarnationis Tractationem pertinent. Nobis illa duntaxat reperire datum fuit. Quæ desiderantur cætera Authoris Scripta; quæ extitisse indubium est, fortassis ad alienas manus pervenerunt. Nos quæ habuimus, exhibemus.

DIVUS AUGUSTINUS

SUMMUS

PRÆDESTINATIONIS, ET GRATIÆ

DOCTOR

A CALUMNIA VINDICATUS.

Adversùs Joannis Launoji Traditionem, fœtu posthumo recèns editam, & peculiari CLEMENTIS XI Pontificis Maximi Decreto nuper inustam.

Authore FR. JACOBO HYACINTHO SERRY *Ordinis Prædicatorum, Doctore Sorbonico, & in Serenissimæ Reipublicæ Venetæ Academiâ Patavinâ Theologo primario.*

Illustrissimo Excellentissimoque D.

SEBASTIANO FOSCARENO

D. MARCI PROCURATORI, ET EQUITI

ACADEMIÆ PATAVINÆ MODERATORI.

F. Hyacinthus Serry Theologus felicitatem.



TSI Te, SENATOR AMPLISSIME, non semel venerabundus adierim, ut studiorum meorum, quibus auctoritate ac patrocinio praees, rationem inirem; nunquam tamen ita votis meis indulsi, aut literaria meditamenta tanti feci, ut ea digna judicarem, quæ tuis oculis sisterentur. Verùm cum primùm de adornandis AUGUSTINI Vindiciis cogitavi, spes mihi largior affulsit, nòn indignum, in quem oculos flecteres, visum iri conatum hunc qualemcumque meum, cui saltem æstimationem pretiumque faceret dignitas argumenti. Si minùs gratum accidet Operis artificium, quod scio quàm sit exiguum, indignumque putabis, cui favorem, ac patrocinium impendas; at Doctorum, quos prisca tulit ætas, omnium maximum a calumnia vindicatum ea veneratione excipies, qua sacras divinasque literas foves: strenuum Ecclesiæ Catholicæ Defensorem ea pietate admittes, qua Ecclesiæ jura dignitatemque tueris: summum Divinæ Gratiæ Vindicem eo animo studioque recipies, quo rei sacræ tuendæ, ubicumque occasio tulerit, sedulus excubas; & quidquid ex divini Numinis Majestate est, id fidei tuæ, ac patrocinio creditum putas. Hæc una MECOENAS OPTIME, ad præsens voti summa est, ac etiam voti fiducia. In tuas prætereà laudes excurrere religio mihi fuerit,

qui

qui Theologus, non laudator accessi; ne sacrum opus ab assentatione videar auspicari; a qua tantùm fortunæ tuæ magnitudo, quantùm genii mei simplicitas abest. Itaque non obitas ad Reges maximos Legationes percensebo, procerum comitatu, aulæ pompa, familiæ stipatu, cultuque propè regio, omnium quas sol viderit splendidissimas: queis Venetæ Majestatis nomen ad exteras quoque gentes, ac mundi ultima extendisti. Non mentem res humanas moderaturam prædicabo, imperitantium artes, jura Principum, arcana Dominationum edoctam; intimis æternæ Reipublicæ consiliis exercitam, perpetuoquo rerum usu insigniter perpolitam. Non supremarum dignitatum obitorumque Magistratuum fastos excutiam, quorum vel soli tituli defatigare Lectorem possent, in quibus te sola virtute, ac benefaciendi potestate Principem demonstrasti. Non demùm, quæ tanto bonorum culmine cæteros præstat, cunctis obviam facilitatem commendabo, effusam in omnes atque obviam comitatem, singulorum vota ac studia provocantem. Hæc præclara ingenia quondàm expedient, ac posterorum memoriæ commendabunt: ego fati melioris auspex, ut perennent, vota facio. Vale mearum grande decus columenque rerum; pro quo nisi vita decidere Superi dederint, debitor moriar.



PRÆ-

PRÆFATIO.



Lter annus eſt, ex quo infauſtus Launoji Liber in Auguſtinum miserè conſarcinatus, inviſam per annos fermè triginta lucem aſpexit. Abortivum fœtum natalitiis tenebris damnaverat Scriptor infelix, ne publicam ſubiret invidiam, neve famæ ſuæ in orbe literario jacturam faceret. Verùm (quæ ſæculi noſtri ingeniorum licentiâ eſt) inventus eſt tandem, qui ſcriptum tot annos clauſtris ac ferâ cohibitum typis committendum exiſtimavit: ſeu Launojo humanis jamdudum rebus exemto, nihil ab hominum invidiâ timendum crediderit; ſeu forte publicatum Libellum ſuſtinendæ Scriptoris famæ non imparem judicarit.

Hujus hæc ſumma eſt: Primo, Auguſtinum de Gratiâ, & Prædeſtinatione diſputantem in extremos errores abiiſſe, novam in veteri ſpatio viam calcaſſe, ignotos priſcis Eccleſiæ Patribus calles aperuiſſe, fidelium animos turbaſſe, motus totâ paſſim Africâ, Galliâ, Italiâ dediſſe; Vvitkleffo, Zuinglio, Luthero, Calvino horridis dogmatibus præluſiſſe. Secundo, Proſperum, Hilarium, Cæſarium, Prudentium, Remigium, cæteroſque Auguſtini diſcipulos, ſanctitatis & eruditionis laude præcipuos, peſſime apud æquos æſtimatores audiiſſe, Romanis Pontificibus illuſiſſe, Decreta malis artibus extorſiſſe, æmulos ſuos falſis criminationibus oneraſſe, juſtam demum damnationis ſententiam ſubiiſſe. Tertio, Semipelagianos e contrario meliori jure uſos, antiquæ Majorum Traditioni hæſiſſe firmiter, Auguſtino ejuſque diſcipulis firmis rationibus obſtitiſſe.

Id ut exequatur, tenuem opellam in duas veluti partes diſtribuit. Priori, ſuperiorum Auguſtino ſæculorum Traditionem de Gratiâ, & Prædeſtinatione texendam inſtituit, Auguſtinianæ doctrinæ, ut autumat, repugnantem. Quocirca nudas, ac ſparſas Veterum ſententias colligit, tanquam arenam, ut Suetonius loquitur, ſine calce; nullius ſcilicet diſtincta verba oculis ſubjiciens, ſed dicti ſummam, eamque reſtrictam admodum gallice reddens; nullius Librum aliamve lucubrationem indigitans: ſeu forte, ut faciliùs quæ lubet, illis affingat, ſeu etiam ut Lectorum in conferendis teſtimoniis diligentiam exerceat. Alterâ Operis parte, poſteriorum Auguſtino ſæculorum Traditionem exequitur, ſeu veriùs Hiſtoricam Narrationem, de adverſâ, ut loquitur, Auguſtinianæ doctrinæ fortunâ; quam ex quo primùm vulgari cœpta eſt, ad noſtra uſque tempora, in Eccleſia Catholicâ paſſa ſit.

Nos

Nos inverso ordine, ac continuatâ serie partem utramque dispungimus. Quâ veneratione, quo cultu, Sancti Augustini, de gratiâ se ipsa victrice, deque gratuitâ prædestinatione, doctrina, dum viveret, ac secutis inde sæculis excepta sit, primum ostendimus: tum quam bene cum priorum Ecclesiæ sæculorum Traditione consentiat, demonstramus. Quæ duo dum agimus, spuriæ Traditionis errores, fabulas, lapsus, anachronismos, calumnias, mendacia, pro re natâ atque ex ordine temporum, confutamus.

In hanc porro aleam descendimus eo lubentius, quòd ad eam Apostolicæ Sedis judicio invitemur, quo infaustus Launoii Liber diris devotus est, gravissimisque infamiæ notis inustus. Hoc nos sanctius oraculum, uti Prologum galeatum Scriptioni nostræ præmittimus, quo vel uno universa Adversarii tela feliciter eludemus.

Addit animos Illustrissimi Remensium Archiepiscopi Decretum gallice editum, in modum pastoralis Institutionis, ut suos adversus male-nati Libelli venena communiret. Nobis Lutetiâ procul dissitis, serius quam optabamus, redditum est; tametsi jam inde a Mense Octobri vulgatum esset. Nonnulla, quæ ultro nobis occurrerant, ab erudito Præsule occupata deprehendimus; quæ tamen, ut pote viro cuilibet erudito idem argumentum pertractanti satis obvia, circumcidere religio fuit. Quamquam vel spicilegium facere, vel a doctissimo Galliarum nostrarum Archiepiscopo doceri, nulla nobis invidia foret. Excultæ eruditionis documentum, a Viro Augustinianæ doctrinæ studioso latine redditum damus in Appendice; ne eo forte defraudentur, queis gallicum idioma peregrinum est.



SS. D. N.

SS. D. N. CLEMENTIS

Divina Providentia Papæ XI.

Damnatio, & prohibitio Libelli typis editi ſub titulo : *Veritable Tradition de l'Egliſe, ſur la predeſtination, & la grace &c. Par Mr. de Launoy Docteur en Theologie, de la Maiſon & Societè de Navarre. A Liege MDCCII.*

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.



UM, ſicut Nobis innotuit, in lucem prodierit Libellus quidam, cui titulus : *Veritable Tradition de l'Egliſe, ſur la predeſtination, & la grace &c. Par Mr. de Launoy Docteur en Theologie, de la Maiſon, & Societè de Navarre. A Liege chez Nicolas le François, proche les Carmes en Isle, à la prudence MDCCII.* Nuperrimè verò venerabiles Fratres noſtri S. R. E. Cardinales in tota Republica Chriſtiana contra hæreticam pravitatem Generales Inquiſitores, a Sede Apoſtolicà ſpecialiter deputati, audita Libelli hujuſmodi cenſurà, illum ad minùs tanquàm impium, blaſphemum, necnon fulgidiſſimo Eccleſiæ Lumini, maximoque Doctori Sancto Auguſtino, quinimò ipſimet Eccleſiæ, atque Apoſtolicæ Sedi injurioſum, damnandum, & prohibendum eſſe cenſuerint : Hinc eſt, quod Nos pro commiſsa Nobis divinitùs gregis Dominici cura, animarum periculis, atque detrimentis, quæ ex præfati Libelli lectione, & uſu provenire poſſent; paſtorali ſollicitudine, quantùm cum Domino poſſumus, occurrere cupientes, necnon Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum, qui ejuſdem Sancti Doctoris præcelſam doctrinam magno ſemper in pretio habuerunt, totoque mentis affectu amplexi fuerunt, laudabilibus veſtigiis firmitèr inhærere volentes, de memoratorum Cardinalium conſilio, Libellum prædictum authoritate Apoſtolica, tenore præſentium damnamus, & reprobamus, ac legi, ſeù retineri prohibemus, ipſiuſque Libelli impreſſionem, deſcriptionem, lectionem, retentionem, & uſum, omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus, etiam ſpecifica, & individua mentione, & expreſſione dignis, ſub pœna excommunicationis per contrafacientes ipſo facto, abſque alia declaratione, incurrenda, a qua nemo a quoquam, præter-

quàm a Nobis, seù Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium obtinere valeat, omninò interdicimus. Volentes, & authoritate præfata mandantes, ut quicumque Libellum hujusmodi penès se habuerint, illum, statim atque præsentes Literæ eis innotuerint, locorum Ordinariis, vel hæreticæ pravitatis Inquisitoribus tradere, atque consignare teneantur; hi verò exemplaria sibi sic tradita illico flammis aboleri curent: In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Ut autem eædem præsentes literæ ad omnium notitiam faciliùs perducantur, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus, & authoritate prædicta decernimus, illas ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ, necnon Curiæ Generalis in Monte Citatorio, & in acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Cursoribus nostris, ut moris est, publicari, illarumque exempla ibidem affixa relinqui; sic verò publicatas, omnes & singulos, quos concernunt, perinde afficere, ac si unicuique illorum personaliter notificatæ, & intimatæ fuissent: Ipsarum autem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eandem prorsus fidem tàm in judicio, quàm extrà illud, ubique locorum haberi, quæ haberetur eisdem præsentibus, si exhibitæ forent, vel ostensæ. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die xxviij. Januarii MDCCIV. Pontificatus nostri anno quarto.

F. Oliverius.

DIVUS

DIVUS AUGUSTINUS

A CALUMNIA VINDICATUS

ADVERSUS JOANNIS LAUNOJII

TRADITIONEM.

CAPUT PRIMUM.

Launojus jam inde a Libelli proludio, suam in Augustino erroris insimulando audaciam nequicquam excusat, sed pinguioribus erroribus auget.



EST illud Augustini in Ecclesia Catholica nomen, ea triumphati erroris, & assertæ Fidei fama, ut opus invidiæ & periculosæ aleæ plenum moliri se satis intelligant, quotquot ad eum erroris insimulandum, animum inducunt. Idcirco Launojus, cui petulans audaxque consilium insedit animo, jam inde ab initio excusationes obtendit, occupatque pro viribus quæ putat opponi, ut omnem a se suscepti operis invidiam amoveat. Cùm enim Augustinum, adoratum terris ac cœlo caput, gentium omnium linguis ferri videat, quòd illo nemo meliùs Divinæ Gratiæ vires expertus sit, nemo feliciùs explicarit: ejusque doctrinam a viris omni retro ætate sanctissimis, doctissimisque propugnatam certò sciat; quæ duo infausti illi ominis præjudicia videbantur: incommodis istis statim occurrit audacissimus criminator, lectoremque primo ingressu præclaris hisce monitis occupat; ut omni in Augustinum affectu vacuus ad legendum accedat.

(*Pag.* 1.) I. *Doctores, quanti quanti sint, non aliam sibi dictorum fidem conciliare, quàm quæ illis, ex rationum queis nituntur, momentis accedit: atque adeo magnam illam, qua totâ Ecclesiâ Catholicâ valet Augustinus, existimationem nihil obesse, quominùs, si causa subest, erroris a viro Theologo postulari queat, nullâ debitæ venerationis injuriâ.*

(*Pag.* 4.) II. *Nemini mirum videri posse, errorem de gratuitâ Prædestinatione, Gratiâque se ipsâ victrici, tandiu in Ecclesia*

perenasse. Cùm alterutram hoc de argumento opinionem, seu Augustini illa sit, seu partis adversæ, erroris nomine censeri necesse sit, qui tamen ab annis mille ducentis, & quod excurrit, in Ecclesiâ perstat. Maximè verò, cùm Papiæ, de novo post extremi judicii diem, Christi Domini Regno, spissus error, per annos ferme trecentos perdurarit, donec damnaretur.

(*Pag.* 5.) III. *Neque id exemplo vacare, ut permulti magni nominis viri in errorem conjunctis animis conspirarint. Quandoquidem memorata Papiæ sententia, tametsi reapse hæretica, a Sanctissimis doctissimisque priorum sæculorum Patribus propugnata probataque sit, quoto tempore perstitit: nec absimili sorte Origenis error infinitam eruditorum hominum, Sanctorumque Martyrum multitudinem assentientem habuerit: ut interim, inquit, Arianam hæresim missam faciam, quæ universum pervasit Orbem, si quæ D. Hieronymo, & Vincentio Lirinensi fides est.*

(*Præf.*) IV. *Augustinianæ Doctrinæ Professores, eidem ad hanc usque diem adhæsisse, nulli animadversioni obnoxios, ac violatæ fidei minimè reos: quòd nondum ex formâ juris damnati sint.*

Ita novus occultorum hactenùs errorum Inquisitor, quem, ut sibi ipse blanditur, ad hæc usque tempora, liberanda veritas expectavit. Ecquis porrò non videat, occultos Augustini errores retegere meditantem, apertis erroribus viam sternere? Nihil quippè tàm lubricum, tàmque errori patens, quàm summos quosque Ecclesiæ Doctores omni demum nominis authoritate exuere: nec aliam illis fidem adjungere velle, quàm quæ momentis illorum ac rationibus datur. Id si liceat, tota pessum ibit Theologica res: nec jam petitum a Patrum authoritate argumentum, cui Theologi maximè fidunt, ab altero quod a ratione est, secernetur. Immò nihil Patrum maximus, præ vili & extremæ concionis homunculo obtinebit, ex famâ nominis: cùm eam nemini fidem negemus, quam rationum momenta conciliant. Procul ab inconsulto illo Launoji monito Ecclesia Catholica, quæ uti Patres non meros simplicesque disputatores agnoscit, sed Traditionis suorum temporum testes adhibet; ita (nisi illis, quodam fortasse doctrinæ capite, authoritatem ademerit) rationum etiam quibus, nituntur consideratione seposita, fidem illis adjungit: majorem utique minoremve, pro varia qua floruere ætate temporum: iisque omnium maximam, qui in eo, quod agitur, argumento, summam operam posuere, ut Catholicas partes adversùs Hæreticos tuerentur. Hæc certa Ecclesiæ de Patrum authoritate sententia, Conciliorum cùm recentium, tùm antiquorum usu consecrata. Neque tamen id moneo, quasi Augustino meo, a momentis, queis inniti solet, aliquid timeam: sed ut intelligat audacissimus criminator, toto se ostio jam

inde a proludio aberrare : eaque commentitiæ Traditionis fundamenta ponere, quæ Theologiam ab imo suffodiant, & in errorem inducant.

Alterum de errore tot annos in Ecclesia grassante Launoji monitum, utì & tertium, de tàm multis magni nominis viris, in ejusdem defensionem conspirantibus, minùs profectò ferendum est. Aliud quippe, in Augustini de gratia & prædestinatione sententia fidei est, aliud opinionis. Fidei caput nunquam non Ecclesia tenuit, utì probabitur loco suo : tametsi errorem oppositum, rebus nondum ad liquidum perductis, in nonnullis aliquandiù passa sit. Alterum opinione liberum, in quamlibet partem etiam hodie pro arbitrio disputatur, citra erroris periculum : licet ii potiori jure censeantur esse, qui Augustino vel in liberis tenaciùs hærent. Nec Launojum juvant Papiæ, Origenis, Arij errorum exempla. Quamquam enim ultrò daremus ut libet, nonnullos olim errores, longo temporis tractu, in Ecclesia perdurasse, virosque etiam maximos ac numero plures iisdem aliquandiù adsavisse; nihil inde ad institutum. Aliud namque est, errorem in nonnullis ab Ecclesia tolerari, donec eliquata ultimò veritate proscribatur; aliud expresśè probari & commendari. Det Launojus, si potis est, Romanorum Pontificum seriem, qui Papiæ, Origenis, Arij errores suo calculo comprobarint, qui editas ab iis lucubrationes laudibus extulerint, qui fideles ad illorum libros, Ecclesiæ Romanæ doctrinam percepturos, miserint; quod Augustinianæ Doctrinæ occasione factum nemo nescit : & gradum ultrò referemus.

Sed & illud a vero longiùs abit, quod tantâ fiduciâ pronunciat, Ecclesiasticæ, quam laudat historiæ, Hieronymi, ac Vincentii Lirinensis fide turpiter abusus. Sane Papiæ errorem nec universim receptum, tribus prioribus Ecclesiæ sæculis, quamquam quæstioni diù fuerit; nec a quibusque Sanctissimis doctissimisque illius ætatis Patribus propugnatum, evincunt Patrum illius ævi gravissimorum testimonia : Justini in primis, qui *multos, etiam, qui puræ piæque erant Christianorum sententiæ*, novum illud Christi Domini Regnum, a Papiâ excogitatum (cui ipsemet favit) non agnovisse, profitetur, in *Dialogo cum Tryphone* Judæo : Irenæi *lib.* 5. *adversus hæreses cap.* 33. ubi non paucos hanc Præceptoris sui opinionem, quâ & ipse imbutus est, oppugnasse testatur : Caji in fragmento apud Eusebium *lib.* 3. *Historiæ Ecclesiasticæ c.* 28. hanc fabulam ceu errorem pestilentissimum confutantium, tertio vertente Ecclesiæ sæculo. Quibus subinde dexteras contulere Eusebius lib. 3. Historiæ cap. 39. D. Hieronymus *Præfatione Libri* 18. *Commentariorum* in Isaiam : Sanctus Epiphanius *hæresi* 77. Sanctus Augustinus *libro* 20. *de Civitate Dei cap.* 7. Sanctus Basilius Magnus *Edi-*

Epiſtolâ 74. ad Occidentales Epiſcopos : aliique ſecutis ſæculis pene omnes. Quatuor ut ut maximè huic errori adſtipulati perhibentur, tribus prioribus Eccleſiæ ſæculis : Papias fabulæ parens, Juſtinus, Irenæus, Tertullianus : quos omnes ſanctiſſimos doctiſſimoſque perperam Launojus appellat. Nec enim doctiſſimi viri nomine celebrandus Papias, quem Euſebius *libro* 3. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Capite* ultimo, mediocri admodum ingenio præditum notat, colligitque ex ejus, quas tunc ad manum habebat, Commentationibus. Nec ſanctiſſimi titulo exornandus Tertullianus, publicâ hæreſeos profeſſione, ab Eccleſiæ Catholicæ communione ſejunctus.

Nihilo feliciùs Origenis errores infinitæ eruditorum hominum, Sanctorumque Martyrum multitudini probatos effutit. Equidem habuit ille eruditionis minimè vulgaris laudatores, ſanctiſſimos ac doctiſſimos viros, Gregorium utrumque, Neocæſarienſem, & Nazianzenum, Athanaſium, Hieronymum, Baſilium Magnum. Eumdem doctrinæ integrum, erroriſque purum opinati ſunt alii, ſanctitatis & eruditionis fama celebres; ſeu errore facti, ſeu benigniori ſcriptorum interpretatione; ſeu demum quòd libros ejus ſpuriis aſſumentis ab Arjanis infartos exiſtimarent; externaque quorumdam Origeniſtarum pietatis ſpecie deluſi, in ſuam illos fidem atque tutelam receperunt : quod ultimum Sancto Joanni Chryſoſtomo per obreptionem accidiſſe notum eſt. Cæterùm errores ipſos nonniſi notati ab Eccleſia viri propugnarunt; Euſebius Cæſarienſis, Arjanæ factionis Signifer : Rufinus Aquilejenſis, ab Anaſtaſio Romano Pontifice hac ipſa de cauſa damnatus: Dydimus Alexandrinus, ab Eccleſia, ut loquitur Hieronymus *lib.* 2. *Apologiæ adverſus Rufinum*, reprobatus : Evagrius in V. Œcumenica Synodo inuſtus : obſcuri, imo nullius nominis Author, apud Photium *Codice* 117. Joannes Hieroſolymitanus, ob defenſos Origenis errores, a Patribus bene multis exagitatus : qui demum, ut illam a ſe labem depelleret, adornato Libello, ſe *Origenis ingenium, non fidem ſecutum* oſtendit, ut teſtatur Gennadius in *Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum capite* 31. Queis non paucos alios adjeceris ſolo capite cenſos, Palladium, Iſidorum, Avitum, Nonnium, Leontium &c. At Sanctiſſimos Martyres, quales Launojus comminiſcitur, plane nullos. Niſi forte veterem næniam revocare lubeat, qua Pamphilus Martyr, quo tempore carcere teneretur, libros apologeticos pro Origene concinnaſſe ferebatur. Verùm fuit hæc Rufini impia fraus, qui ut hæreſim Martyris nomine celebrem faceret, libros in Origenis defenſionem ab Euſebio conſarcinatos, Pamphilo ſuppoſuerat. Audiendus ea de re Sanctus Hieronymus, qui ut nondum detecta fraude, libros illos Pamphilo Mar-

Martyri, cujus nomen fronte præferebant, adjudicaverat, dum Scriptorum Ecclesiasticorum Catalogum ederet; ita detectis subinde dolis, ex Mss. Codicum fide, impostorem multo sale defricuit *lib. 2. Apologiæ* adversùs Rufinum: *Perspicuum est*, inquit, *te idcirco librum hunc disseminare voluisse, ut sub persona Martyris hæresim introduceres. Et lib. 3. Ergo, frater, sive a te falsatus est liber, ut multi putant: sive ab altero, ut forsitan persuadere conaberis, & temerè credidisti hæretici hominis syntagma, esse Martyris: muta titulum, & Romanam simplicitatem tanto periculo libera. Non tibi expedit; ut per te clarissimus Martyr hæreticus judicetur: ut qui effudit pro Christo sanguinem, contrarius fidei Christi approbetur. Dic potius, inveni librum, putavi illum Martyris; ne timeas pœnitentiam. Jam te non urgebo, non quæram a quo acceperis: vel mortuorum aliquem nominato; vel in platea ab ignoto homine te emisse dicito. Non enim damnationem tuam quærimus, sed conversionem. Melius est, ut tu erraveris, quam ut Martyr hæreticus fuerit.*

Jam illud cujus frontis est, quod adiicit Criminator, Arjanam hæresim universum orbem pervasisse? Quasi vero id accidere tandem possit, ut Ecclesia toto orbe diffusa in hæresim prolabatur, contra Christi Domini pollicitationem: (*Mar. 16.*) aut id significatum voluerit Hieronymus, dum inquit in dialogo contra Luciferianos: *Ingemuit totus Orbis, & Arjanum se esse miratus est?* Id Ariminensis Concilii occasione dictum nemo nescit: dum Valentis & Ursatii artibus circumventi religiosissimi Patres, fidei formulæ subscripsere, nihil quidem hæreticum ex verborum superficie præferenti; sed qua interim, ob prætermissum *Consubstantialis* vocabulum, Arjani petulantiùs abusi sunt, peregrinos sensus, ac mente abditos obtrudentes. Impropria igitur & hyperbolica Hieronymi locutio est, Orbis nomine maximam Orbis partem, ex qua erat conflata Synodus, intelligentis. Arjanus autem Orbis ab eo dictus, non erroris professione, sed incauta cum errantibus communione: quatenus probata per obreptionem dolosa fidei formula, sibi ab Arjanis exhibita, eorumdem communione maculati censebantur Ariminensis Synodi Patres.

Hanc Hieronymi mentem esse, ex hoc ipso Dialogo contra Luciferianos, unde laudata verba excerpta sunt, apertè liquet. Quandoquidem narrata fraude Patribus Ariminensibus facta, eorumdem innocentiam, & alienum ab hæresi animum probat. *Concurrebant*, inquit, *Episcopi, qui Ariminensibus dolis irretiti, sine conscientia Hæretici ferebantur, contestantes Corpus Domini, & quidquid in Ecclesia sanctum est, se nihil mali, in sua fide suspicatos. Putavimus, ajebant, sensus congruere verbis; nec in* Ec-

Ecclesia Dei ubi simplicitas, ubi pura confessio est, aliud in corde clausum esse, aliud in labiis proferri timuimus. Decepit nos bona de malis existimatio. Non sumus arbitrati Sacerdotes Christi adversus Christum pugnare. Multaque alia, quæ brevitatis studio prætereo flentes asserebant, parati & subscriptionem pristinam, & omnes Arjanorum blasphemias condemnare. Nec alius Vincentii Lirinensis sensus est, *Arjanorum venenum non jam portiunculam quandam, sed pene orbem totum contaminasse* scribentis, *capite* 4. *Commonitorii*. Contaminatum scilicet orbem intelligit, non erroris utique professione, sed oscitantia, qua fraudem sibi ab Hæreticis fieri, passi fuerant Occidentis Episcopi. Unde subjungit e vestigio: *adeo ut prope cunctis latini sermonis Episcopis, partim vi, partim fraude deceptis, caligo quædam mentibus offunderetur*. Certè nec universum Orbem, nec partem illius maximam, in Arjanam hæresim consensisse, sed longe admodùm plures toto orbe Catholicos extitisse, hac ipsa ætate temporum, quam Arjanos, testis est locupletissimus Athanasius, Epistola Synodica de Fide, ad Jovinianum Imperatorem data, apud Eusebium *lib.* VII. *Historiæ Ecclesiasticæ tripartitæ cap.* 3. cujus sunt hæc ipsa verba. *Cognosce, Deo amabilis Imperator, quoniam hæc quidem prædicatur a seculo, & hanc professi sunt Patres in Nicæa convenientes, in hac quoque fide concordant omnes Ecclesiæ in Hispania, & Britania, nec non in Galliis, Italiis, & in Dalmatiis constitutæ: in Cappadocia, Mysia, & Macedonia, & universa simul Hellade, sed etiam universa Africa, Sardinia, Cypro, Creta, Pamphylia, Lycia, Isauria, & in omni Ægypto, & Libya, Ponto, & Cappadocia, partibusque vicinis, & Orientales Ecclesiæ præter paucos Arij sectatores. Omnium namque prædictorum sententiam experimento cognovimus, & literas habemus, eosque novimus, Deo amabilis Imperator: quia cum pauci quidam huic fidei contradicant, præjudicium facere non poterunt in toto orbe terrarum.*

Quàm gravem Ecclesiasticæ Traditioni, quæ altera fidei nostræ regula est, labem inurant audaces illæ Launoji assertiones; quibus pingues errores, trium priorum sæculorum spatio, in Ecclesia late grassantes, & a Sanctissimis doctissimisque viris, communi calculo probatos effutit, demonstrare facile fuerit; nisi sui statim immemor hæc ipsa paradoxa, jam tunc a primo Opellæ capitulo, subvertisset: *Ecclesiam*, inquiens, *ex Traditione nusquam intermissâ, falsas comperisse tot illas opinationes: Papiæ quidem, de terreno Christi Domini Regno, post generalem mortalium omnium ad vitam reditum: Cypriani, de iterando hæreticorum Baptismo: Arij de abnegata Christi Divinitate: seque tunc maximè Divino Spiritu afflatam probasse*. Ecquo vero pacto nusquam intermissæ Tradi-

di-

ditionis purissima lux Ecclesiæ affulsisset, si per annos fermè trecentos, Sanctissimos quosque doctissimosque Magistros, ac Martyres contrarius error invaserat; totusque demum orbis in Arjanam hæresim conspiraverat? Germanæ siquidem veræque Traditionis terna dos est, Antiquitas, Universitas, & Consensio: idque unum a Christo, & Apostolis traditum censeri jure potest; ut loquitur Vincentius Lirinensis, quod Ecclesiæ Doctores atque Magistri, *uno eodemque consensu, apertè, frequenter, perseveranter tenuerunt, scripserunt, docuerunt.* Commonitorii capite 3.

Esset profectò, unde Launojo revocata tam citò immania prolusionis suæ paradoxa gratularer, nisi extremam tunc viam adiens, palinodiam illam suam graviori errore depravasset: dum inquit, Ecclesiam difficulter admodum memoratos errores damnaturam fuisse, nisi ad Traditionis regulas confugisset: *quòd ii ita sacris literis inniti videantur, ut vero non secus ac veritas ipsa simillimi sint.* O verbum minimè ferendum! Non ergo, si penes Launojum fides est, in Scripturæ subsidium Traditio venit, sed altera in alteram pugnat: ut quod ex unius sententia, vero non secus ac veritas ipsa simillimum est, alterius judicio hæreticum censeatur. Jamque si sacras literas unicè consulamus, de Ecclesia Catholica Millenarii, Origenistæ, Rebaptizantes, Arjani, Launojo judice triumpharunt. Cùm tamen qui in iis erroribus debellandis principem operam posuerunt Ecclesiæ Patres, potissimum Catholicæ caussæ præsidium sacris in literis collocarint.

Verùm quid supinam in Traditionis Investigatore aberrationem miramur? Mensuram cumulat, multasque unà complectitur ultimum Præfationis monitum, quo Augustinianæ Doctrinæ Professores, eidem ad hanc usque diem inculpatè adhæsisse dictitat, *quòd necdum ex forma juris damnati sint.* Quisquis id legit, & librum nondum evolvit, Launojum retracti duntaxat in Augustinum animi reum putat; quòd veris illius discipulis satis consultum existimet, si modò indemnati censeantur. At qui evoluto Libello, Prædestinatianos, Vvitklefistas, Lutheranos, Calvinistas, Bayanos, Jansenistas quinque famosarum Propositionum defensores, Augustini discipulos poni ab eo videt; imò vix alios eo titulo tota passim Scriptione percenseri: violatæ Catholicæ Fidei reum habet; quòd tam multos illorum errores uno verbo instauret, aut certè excuset, dum eos nondum ex juris forma damnatos effutit: tametsi sacrorum Conciliorum ac Romanorum Pontificum Decretis inusti sint.

De celebri Cœlestini I. Rescripto ad Gallos Episcopos, quo probatam Augustini Doctrinam inficiatur Traditionis Investigator, nono capite sermo erit.

CAPUT SECUNDUM.

Launojus in proferendo Augustinianæ, quam oppugnet, Doctrinæ specimine, ignorantiæ, calumniæ, fallaciæ revincitur.



Ametsi gratuitæ Prædestinationis, Gratiæque se ipsa victricis gemina dogmata duntaxat appetere Launojus prima fronte videatur: universam tamen Augustini doctrinam, de altissimo Prædestinationis Mysterio, de fractis lapsæ naturæ viribus, de medicinalis gratiæ necessitate, censuris, ac maledictis aggreditur: quòd eam, quanta quanta est, ab geminis illis dogmatibus fluere persuasissimum habeat. Imò pro audaci obtrectandi libidine, nihil veritus est affirmare, (*Pag.* 24.) Augustinum bina illa doctrinæ suæ fundamenta jacientem, Orbem Catholicum graviter quidem offendisse, at multo graviùs cunctorum animos perturbasse, dum fluentia inde dogmata publicavit. Utque Sanctissimo Doctori invidiam conflet, hæc ipsa statim in summam colligit, ac singulis fermè capitibus inculcat, auget, amplificat pro arbitrio, nullis Sanctissimi Doctoris verbis distinctè prolatis, nullo certo librorum loco adnotato.

In hanc fluentium inde dogmatum summam, qua totius Augustinianæ Doctrinæ specimen, ut ipse quidem autumat, continetur, cùm primùm oculos fleximus, inepti Censoris inscitiam, calumniam, fallaciam deprehendimus. Inscitiam inquam, quòd in hac promiscua, & indiscreta congerie, benè multa doctrinæ capita, ex sacris literis ab Augustino delibata, ac Romanorum subindè Pontificum, Conciliorumque decretis definita, perindè sugillet, carpat, censuris inurat: Calumniam, quòd horrida interdum paradoxa Sanctissimo Doctori affingat, a quibus remotissimus fuit: Fallaciam demum, quòd assertiones non paucas, queis multiplex notio subjecta est, sed ab Augustino in rectam semper sententiam accipiuntur, indiscretè criminetur; omnia ex æquo miscens, ac infima summis paria faciens. Ea nos Augustinianæ Doctrinæ capita, ab inficeto Censore promiscuè congesta, ac tota passim scriptione sugillata, triplici ordine disponimus, brevemque unicuique dogmati in invidiam traducto notam appingimus (nec enim cuilibet Launoji figmento refellendo, prolixam commentationem dicare vacat,) ut omnes unà nobiscum indignam Viro Theologo censuram, nullo negotio deprehendant.

Pro-

Propositiones ex Augustino ab Launojo summatim excerptæ, errorisque per summam ignorantiam insimulatæ.

(*Pag.* 24.) I. Propositio. *Electi Divinæ voluntatis decreto vocantur.*

Fidei caput est, sacris in literis syllabatim expressum. Ad Ephesios *capite* 1. *v.* 5. *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum, per Jesum Christum in ipsum, secundùm propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ*. Et *versu* 11. *Sorte vocati sumus, prædestinati secundùm propositum ejus, qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ*. Secundæ ad Timotheum *cap.* 1. *v.* 9. *Vocavit nos vocatione sua sancta, non secundùm opera nostra, sed secundùm propositum suum, & gratiam*. Ad Roman. 8. *v.* 28. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundùm propositum vocati sunt sancti*. Quisquis ergo primam illam propositionem, Sancto Augustino familiarem, invidiosis notis inurit, Ecclesiasticis censuris inurendus est, tanquàm Dei verbo palam aperteque injurius.

(*Pag.* 24.) II. Propositio. *Deus nulla futurorum operum ratione habita, Jacob elegit, Esau reprobavit*.

Apostolica sententia est, ad Romanos 9. v. 11. & sequentibus. *Cùm enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, (ut secundùm electionem propositum Dei maneret), non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: quia major serviet minori; sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui. Quid ergo dicemus? nunquid iniquitas apud Deum? Absit. Moysi enim dicit: miserebor, cujus misereor: & misericordiam præstabo, cujus miserebor. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*. Qua de re, plura dabimus ad Propositionem xv.

(*Pag.* 24.) III. Propositio. *Cùm Deus vitam æternam largitur, nil nisi munera sua coronat: gratiamque pro gratia largitur*.

Sacrarum Scripturarum, Romanorum Pontificum, ac Synodi Tridentinæ conceptissima verba sunt. *Psalmo* 102. *v.* 4. *Qui coronat te in misericordia, & miserationibus*. Joannis *capite* 1. *v.* 16. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia*. Ad Romanos cap. 6. v. 23. *Gratia Dei vita æterna*. Cœlestinus Romanus Pontifex, seu quisquis alius celeberrimorum Capitulorum Author, quæ ejus datis ad Gallos Episcopos literis adnexa sunt, summo totius Ecclesiæ assensu cultuque recepta: (*Cap.* 9.) *Tanta enim est erga omnes homines Bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona, & pro his quæ largitus est, æterna præmia sit donaturus*. (*apud Labb. Tom.* 3. *pag.* 476.) Concilium Tridenti-

num *Sessione 6. de Justificatione cap. 16. Bene operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei, per Christum Jesum misericorditer promissa, & tanquam merces, ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda*. Cur porro gratia simul & merces, æterna vita vocitetur, rationem disertissimam reddit Synodus Arausicana II. Canone 18. *Quia debetur merces bonis operibus si fiant: sed gratia, quæ non debetur, præcedit ut fiant*: (apud Labb. Tom. 5. pag. 811.) Quod Augustini dogma est, *Epistola* 194. *ad Sixtum*, & *Libro de gratia & libero arbitrio cap. 6.* Hæc verò ignorasse Theologum Parisiensem, an non monstro simillimum est?

(*Pag.* 25.) IV. *Deus nunc & velle & agere nos facit.*

Nihil æquè sacris Literis & Canonibus familiare. Isaiæ *cap. 26. v. 12. Omnia opera nostra operatus est in nobis.* Ad *Philippenses cap. 2. v. 13. Operatur in vobis & velle & perficere, pro bona voluntate.* II. ad *Corinthios cap. 3. v. 5. Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est.* Cœlestinus *Capitulo 9. Agit quippe in nobis, ut quod vult & velimus & agamus.* Concilium Arausicanum II. *Canone 9. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur.* Et *Canone* 20. *Multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo: nulla verò facit homo bona, quæ non Deus præstat, ut faciat homo.* Concilium Tridentinum *Sessione 6. de Justificatione cap.* 13. *Deus enim nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere.* Qui secus statuat, uti profectò Launojus tota passim scriptione factitat, an non Ecclesiæ judicio prædamnatus est?

(*Pag.* 30.) V. *Universis hominibus in massam perditionis Adæ peccato prolapsis, alios quidem eripere, alios deserere, Deo libuit.*

Apostoli phrasis est omnium disertissima, in *Epistola* ad Romanos *capite 9. v. 21.* & sequentibus: *An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Quòd si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ, in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* Et paulò supra: *Ergo cujus vult miseretur, & quem vult indurat. Dicis itaque mihi, quid adhuc queritur? voluntati enim ejus quis resistit? O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?* Apostoli phrasim, cæteris quibusque Patribus familiarem, ab Augustino usurpari patiatur Launojus; nec suam in ea sugillanda prodat inscitiam & audaciam.

(*Pag.* 30. *&* 90.) VI. *Deus electos vocat vocatione peculiari, quæ nusquam effectu suo vacua est.*

Utraque assertionis pars æquè constat. Priorem tradit Apostolus, locis superiùs appellatis, ubi de vocatione secundùm propositum sermo fieret: hanc enim peculiarem esse nemo negaverit. Alteram Christus ipse declarat, Joannis *capite* 10. *v.* 27. *Oves meæ vocem meam audiunt; & ego cognosco eas, & sequuntur me: & ego vitam æternam do eis; & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.* Et *capite* 6. *v.* 39. *Omne, quod dedit mihi Pater, non perdam ex eo.* Cui geminum est illud Apostoli *ad Romanos* 9. *v.* 11. *Ut secundùm electionem propositum Dei maneret.* Uti & illud dilecti Discipuli *Epistola* 1. *cap.* 2. *v.* 19. *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Qua loquendi ratione significat, nusquam contingere, ut electus ab æterna sorte excidat. Et quidem cùm peculiaris electio, efficacis Dei voluntatis actus sit; quî fieri tandem posset, ut in irritum caderet? De efficaci siquidem voluntate legitur Esther *capite* 13. *v.* 9. *Non est, qui possit tuæ resistere voluntati, si decreveris salvare Israel. Psalmo* 134. *Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit.* Ecclesiastis *cap.* 8. *Omnia, quæ voluerit faciet, & sermo illius potestate plenus est.* Quibus sacrarum Scripturarum oraculis erudita Synodus Valentina, III. ex tribus Galliarum Provinciis, Lugdunensi, Viennensi, Arelatensi coacta, sæculo nono, hanc D. Augustini sententiam Can. 3. consecravit. (Apud Deum) *de omnibus omninò rebus, tam fixa sententia, quàm certa præscientia est.* (apud Labb. Tom. 9. pag. 1152.) Ac tanquam fidei caput decernit *immobilitatem* præscientiæ, & prædestinationis Dei, per quam apud eum futura jam facta sunt: quam sanè qui negat, ne quidem ex limine Theologicam scholam videtur salutasse.

(*Pag.* 30.) VII. *Deus non modò perseverandi potestatem, sed perseverantiam ipsam largitur Electis.*

Citra fidei periculum negari propositio illa non potest. Ad *Philippenses capite* 1. *v.* 6. *Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu.* Ad *Philippenses* 2. *v.* 13. *Operatur in vobis & velle & perficere.* Cœlestinus I. Romanus Pontifex *capitulo* 3. *Neminem etiam Baptismatis gratia renovatum, idoneum esse ad superandas diaboli insidias, & ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei perseverantiam bonæ conversationis acceperit. Et capitulo* 8. *Beatissimæ & Apostolicæ Sedis inviolabiles Sanctiones .... Et bonæ Voluntatis exordia, & incrementa probabilium studiorum, & in eis usque in finem perseverantiam, ad Christi gratiam referre docuerunt* (apud Labb. Tom. 3. pag. 474.) Synodus Arausicana II. *can.* 10. *Adjutorium Dei*

Dei etiam renatis, ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare. (apud Labb. Tom.5. pag.811.) Synodus demum Tridentina *Canone* 22. *Si quis dixerit, justificatum, vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse; anathema sit.* Quæ quidem geminæ Synodi verba, non de nuda perseverandi potestate ab actu sejuncta, sed de ipsa præsertim actui conjuncta perseverantia, intelligenda esse, inde maximè liquet, quod prior justis quibusque communis sit, nec speciale Dei donum censeatur.

(*Pag.* 30.) VIII. *Electi nondum regenerati sacro Baptismate, imò necdum nati, ad id destinantur, ut filii Dei sint.*

Ita planè Gentium Apostolus, ad *Ephesios capite* 1. *v.* 4. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati in conspectu ejus, in charitate. Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum, per Jesum Christum, in ipsum.* Ad *Romanos capite* 9. *v.* 11. *Cùm enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali .... non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Hinc D. Gregorius Magnus *lib.* 1. *Dialogorum cap.* 8. *Ipsa quoque perennis regni prædestinatio, ita est ab omnipotenti Deo disposita, ut ad hoc electi ex labore perveniant: quatenus postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante sæcula disposuit donare.* Certè quid sibi Launojus velit, dum eam in Augustino propositionem cavillatur, haud satis capio. Num fortè prædestinationem ex tempore factam existimat, ac non potiùs æterno Dei consilio? Id si velit, dignum Theologicæ eruditionis specimen edit.

(*Pag.* 31.) IX. *Deus reprobos cordis ipsorum desideriis tradit.*

Spiritu sancto authore nititur Propositio. Ad *Romanos* 1. *v.* 24. *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam; ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis .... Versu* 26. *Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Versu* 28. *Tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea, quæ non conveniunt.* Tam ergo censura vacat Propositio in Augustino, quàm in Apostolo.

(*Pag.* 32.) X. *Homo lapsus indeclinabili, & insuperabili gratia eget, ut bonum agat, ob eam naturæ infirmitatem, in quam primi Parentis peccato incurrit.*

Indeclinabilem, & insuperabilem gratiam, qualem astruit Augustinus *capite* 12. *libri de Correptione, & Gratia*, evincunt Scripturæ loca, quæ absolutam Dei voluntatem, efficacissimam & insuperabilem innuunt: hæc enim istius instrumentum est. *Esther capite* 13. v. 9. *Non est, qui possit tuæ resistere Voluntati, si decreveris salvare Israel. Isaiæ* 14. v. 27. *Dominus enim exercituum decrevit, & quis poterit infirmare? Et manus ejus extenta: &*

quis

quis avertet eam? Ad Romanos 9. v. 19. *Voluntati ejus quis resistit?* Quam utique gratiam a Deo precatur Ecclesia, dum ait: *Nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates*. Hujus porro insuperabilis, ut loquitur Augustinus, auxilii necessitatem, ex naturæ præsertim originali peccato sauciatæ infirmitate, originem ducere, (quæ altera propositionis in invidiam traductæ pars est) decernit Arausicana Synodus II. Canone 25. *Secundum suprascriptas sanctarum scripturarum Sententias, vel antiquorum Patrum definitiones, hoc Deo propitiante, & prædicare debemus, & credere; quod per peccatum primi Hominis inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea aut diligere Deum, sicut oportet, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum est, possit, nisi gratia eum, & misericordia Divina prævenerit*. (apud Labb. Tom. 5. pag. 812.) Quibus paria habent Leo magnus *Epistola 86.* ad Nicetam Aquilejensem Episcopum, Concilium Valentinum trium Provinciarum *cap. 6.* Concilium Tridentinum Decreto de peccato originali, & *Sessione 6.* de Justificatione *cap.* 1.

(*Pag.* 25) XI. *Qui ex electorum numero non sunt, vasa iræ reputantur in interitum destinata.*

Loquendi formula est ab eodem Apostolo consecrata, loco ad quintam Propositionem adnotato, ducta comparatione, ac petita figura, ex veteris Instrumenti codicibus. Isaiæ *cap. 64.* v. 8. *Et nunc Domine, pater noster es tu, nos vero lutum: & fictor noster tu*. Jeremiæ *cap.* 18. v. 6. *Nunquid sicut figulus iste, non potero vobis facere, domus Israel, ait Dominus? Ecce sicut lutum in manu figuli; sic vos in manu mea, domus Israel*. Threnorum *cap.* 4. v. 2. *Filii Sion inclyti, & amicti auro primo: quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli?* Cui ista non placent, universam Theologiam refingat, necesse est: nihil enim habet illa sanctius, nihil antiquius, quam sacras illas loquendi formulas usurpare.

(*Pag.* 32) XII. *Omne electorum meritum a gratia Christi est.*

Evangelica veritas est in sacros Ecclesiæ Canones transfusa. Joannis *capite* 15. v. 4. *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multum; quia sine me nihil potestis facere*. Cœlestinus I. *Capitulo* 5. *Omnia studia, & omnia opera, ac merita Sanctorum ad Dei gloriam laudemque referenda sunt, quia nemo aliunde ei placet, nisi ex eo quod ipse donaverit*. Et capitulo 9. *His ergo Ecclesiasticis regulis, & ex Divina sumptis authoritate documentis, ita adjuvante Domino conformati sumus, ut omnium stu-*

ſtudiorum, omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum fateamur Authorem, & non dubitemus ab ipſius gratia hominis merita præveniri, per quem fit, ut aliquid boni, & velle incipiamus & facere (apud Labb. Tom. 3. pag. 474.) Leo magnus *Epiſt.* 86. ad Nicetam Aquilejenſem Epiſcopum : *Gratia unicuique principium juſtitiæ, & bonorum fons, atque origo meritorum eſt*. Concilium Trid. ſeſſ. 6. de juſtif. cap. 16. *Cùm enim ille ipſe Chriſtus Jeſus, tamquam caput in membra, & tamquam vitis in palmites, in ipſos juſtificatos jugiter virtutem influat: quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, & comitatur, & ſubſequitur, & ſine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria eſſe poſſent: &c. ...Dei tanta eſt erga omnes homines bonitas, ut eorum velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona*. An non quæſo Theologi nomine indignus, qui iſthæc vertat in dubium?

(*Pag.* 32.) XIII. *Voluntas humana tanto liberior cenſenda eſt, quanto Divinæ gratiæ ſubjectior*.

Et hoc Chriſti oraculum eſt, Pontificum & Conciliorum definitionibus explicatum. *Joannis* 8. v. 36. *Si vos filius liberaverit, verè liberi eritis*. Cœleſtinus laudato ſupra *Capitulo* 9. *Quo utique auxilio & munere Dei, non aufertur liberum arbitrium, ſed liberatur; ut de tenebroſo lucidum, de pravo rectum, de languido ſanum, de imprudente ſit providum*. (apud Labb. Tom. 3. pag. 476.) Synodus verò Arauſicana II. *can.* 13. *Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, niſi per gratiam Baptiſmi non poteſt reparari: quod amiſſum, niſi a quo potuit dari, non poteſt reddi*. (apud Labb. Tom. 5. pag. 1.

(*Pag.* 47.) XIV. *Hominum merita in Adam periere*.

Catholici dogmatis, quo omnes in Adam periiſſe, vaſaque iræ, & contumeliæ factos eſſe profitemur, conſectarium iſtud eſt. *Ad Romanos cap.* 5. v. 12. *cap.* 9. v. 21. & 22. Quomodo enim in eo non periere hominum merita, in quo omnes homines periere? Non ſic tamen merita periiſſe putanda ſunt, quaſi nulla, etiam ex Chriſti gratia ſoboleſcant; quæ Calvini ſtultitia eſt: ſed quòd nulla, ex primævæ inſtitutionis & creationis honore relicta ſint.

. (*Pag.* 47.) XV. *Non ideo electi ſumus, quod nos ſanctos futuros præviderit Deus: ſed ideo ſancti erimus, quia ex æternitate electi ſumus*.

Id profecto ſignificatum voluit Apoſtolus, ad *Epheſios capite* 1. v. 4. dum inquit: *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti, & immaculati*. Non igitur, quia tales futuri eramus, electi ſumus, ſed ut tales tandem eſſemus. Idcircò æterna electorum vocatio ſortis nomine deſignatur ſacris in literis: ut quemadmodum, quæ ſorte nobis obveniunt, nulla meritorum ra-

ratione habita, nobis dicuntur obtingere; ita æterna felicitas, nondum exploratis meritis, destinatur a Deo, sed ut merita consequamur. Ad *Ephesios* 1. v. 11. *Sorte vocati sumus*. Ad *Colossenses* 1. v. 12. *Dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine*. Quibus robur addit Christi Domini sententia, de extrema persecutione, *Matthæi cap.* 24. *v.* 22. *Nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro; sed propter electos breviabuntur dies illi*: Imò quia illos elegit, ut innuit Marcus *cap.* 13. *v.* 20. *Propter electos, quos elegit, breviavit dies*. Ideo ergo removentur a Deo impedimenta salutis, quia electi sunt: quid ni quoque hac ipsa de causa, salutis media conferantur, ut ideo quoque sancti sint, quia electi? Una quippe eademque ratio subest, & removendis impedimentis, & mediis conferendis. Quocirca Synodus Valentina *canon.* 3. *Fidenter fatemur prædestinationem Electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem: in electione tamen salvandorum, misericordiam Dei præcedere meritum bonum; in damnatione autem periturorum, meritum malum præcedere justum Dei judicium*. (apud Labb. Tom. 9. pag. 1159.) Quo nempe reprobi æternis tandem suppliciis addicuntur. At de his supra, ad Propositionem secundam, & tota passim Scriptione hac nostra.

(*Pag.* 47.) XVI. *Deus corda hominum, ut libet inflectit, ut quæ æterno consilio statuit, executioni demandet*.

Quis id neget, nisi in sacris Literis peregrinus & hospes? *Proverbiorum cap.* 21. *v.* 1. *Cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit, inclinabit illud*. *Esther cap.* 14. *v.* 13. sic Deum interpellat religiosa mulier: *Transfer cor illius* (nimirum Regis Assueri) *in odium hostis nostri, ut & ipse pereat, & cæteri, qui ei consentiunt*. *Ezechielis* 36. *v.* 26. *Dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri; & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum. Et spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis, & operemini*. *Lib.* 2. *Machabæorum cap.* 1. *v.* 3.: *Et det Deus vobis cor omnibus, ut colatis eum, & faciatis ejus voluntatem corde magno, & animo volenti. Adaperiat cor vestrum in lege sua & in præceptis suis, & faciat pacem*. *Actorum* 16. *v.* 14. de Lydia purpuraria legitur: *Cujus dominus aperuit cor, intendere his, quæ dicebantur a Paulo*. Aliaque id genus numero multa: secundùm quæ in Capitulis adnexis Epistolæ Cœlestini ad Gallos Episcopos, brevi compendio scriptum est: *Agit quippe in nobis, ut quod vult, & velimus & agamus*: ea videlicet potestate, qua hominum corda quocumque libet, inflectit.

(*Pag.* 47. & 91.) XVII. *Dei gratia & prædestinatione fit, ut æterna salute digni simus, non merito voluntatis nostræ*.

. Et id ex Apoſtolo ſumtum. Ad *Titum cap.* 3. *v.* 5. *Non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit*. II. Ad *Timotheum cap.* 1. *v.* 9. *Vocavit* (nos) *vocatione ſua ſancta, non ſecundùm opera noſtra, ſed ſecundùm propoſitum ſuum, & gratiam*. Ad *Romanos* 9. *v.* 16. *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*. Ad *Coloſſenſes cap.* 1. *v.* 12. & 13. *Dignos fecit in partem ſortis Sanctorum in lumine : qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in Regnum filii dilectionis ſuæ*. Hæc nuſquam legiſſe Launojum credere malim, quàm ſi legerat, ſugillaſſe.

(*Pag.* 48.) XVIII. *Totum Deo tribuendum*.

Sacrum oraculum eſt, a nemine, cui aliquis religionis ſenſus fuerit, vertendum in dubium. *Primæ ad Corinthios cap.* 4. *v.* 7. *Quid habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? Jacobi cap.* 1. *v.* 17. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens a Patre luminum*. I. Ad *Corinthios cap.* 12. *v.* 6. *Operatur omnia in omnibus*. *Iſaiæ* 26. *v.* 12. *Omnia opera noſtra operatus eſt nobis*. Zoſimus Romanus Pontifex, Epiſtola ad totius Orbis Epiſcopos data, cujus fragmentum Cœleſtini Capitulis inſertum eſt : *Omnia bona* inquit, *ad ſuum autorem referenda ſunt, unde naſcuntur*. Epiſcopi Africani, Epiſtola eidem Pontifici Maximo inſcripta : *In bonis quibuſque voluntatis humanæ ſingulis motibus, magis illius valere non dubitemus auxilium*. Cœleſtinus I. *Capitulo* 8. *Adeo totum Divini operis eſſe ſentitur, ut hæc efficienti Deo gratiarum ſemper actio, laudiſque confeſſio, pro illuminatione talium, vel correctione referatur*. In clauſula verò iiſdem Capitulis ſubjecta : *Cujus operi ac dignationi nihil penitus ſubtrahendum eſt*. (apud Labb. Tom. 3. pag. 476.) Synodus Arauſicana II. contra Semipelagianos errores celebrata, *Canone* 16. *Nemo ex eo quod videtur habere, glorietur, tanquam non acceperit .... Inde habet quicumque habet. Quiſquis autem ſe inde habere negat, aut verè non habet, aut id, quod videtur habere, auferetur ab eo*. (apud Labb. Tom. 5. pag. 811.) Sanctus Cyprianus Martyr (ut reliquos Patres miſſos faciam) libro 3. Teſtimoniorum ad Quirinum cap. 4. : *In nullo gloriandum, quando noſtrum nihil ſit*. Quo Sanctiſſimi Martyris teſtimonio utitur identidem Auguſtinus, ut Pelagianis ac Maſſilienſibus ad veterum ſententiam provocantibus ora præcludat.

(*Pag.* 90.) XIX. *Bonus uſus gratiæ a gratia eſt*.

Ex ſuperioribus Propoſitionibus, maximè vero 4. 7. 10. 12. 16. & 18. ſponte fluit. Quandoquidem enim bonus gratiæ uſus voluntatis actus eſt, meritum præ ſe ferens, non eſt virtuti gratiæ ſubtrahendus. Ad hæc : Gratiæ efficacia, indeclinabilis & inſuperabi

rabilis minimè censeretur, si ejusdem usus ab ipsa non esset, sed ex voluntatis nutu suspenderetur : nec totum Deo adscriberetur, si quod optimum est, imò sine quo totum irritum est, hoc sibi liberum arbitrium arrogaret.

Propositiones D. Augustino ab Launojo perperam affictæ.

(*Pag.* 25. & 61.) I. Propositio. *Non ob aliud reprobi creantur a Deo, quàm ut ejus justitiæ pœnas subeant, atque æterno igne cum dæmonibus ardeant.*

Atrocissima calumnia est, jam olim gratiæ Vindici, ab Authore Vincentianarum objectionum impacta, & a Divo Prospero dedita opera confutata, in celebri Responso ad Capitula objectionum Vincentianarum : quas uti *ineptissimarum blasphemiarum prodigiosa mendacia* propulsavit. Ita quippè ferebat tertia Semipelagiani calumniatoris objectio : *Quòd Deus* (ex Augustini sententia) *majorem partem generis humani ad hoc creet, ut illam perdat in æternum*. Cui gemina erat quæ proximè sequebatur, numero 4. *Quòd major pars generis humani ad hoc creetur a Deo, ut non Dei, sed diaboli faciat voluntatem*. Quo etiam collimabat septima, his verbis expressa : *Quòd hæc sit voluntas Dei, ut magna pars Christianorum salva esse nec velit, nec possit*. A quibus opinionum monstris abhorrere D. Augustinum, multis ostendit doctissimus Aquitanus, ab hac præclara aureaque sententia ducto exordio. *Omnium quidem hominum Creator est Deus : sed nemo ab eo ideò creatus est, ut periret. Quia alia est causa nascendi, & alia est causa pereundi. Ut enim nascantur homines, Conditoris est beneficium : Ut autem pereant, prævaricatoris est meritum .... Nimis ergo impius, & indoctus est, qui vitium naturæ non discernit ab Authore naturæ : a quo prorsus alienum est, quicquid in unoquoque damnandum est. Creat enim homines, ut sint homines : nec multiplicandis generationum successionibus Opificium suum subtrahit, secundùm consilium bonæ voluntatis suæ, reparaturus in multis, quod ipse fecit, puniturus in multis, quod ipse non fecit.*

(*Pag.* 25. & 31.) II. Propositio. *Ad Mundi duntaxat ornatum, aliorumque utilitatem nascuntur reprobi.*

Et hæc decima tertia Gallorum objectio fuit. *Quidam homines non ad hoc a Deo creati sunt, ut vitam adipiscerentur æternam, sed ut habitum tantummodò sæculi præsentis ornarent, & ad utilitatem nascerentur aliorum*. Quam quidem ex eo capite falsi, & calumniæ postulat D. Prosper, quòd ad id *tantummodo*, ex Augustini sententia, reprobi nati dicantur : cùm illos ad id *etiam* natos, simpliciter dixerit Sanctissimus Doctor. Porrò quod unum

in propositione dolo malo conficta, Augustini revera est, nulli subesse calumniæ, hac erudita observatione demonstrat, qua Launoji simul ac Semipelagianorum maledicentia elisa est, *Capite* 13. *Responsionis ad Capitula Gallorum. Ornari autem etiam talium conditione mundi hujus varietatem quis non intelligat, qui videat studiis, & operibus quorumdam impiorum, tot commoda vitæ præsentis instructa, in inventione artium, in extructione urbium, in constitutione legum, in confœderatione populorum? Quod si quæritur, an de istis, quos a vera Religione impius error avertit, aliquid boni profectibus Sanctorum, & incrementis Ecclesiæ providentia Divina contulerit: inspiciatur primum ipsa Crux Christi, in qua magno scelere Judæorum misericors Voluntas Dei, ut pro redemptione nostra, unicus filius ejus occideretur, impleta est. Inspiciatur Apostolorum gloriosa tolerantia, inter persequentium fremitus, unanimi voce ad Deum clamantium:* Act. 4. v. 27. Convenerunt verè in Civitate ista, adversus Sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes & Pilatus, cum gentibus & populis Israel, ut facerent, quæ manus tua, & consilium prædestinavit fieri. *Inspiciantur denique innumerabilium Martyrum palmæ, quibus de crudelissima infidelium sævitia, felix est collata Victoria. Audiatur etiam Apostolus, Ecclesiam Dei ad perseverantiam pietatis instituens dum ad Phil.* 1. in nullo, *inquit*, terreamini ab adversariis, quæ est illis causa perditionis, vobis autem salutis, & hoc a Deo. Vobis enim donatum est pro Christo, non solum, ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini. *De illis quoque erroribus consulens nobis Dei bonitas sentiatur, quos Deus in Ecclesia contra Ecclesiam permisit exurgere: non utique eos creans, aut fovens, sed per ipsos diligentiam filiorum suorum, ad inquisitionem, & custodiam veritatis exercens &c.* Hactenus D. Prosper. Tametsi nil juvat exempla congerere, ut perspectum cuique fiat, in electorum quoque utilitatem & gloriam, cedere reproborum ortum, & vitam. Brevi verbo rem totam conficit Apostolus, & Augustinum ab æmulis traductum absolvit: Ad *Romanos capite* 9. *v.* 22. *Sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.*

(*Pag.* 31.) III. Propositio. *Tales Deus in hanc lucem reprobos edit, ut aliud omnino esse non possint.*

In decimam quartam, & decimam quintam objectionem Vincentianam recidit ea Launoji calumnia. Prior quippe sic habet: *Quia magna pars illa Christianorum Catholicorum fidelium atque Sanctorum, quæ ad ruinam & perditionem prædestinata est, etiamsi petat a Deo sanctitatis perseverantiam, non impetrabit*, eò quòd *mutari non potest Divina prædestinatio, quæ illos præordinavit,*

præ-

præparavit, præaptavit, ut caderent. Altera verò sic: *Quòd omnes illi fideles & sancti, qui ad æternam mortem prædestinati sunt, posteaquàm crediderint, sic a Deo dispensentur, ne possint vel velint per pœnitentiam liberari*. Calumniam ex ambiguis Augustini *verbis conflatam ita diluit D. Prosper*: (*Nemini autem Deus correctionis adimit viam, nec quemquam boni possibilitate dispoliat. Quia qui se a Deo avertit; ipse & velle, quod bonum est, & posse sibi sustulit. Non est ergo consequens, sicut putant, qui talia objiciunt, ut Deus, quibus pœnitentiam non dederit, resipiscentiam abstulerit; & quos non levaverit, alliserit: cùm aliud sit insontem in crimen egisse, quod alienum est a Deo; aliud criminoso veniam non dedisse, quod de peccatoris est merito*).

Neminem igitur Deus in lucem edit, juxta Augustini principia, ut reprobus sit, tametsi quos reprobavit, in lucem edat. Tales quidem certissime erunt ii, non quia aliud esse non poterunt, sed quia aliud esse nollent, quàm quod illos futuros ipse præscivit. [*Neque enim ideò peccat homo*, (*libri* 5. *de Civitate Dei cap.* 10. verba sunt) *quia Deus illum peccaturum esse præscivit: imò ideo non dubitatur ipsum peccare, cùm peccat, quia ille, cujus præscientia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccaturum esse præscivit. Qui si nolit, utique non peccat: sed si peccare noluerit, hoc etiam ille præscivit*].

Quàm præposterè verò, ex indeficientia divinæ præscientiæ, sublatum hominis arbitrium colligerent aliqui, invicta planè ratione, superiori capite demonstraverat, quam omnibus alta mente defixam opto. [*Non est autem consequens, ut si Deo certus est ordo omnium caussarum, ideò nihil sit in nostræ voluntatis arbitrio. Et ipsæ quippe nostræ voluntates in caussarum ordine sunt, qui certus est Deo, ejusque præscientia continetur; quoniam & humanæ voluntates humanorum operum caussæ sunt. Atque ita, qui omnes rerum caussas præscivit, profectò in eis caussis etiam nostras voluntates ignorare non potuit, quas nostrorum operum caussas esse præscivit*]. *lib.* 5. *de Civitate Dei cap.* 9.

(*Pag.* 47.) IV. Propositio. *Deus justis non prædestinatis gratias subtrahit, ut obedire desistant*.

Hanc sibi a Massiliensibus structam sycophantiam depellit Augustinus ipse, *Libro de dono perseverantiæ capite* 22. *Jam verò quod illis verbis connectitur, miror si ullo modo potest in populo Christiano quisquam infirmus patienter audire, cum dicitur eis:* Et si qui obeditis, si prædestinati estis rejiciendi, subtrahentur obediendi vires, ut obedire cessetis. *Hoc enim dicere quid videtur aliud esse, quàm maledicere, aut mala quodammodo prophetare?* Et qui quæso, ex Augustini sententia, justis aliquibus gratiam subtraheret

beret Deus, ut obedire desistant: cum contra nemini justo gratiam a Deo subtrahi doceat, nisi prius obedire destiterit? *Deus*, inquit ille *Libro de Natura & Gratia capite 26.* sua gratia semel justificatos non deserit, nisi prius ab eis deseratur. Et *Libro de dono Perseverantiæ capite 6. Voluntate sua quisque deserit Deum, ut merito deseratur a Deo.*

Eandem, vocato ad superos Augustino, novis tibiis decantarunt æmuli obtrectatores, quorum hæc erat objectio, numero duodecima, inter Capitula Gallorum: *Quod quibusdam vocatis, & pie justeque viventibus obedientia subtrahatur, ut obedire desistant:* Et hæc rursus, inter objectiones Vincentianas, ordine decima tertia: *Quia omnes illi fideles & sancti, qui ad æternam mortem prædestinati sunt, quando ad vomitum suum relabuntur, vitio quidem suo hoc facere videntur; sed ipsius vitii caussa est divina prædestinatio, quæ illis latenter subtrahit bonas voluntates.* Quo probro Magistrum liberat doctissimus Aquitanus: illosque sycophantiæ, ac mendacii postulat, qui tam insana paradoxa ex ejusdem principiis derivarent.

Propositiones ancipites, recto sensu ab Augustino propugnatæ, sed in pravum a Launojo per invidiam detortæ.

(*Pag.* 24. 29. 48.) I. Propositio. *Deus non omnes homines universim salvos fieri vult.*

In varios sensus distrahi propositio illa potest, juxta quorum intelligentiam, eadem recipienda, vel reprobanda judicatur. Namque si de voluntate efficaci, & absoluta, quam Theologi de Schola consequentem appellant, intelligatur, catholica est, & Christi Domini sententiæ consona, qua se non pro Mundo, sed pro electis duntaxat orare professus est, *Joannis* 17. v. 9. *Non pro Mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt.* Atque de ea duntaxat locutus est Augustinus, quoties celebre Apostoli dictum *I. ad Timotheum cap.* 2. v. 4. *Deus vult omnes homines salvos fieri*, non de singulis generum, sed de generibus singulorum exposuit. Verùm si de generali, & inefficaci voluntate, quam antecedentem Schola vocitat, accipiatur propositio, hæresis est, ab ipsomet Augustino damnata, *Libro de Spiritu & Litera cap.* 33. Ubi Deum ipsos etiam infideles, extremo judicio damnandos, salvos fieri velle disertissime docet. *Vult autem Deus* inquit, *omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire; non sic tamen, ut in eis adimat liberum Arbitrium, quo vel bene, vel male utentes, justissime judicentur. Quod cùm sit, infideles contra voluntatem Dei faciunt, cùm ejus Evangelio non credunt: nec ideo* ta-

tamen eam vincunt, verum se ipsos fraudant magno & summo bono, malisque pœnalibus implicant, experturi in suppliciis potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contemserunt.

Quare cùm alias Augustini phrases in invidiam traherent Massilienses, ut negatam prorsus ab eo generalem illam salutis omnium voluntatem objicerent, Magistri mentem aperuit doctissimus Aquitanus, hac præclara sententia *in responsione ad objectionem XV.* octavo Gallorum capitulo opposita. [*Qui dicit, quod non omnes homines velit Deus salvos fieri, sed certum numerum prædestinatorum, durius loquitur, quàm loquendum est, de altitudine inscrutabilis gratiæ Dei, qui & omnes vult salvos fieri, atque in agnitionem veritatis venire; & voluntatis suæ propositum in eis implet, quos præscitos prædestinavit, prædestinatos vocavit, vocatos justificavit, justificatos glorificavit.*] Hæc ille, queis generalem voluntatem ad omnes prorsus homines, etiam extra numerum prædestinatorum extendit; eam verò, quæ secundum propositum est, erga solos prædestinatos agnoscit.

(*Pag.* 24. 29. 48.) II. Propositio. *Non omnes a Christo redemti sunt.*

Priori Propositioni affinis est ista, ac perinde versatilis. Eo accepta sensu, quod non omnes mortis Christi fructum percipiant, & a captivitate non omnes eruti sint, quo pacto ab Augustino frequentiùs accipitur, Concilii Tridentini doctrina est, *Sessione 6. de Justificatione cap.* 3. *Non tamen omnes mortis ejus beneficium recipiunt.* In eum vero sensum translata, ut sanguis ejus non fuerit pro singulis sufficienter effusus, non modo sufficientia pretii, verùm etiam sufficientia voluntatis, hæretica est, ab Augustino proscripta, locis bene multis *capite* 7. proferendis.

III. Propositio. *Deus homines prædestinat sine meritis.*

Duplex huic propositioni notio subjicitur. Vel enim de æterna electione sermo venit, vel de supernæ gloriæ largitione, quæ transacto mortalis vitæ spatio, fit a Deo. Si de æterna electione, Apostolica sententia est, locis paulo ante laudatis ad 1. 2. & 13. Propositionem prioris Indiculi. Si de gloriæ largitione sermo fiat, quasi homines æterna gloria donari dicantur, sine meritis, error est, a Sancto Doctore data opera confutatus, *Libro de Natura & gratia cap.* 8. *Epistola* 194. ad Sixtum, *Libro de Gratia & libero arbitrio cap.* 6.

Quamquam autem iis ipsis in libris obiter innuat, Dei dona coronari, dum nostra merita coronantur; non idcircò coronam meritis rependi diffitetur: sed ipsa, quibus rependitur, merita, Dei dona esse contendit. *Cui redderet coronam justus judex, si non donasset gratiam misericors Pater? Et quomodò esset ista corona justitiæ,*

nisi

nisi præcessisset Gratia, quæ justificat impium? Quomodo ista debita redderetur, nisi prius illa gratuita donaretur? Lib. de Gratia, & libero arbitrio cap. 6.

(*Pag.* 24. & 25.) IV. Propositio. *Gratia sola Electos secernit a reprobis.*

Bifariam efferri potest: Primò, quasi gratia discretionis origo sit, ac totius meriti prima radix; quo sensu & Augustini decretum, & Apostoli oraculum est, *Primæ* ad *Corinthios capite* 4. *v.* 7. *Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Secundò, quasi nihil in Electis reperire sit, præter Gratiam, non studium, non industriam, non laborem, non operæ collationem; quo pacto horrendum paradoxum est, in quod stylum acuit Augustinus *Libro de dono perseverantiæ capite* 15. & *Sermone* 156. de verbis Apostoli.

(*Pag.* 25.) V. *Adam libero malè usus arbitrio libertatem amisit.*

Duplicem habet intelligentiam; Augustinianam unam & orthodoxam, ab Innocentio I. Cœlestino I. Leone I. & a Synodis Arausicana, & Tridentina, de quibus *capite* 7. sermo incidet, propugnatam: hominem scilicet, felici ac pacata illa, qua fruebatur in Paradiso, libertate devolutum esse: hæreticam alteram, ab Augustino ante, & post exortos Pelagianos, constanter, ac peculiari studio confutatam: ita nempè hominem, admisso peccato, libertate exutum esse, ut nec eligendi in præsentia facultate polleat, nec ad utrumlibet flecti queat. In quem errorem totis lacertis depugnat Sanctissimus Doctor *libro* 3. *de lib. arbitrio capp.* 18. & 19. *Libro de duabus animabus capp.* 11. & 12. *Libro* 2. *de Actis cum Felice Manichæo capp.* 3. & 4. *Libro de vera Religione cap.* 14. *lib.* 2. *de nuptiis & concupiscentia cap.* 3. *Libro de Natura & gratia capp.* 32. 43. 64. 65. 67. *Libro de Spiritu*, & *Litera capp.* 3. 33. & 34. *Libro de Gratia*, & *libero arbitrio capp.* 2. & 15.

(*Pag.* 25.) VI. *Post peccatum primi Parentis liberum arbitrium ad bonum, nullum est: nec nisi ad peccandum vales.*

In duas sententias accipi potest. Si enim de libero arbitrio, sibi ipsi & contractæ infirmitati relicto, & de bono naturam superante accipiatur, Arausicanæ Synodi definitio est, *Canone* 22. *Nemo habet de suo nisi mendacium, & peccatum* (apud Labb. Tom. 5. pag. 812.) Si de libero arbitrio divina Gratia adjuto explicetur, ut nec in bonum opus nulla ex parte vitiatum possit unquam assurgere; Lutheri commentum est, ab Augustino in antecessum occupatum *Sermone* 33. *de Diversis. Sub Gratia sanante, juvante, delectante implet legem: quæ non est ei pondus, sed decus: nec timenti tormentum est, sed amanti ornamentum.*

(*Pag.* 25.) VII. *Ita Deus velle, & perficere operatur in nobis, ut ei liberum arbitrium obsistere nequeat.*

Pa-

Patitur & ista duplicem sensum. Aut enim de obsistendi potestate actui conjuncta, sermo fit; ut nimirum contingere reapse non possit, ut Deo efficaci gratia moventi resistat homo: estque Augustiniana, eademque probatissima doctrina, laudatis paulò suprà Scripturarum, (*Prop. 6. & 9.*) Conciliorum, atque Pontificum testimoniis confirmata. Aut de potestate ab actu sejuncta, quam Scholæ Magistri antecedentem appellant, sermo venit; quasi ne dissentiendi quidem potentiam servet homo, sub imperio divinæ gratiæ: estque Lutheri detestandus error, ab Augustino apertissimè prædamnatus, cùm alibi sæpè, tùm maximè *Libro de Spiritu & Litera cap.* 34. *Quando Deus agit cum anima rationali, ut ei credat; neque enim credere potest quodlibet libero arbitrio, si nulla sit suasio, vel vocatio, cui credat; profectò & ipsum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus misericordia ejus prævenit nos: consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriæ voluntatis est.*

(*Pag.* 30. & 31.) VIII. *Prædestinati perire omninò non possunt, quidquid demum accidat, quia Deus nequidem à libero hominis arbitrio vinci potest.*

Anceps Propositio est, eodem planè modo, atque superior exponenda. Si velis prædestinatum damnari non posse, quòd potestate consequenti id accidere nequeat, ob divini consilii indéficientiam; cum Augustino & Ecclesia Catholica loqueris: *Deus cujus providentia in sui dispositione non fallitur:* idque planè evincunt laudata ad 1. & 6. Propositionem prioris Indiculi testimonia. At si prædestinatum damnari non posse contendas, quòd æterna dispositio dissentiendi facultatem abstulerit, absolutamque necessitatem indiderit; impiam vocem emittis, & Augustinum adversarium experiris, loco ante appellato.

Hoc triplici Propositionum Indiculo, adjectaque cuique notatione, satis opinor intelligis, quàm deformatum Augustinianæ Doctrinæ specimen exhibuerit audacissimus criminator: non paucis per invidiam affictis, pluribus iniquè detortis, reliquis nulla ratione, imò contra disertissima Scripturarum, Pontificum, Conciliorum oracula, vellicatis. Retusa jam dudum Semipelagianorum tela recudi ab eo vides, veteres nænias novam in scenam induci: quodque dolendum magis, per Augustini latus, Ecclesiam Catholicam peti, fideique capita longè multa, ex Sanctissimi Præsulis scriptis, in sacros transfusa canones, erroris petulanter insimulari. Ec hæc tamen prima Bellatoris nostri velitatio est, prima impressio, imò nuda belli in Augustinum denunciatio. Quid futurum, ubi totum triariorum robur emittet?

CAPUT TERTIUM.

Prima Launojanæ narrationis calumnia depellitur. Quo cultu Augustini de gratia & prædestinatione doctrina, ab Innocentio, Zozimo, & Episcopis Africanis, ut primùm vulgari cœpit, excepta sit.



Istoricam narrationem, de adversa Augustinianæ Doctrinæ fortuna, quam, ut primùm lucem aspexit, in Ecclesia Catholica passa sit, daturus Launojus, ut hanc omnibus invisam, despectam, rixarumque, ac turbinum fontem ostenderet, haud modicum temporis intervallum silentio mittit. Tacito enim Innocentii I., ac Zozimi Pontificatu, quo ex tempore sua jam dogmata vulgaverat Sanctissimus Doctor, a Bonifacii I. temporibus exordium ducit: unum duntaxat innuens, Augustini doctrinam, statim atque vulgari cœpta est, omnium in se odia concitasse, quòd antiquæ Majorum Traditioni adversa esset. Nos ne quid integræ Augustinianæ Doctrinæ defensioni desit, tacita Launojo tempora retractamus; & quantum illi ab Innocentio, Zozimo, & Præsulibus Africanis, authoritatis, ac dignitatis accesserit, hoc integro capite palam facimus: in reliquis Criminatoris vestigia insecuturi; ac suam illam, quam comminiscitur, superiorum Augustino sæculorum contrariam Traditionem, omnium ultimò confutaturi.

Et quidem Innocentium I., Zozimum, & Præsules Africanos, quorum judiciis hæresis Pelagiana prostrata est, in Augustini de Gratia, & Prædestinatione sententiam descendisse, eidemque calculum adjecisse, neminem arbitror negaturum, qui rerum ea ætate gestarum seriem diligentiùs observarit. Hanc Lectorum oculis subjicere satis fuerit, ut si quis ea parte scrupulus supersit, eximatur.

Librum in primis *de Natura & gratia*, quò malè natum Pelagii libellum, a religiosis adolescentibus Timasio, & Jacobo anno 415. transmissum confutaverat Augustinus, fecere suum sanctissimi Præsules, Aurelius, Alipius, Evodius, & Possidius: ac veluti commune responsum, totiusque venerandi Ordinis, adversùs nascentem hæresim, instrumentum, ad Innocentium I. transmisere: dum una cum Augustino, Literas illi religionem, ac zelum spirantes dedere; quo summum Ecclesiæ Pastorem in subeuntes lupos communibus studiis excitarent. (*Misimus*, inquiebant, *Reverentiæ tuæ librum*

brum, quem dederunt quidam religiosi, & honesti adolescentes servi Dei, quorum etiam nomina non tacemus; nam Timasius, & Jacobus vocantur: qui, sicut audivimus, & etiam nosse dignaris, ipsius Pelagii exhortatione, spem, quam habebant in sæculo, reliquerunt, & nunc continentes Deo serviunt. Qui cùm eodem errore tandem aliquando, per qualemcumque operam nostram, Domino inspirante, caruissent, protulerunt eundem Librum, Pelagii esse dicentes, & ut ei responderetur impendiò rogaverunt. Factum est: Ad eosdem rescripta est ipsa Responsio: agentes gratias rescripserunt. Utrumque misimus, & cui responsum est, & quod responsum est. Et ne nimiùm essemus onerosi, signa fecimus his locis, ubi petimus inspicere non graveris &c.) Extat Epistola hæc inter Augustinianas numero 177.

Quin & hunc *de Natura & gratia* transmissum librum ab Sanctitate sua mutuo Rescripto probari postularunt Præsules Africani, sub Epistolæ finem. *Dabit sane nobis veniam suavitas mitissima Cordis tui, quòd prolixiorem epistolam fortassis quàm velles, tuæ misimus Sanctitati. Non enim rivulum nostrum tuo largo fonti augendo refundimus; sed in hac non tamen parva tentatione temporis, unde nos liberet, cui dicimus:* ne nos inferas in tentationem: *Utrum etiam noster licèt exiguus, ex eodem, quo etiam tuus abundans emanet capite fluentorum, hoc a te probari volumus; tuisque Rescriptis de communi participatione unius gratiæ consolari.*

Quid ad hæc Innocentius? Descendit in supplicum vota: suscepta a Sanctissimis Præsulibus divinæ gratiæ vindicias laudibus extulit, directas epistolas absolutissimas dixit, seque eadem cum ipsis sentire, dato Rescripto significavit. *Fraternitatis vestræ literas plenas fidei, totoque religionis Catholicæ vigore firmatas, a duobis missas Conciliis, per fratrem & Coepiscopum nostrum Julium pergrato suscepimus animo; quòd earum tenor, omnisque contextio in consideratione quotidianæ gratiæ Dei, & in eorum correctione, qui contra sentiunt, integra ratione consistit: ut, & illis omnem tollere possit errorem, & idoneum dato quovis nostræ legis exemplo, quem sequi debeant, dignum possit præbere Doctorem.* Et multis interjectis, queis Divinam gratiam commendat: *Nam hoc loco,* inquit, *latiùs de lege disputare, velut coram posito repugnanteque Pelagio, necessarium esse non duximus, cùm vobiscum totam scientibus,* PARIQUE NOBISCUM ASSENSIONE GAUDENTIBUS *colloquamur.*

Nihil itaque dubitandum, Præsules illos Africanos, & Innocentium I. Ecclesiæ Romanæ Pontificem, contenta *Libro* illo *de Natura & gratia* doctrinæ capita, non modò ab omni erroris suspi-

cione libera censuisse; verùm etiam uti sua concordi suffragio statuisse, defendisse, publicasse. Porro gratiam se ipsa victricem, gratuitamque prædestinationem eo volumine defendi; easdemque loquendi formulas, gratiæ, ac prædestinationis explicandæ modos, Apostolicorum oraculorum interpretationes, phrases, principia, consectaria, primo ac tertio Indiculo repræsentata, quibus duo illa dogmata stare contendit audacissimus criminator, eodem illo *de Natura & gratia Libro* contineri, ne ipse quidem, si sensum habet, ibit inficias.

Ingens enim illud innocentis hominis ac lapsi discrimen, unde diversæ gratiæ necessitas orta est, ab Augustino *Libro de Correptione & gratia*, fusè latèque constitutum, ut lapsum hominem, gratia *indeclinabiliter & insuperabiliter* agi demonstraret, (quo uno universam Sanctissimi Doctoris de gratia doctrinam uti cardine volvi, a plerisque creditum est) toto fermè hoc libro *de Natura & gratia* inculcatur; & Pelagio solam *possibilitatis* gratiam ingerenti, in faciem illiditur. *Capite* 43. *Verum est autem quod ait* (Pelagius): quod Deus tam bonus quàm justus talem hominem fecerit, qui peccati malo carere sufficeret, sed si voluisset. *Quis enim eum nescit sanum & inculpabilem factum, & libero arbitrio, atque ad justè vivendum potestate libera constitutum? Sed nunc de illo agitur, quem semivivum latrones in via reliquerunt: qui gravibus saucius confossusque vulneribus, non ita potest ad justitiæ culmen ascendere, sicut potuit inde descendere. Capite* 48. *Si de integra & sana hominis natura loqueretur, quam modò non habemus .... nec sic rectè diceret, quod non peccare nostrum tantummodò sit, quamvis peccare nostrum esset: nam & tunc esset adjutorium Dei, & tanquam lumen sanis oculis, quo adjuti videant, se præberet volentibus. Quia verò de hac vita disputat, ubi* corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem; *miror quo corde, etiam sine adjutorio medicinæ Salvatoris nostri, nostrum putat esse non peccare; posse verò non peccare naturæ esse contendat; quam sic apparet esse vitiatam, ut hoc majoris vitii sit non videre*. Hæc ibi, quibus similia habet *capite* 49. & 51.

Pari animi sententia amissam per peccatum originale bene agendi potestatem, libris ab Launojo in invidiam traductis, toties inculcatam, quam ut impium gratiæ se ipsa efficacis consectarium sugillat audacissimus criminator, isto etiam Libro data opera demonstrat Sanctissimus Doctor: & Pelagio eandem naturæ insitam dictitanti ore verberat inclementiùs. Capite 49. *Sed de homine*, inquit, *sanis pedibus tolerabiliter dici potest, velit nolit, habet ambulandi possibilitatem: confractis verò, & si velit, non habet. Vi-*

Vitiata est natura de qua loquitur. Quid superbit terra, & cinis? Vitiata est, medicum implorat. Capite 51. *Cæcus puto, quòd velit videre, sed non potest: Si autem vult, & non potest, inest voluntas, sed amissa est possibilitas.* Capite 53. *Quid tantùm de naturæ possibilitate præsumitur? Vulnerata, sauciata, vexata, perdita est.*

Non absimiliter excisam Protoparentis vitio humani arbitrii libertatem, quam libris ab Launojo vellicatis tradidit Augustinus, uti gratiæ se ipsa efficacis necessarium corollarium, cujus præsertim occasione, erroris illi dicam superciliosus Censor affricuit, totis viribus adstruit capite 55. *Quæro autem, ubi natura istam perdiderit libertatem, quam sibi dari exoptat cùm dicit; quis me liberabit? .... Porrò si ab istis vel hoc impetramus, ut nondum baptizati implorent auxilium gratiæ Salvatoris, non est hoc quidem parum adversùs illam falsam defensionem, tanquam sibi sufficientis naturæ, & potestatis liberi arbitrii. Neque enim sibi sufficit qui dicit: Infelix homo, quis me liberabit? Aut plenam libertatem habere dicendus est, qui se adhuc postulat liberari.* Cujus quidem loquendi formulæ rectam intelligentiam dedimus capite superiori.

Gratiam facientem, ut faciamus, ipsiusque cooperationis humanæ prævenienti efficacia operatricem, quam se ipsa efficacem Launojus appellat, & a Sancto Doctore traditam criminatur, hoc ipso, quem expendimus *Libro*, defendit *capite* 31. *Operamur quidem & nos; sed illo operante cooperamur, quia misericordia ejus prævenit nos. Prævenit autem, ut sanemur, quia & subsequetur, ut etiam sanati vegetemur. Prævenit, ut vocemur, subsequetur ut glorificemur: prævenit, ut pie vivamus, subsequetur, ut cum illo semper vivamus, quia sine illo nihil possumus facere. Utrumque enim scriptum est:* & Deus meus misericordia ejus præveniet me: & misericordia tua subsequetur me per omnes dies vitæ meæ.

Quid tandem? Altum illud, & inscrutabile divinæ prædestinationis, nullorum meritorum exploratricis arcanum, ab Launojo fati gentilitii, & erroris audacter insimulatum; (quo videlicet pueros nulla propriæ voluntatis, aut parentum incuria, Sacramenti regenerationis exsortes, æternæ tamen damnationi obnoxios, postremis elucubratis operibus asseruit Augustinus, tametsi a perditionis massa minime discreti, Christiani esse non possint,) luculenter adstruitur *capite* 8. *Ego autem dico, parvulum natum in eo loco, ubi ei non potuit per Christi Baptismum subveniri, morte præventum, idcirco talem fuisse, idest, sine lavacro regenerationis exiisse, quia aliud esse non potuit. Absolvat ergo eum* Pelagius, *& aperiat ei contra sententiam Domini Regnum Cælorum, sed eum*

non

non absolvit Apostolus, qui ait: per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors; & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt. *Rectè ergo ea damnatione, quæ per universam massam currit, non admittitur in Regnum Cœlorum, quamvis Christianus non solum non fuerit, sed nec esse potuerit.*

Præsulibus igitur Africanis, qui *Librum de Natura & gratia* fecere suum, eandem, ac Augustino, erroris notam inurat audacissimus Criminator. Inurat & Innocentio, *pari cum ipsis assensione gaudenti*, qui in Sanctissimi Divinæ gratiæ vindicis sententiam Rescripto concessit.

Neque vero indiscreta duntaxat, ac vaga suffragatione, Augustino assensisse putandus est Innocentius: sed quæ duo in gratiæ se ipsa victricis systemate potissimum damnat Launoius, atque ab Augustino sæpius inculcata queritur arrogantiùs, dato ad Concilium Carthaginense Pontificio Rescripto, confirmat ac probat: lapsum scilicet hominem pristina libertate devolutum, secutamque originis vitio peccandi necessitatem, nisi tot inter præsentis vitæ tentationes, divino auxilio muniatur. Quæ quo sensu, latis non ita pridem ab Innocentio X. & Alexandro VII. Definitionibus congruente, sumenda veniant, nihil hic attinet explicare; satisque ex antea dictis intelligitur. (*Liberum enim arbitrium* (Innocentii I. verba sunt) *olim ille perpessus, dum suis inconsultiùs utitur bonis, cadens in prævaricationis profunda emersus est: & nihil quemadmodum ex inde surgere posset, invenit: suaque in æternum libertate deceptus, huic ruinæ suæ jacuisset oppressus, nisi eum postea Christi, per suam gratiam, relevasset adventus, qui per novæ regenerationis purificationem, præteritum omne vitium sui baptismatis lavacro purgavit, & ejus confirmans statum, quo rectius, stabiliusque procederet, tamen suam gratiam in posterum non denegavit. Nam quamvis hominem redemisset a præteritis ille peccatis, tamen sciens iterum posse peccare, ad reparationem sibi, quemadmodum posset illum, & post ista corrigere, multa servavit, quotidiana præstans illi remedia; quibus, nisi freti confisique nitamur, nullatenus vincere humanos poterimus errores. Necesse est enim, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur.*) (apud Labb. Tom. 3. pag. 45.)

Certe si quo jure Augustino insultare Launoius potuit, quòd eas loquendi rationes, gratiæ se ipsa victricis assertoribus familiares frequentiùs usurparit, tametsi catholicum earumdem sensum identidem exposuerit, poterit Innocentio: poterit & ipsis Carthaginensis Concilii Patribus, quorum is consultationibus respondebat: quippe qui voluntatis arbitrium, nonnisi Divinæ gratiæ subsidio vera li-

libertate donari (quod Auguſtini erroribus Launojus accenſet) profeſſi ſunt. (*Pag.* 32.) *Gratia Dei, qua Chriſtiani ſumus, ipſum noſtræ voluntatis arbitrium vere ſit liberum; dum a carnalium concupiſcentiarum dominatione liberatur: dicente Domino: Si vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis.* Inſultare & Zozimo poterit, qui licèt cum Pelagio, & Cœleſtio, nondum detectis initio fraudibus, mitiùs egerit, Innocentii tamen, & Africanorum Præſulum judicia ultimo confirmavit, Epiſtola ad totius Orbis Epiſcopos data; atque illas ipſas loquendi formulas æmulatus eſt, quæ ſupercilioſo Cenſori ſtomachum movent.

Quamquam quid ego his immoror? Auguſtinum eam oppugnandæ hæreſeos Pelagianæ viam iniiſſe; geminaque gratiæ ſe ipſa victricis, & gratuitæ Prædeſtinationis dogmata, cæteraque inde fluentia conſectaria, adornatis jam tunc operibus ſtatuiſſe, haud dubiè noverant Carthaginenſis, ac Milevitanæ Synodi Patres. Neque enim latebat eos, illas ipſas exponendæ electionis, & efficaciæ modos, queis horum dogmatum ſummam, ultimis Auguſtini libris delineatam Launojus agnoſcit, prioribus ejuſdem operibus uſurpari. Notum ſcilicet illud ex *Libro* 1. *de peccatorum meritis* & *remiſſione*, quem primum in Pelagianos concinnaverat, jam tum ab anno 412. *capite* 21. *Valde ergo parvum ſenſum habemus ad diſcutiendam juſtitiam judiciorum Dei; ad diſcutiendam gratiam gratuitam, nullis meritis præcedentibus non iniquam; quæ non tam movet cùm præſtatur indignis, quàm cum æque indignis aliis denegatur. Nam & hi, quibus videtur injuſtum, ut parvuli ſine gratia Chriſti de corpore exeuntes, non ſolùm Regno Dei, quò & ipſi fatentur, niſi per Baptiſmum renatos intrare non poſſe; verùm etiam vita æterna, & ſalute priventur, quærentes quomodo juſtum ſit, ut alius ab originali impietate ſolvatur, alius non ſolvatur, cùm eadem ſit utriuſque conditio: ipſi reſpondeant ſecundùm ſuam ſententiam, quomodò identidem juſtum ſit, ut huic præſtetur Baptiſmus, quo intret in Regnum Dei, illi non præſtetur, cùm ſit utriuſque par cauſſa. Si enim movet, cur ex bis duobus, cùm ex æquo ambo ſint originaliter peccatores, alius ab hoc vinculo ſolvitur, cui conceditur Baptiſmus; alius non ſolvitur, cui talis gratia non conceditur: cur non pariter movet, quòd ex duobus originaliter innocentibus, alius accipit Baptiſmum, quo in Regnum Dei poſſit intrare, alius non accipit ne ad Regnum Dei poſſit accedere? Nempe in utraque cauſſa, ad illam exclamationem reditur: O altitudo divitiarum! &c.*

Notum & iſtud *capitis* 18. *libri* 2. *Quare illos velit convertere, illos pro averſione punire, quamquàm & in beneficio tribuendo nemo juſte reprehendat miſericordem, & in vindicta exercenda nemo*

mo justè reprehendat veracem; sicut in illis Evangelicis operariis; aliis placitam mercedem reddentem, aliis etiam non placitam largientem, nullus justè culpaverit: Consilium tamen occultioris justitiæ penes ipsum est.

Notum hoc alterum ex *Libro de Spiritu, & Litera*, sub idem tempus elaborato, *capite* 34. *Jam si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet, cur illi ita suadeatur, ut persuadeatur, illi autem non; duo sola interim occurrunt mihi, quæ respondere mihi placeat:* O altitudo divitiarum! & nunquid iniquitas apud Deum? *Cui hæc responsio displicet, quærat doctiores, sed caveat, ne inveniat præsumptores.*

Nec ignotum pervulgatum illud Augustini in *Enchir. cap.* 32. ubi dicit. *Ac per hoc si rectè dictum est:* non volentis hominis, sed miserentis est Dei, *quia id voluntas hominis sola non implet: cur non e contrario rectè dicitur, non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, quia id misericordia Dei sola non implet? Porrò si nullus Christianus dicere audebit, non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, ne Apostolo apertissimè contradicat: restat, ut propterea rectè dictum intelligatur,* non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, *ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam.*

Hæc inquam, aliaque multa ex *Libro de Natura & gratia* paulò antè memorata, haud ignota venerandis geminæ Synodi Patribus. At tantùm abest, ut Augustinum idcircò erroris aut novitatis insimularint, quasi qui minùs cautâ Pelagianæ hæreseos confutatione in extremos errores abiret, novamque in veteri spatio calcaret viam; discretionem bonorum a reprobis, uni misericordiæ adscribens, *totumque Deo* tribuendum definiens; (quod Launojus audacissimè criminatur) ut contrà potiùs, in magnam editorum operum admirationem traducti, Sanctissimo Præsuli novis scriptis Divinæ gratiæ hostes exagitandi provinciam concordi suffragio demandarint. Rei fidem locupletissimam facit *Epistola* 110. *ad Populum Hipponensem*, quâ sibi Eraclium successorem designat, in quem Episcopalis oneris partem devolvat, ut a publicis negotiis feriatus, injunctæ provinciæ faciliùs insudaret. *Placuit mihi, & vobis* (scribit Augustinus) *propter curam Scripturarum, quam mihi fratres & Patres, mei Coepiscopi, in duobus Conciliis Numidiæ & Carthaginis imponere dignati sunt, ut per quinque dies nemo mihi molestus esset. Gesta confecta sunt, placuit, acclamastis. Recitatur placitum vestrum, & acclamationes vestræ. Parvo tempore servatum est circa me; & postea violenter irruptum est, & non permittor ad quod volo vacare. Ante meridiem, & post meridiem occupationibus hominum implicor. Obsecro vos, & obstringo per Chri-*

Christum, ut huic juveni, hoc est Eraclio Presbytero, quem hodie in nomine Christi designo Episcopum, Successorem mihi, patiamini me refundere onera occupationum mearum.

Sed neque novarum duntaxat Scriptionum curam Augustino impositam voluere Carthaginensis & Milevitanæ Synodi Patres : eundem cœtuum suorum os, ingeniumque venerati sunt, primumque instructi adversus Pelagianos exercitus Imperatorem suspexere : quòd ejus, inter tot enatæ nuper hæreseos oppugnatores, major enituisset industria, majus opus. Næ illi, si penes Launojum quidem judicium est, imprudentes, qui quem prima velitatione modum excessisse noverant, & humanæ libertatis arbitrium, per speciem vindicandæ gratiæ, plus nimio depressisse; virum sententiis ampliorem, pensi nihil ac moderati habentem, erroremque errore confutantem; Conciliorum nihilosecius doctrina, & Magisterio præsidem agnoverunt; fidei defensorem absolutissimum, cujus ore omnium oracula funderentur? Quam feliciter autem res ipsa cesserit, brevi Epinicio cecinit D. Prosper, in *Carmine contra ingratos*.

An alium in finem posset procedere sanctum
Concilium, cui Dux Aurelius, ingeniumque
Augustinus erat? quem Christi gratia cornu
Uberiore rigans, nostro lumen dedit ævo,
Accensum vero de lumine? nam cibus illi,
Et vita, & requies Deus est : omnisque voluptas
Unus amor Christi est, unus Christi est bonor illi:
Et dum nulla sibi tribuit bona, fit Deus illi
Omnia : & in sancto regnat sapientia templo.
Istius ergo inter cunctos, qui de grege sancto
Insanas pepulere feras, industria major:
Majus opus, totum præstantiùs imbuit Orbem.
Nam quocumque gradum convertit callidus hostis,
Quàque per ambages anceps iter egit opertas,
Hujus ab occursu est præventus, mille viarum
Insidiis, aditum non reperientibus ullum.
Cùmque foris rabies avidorum exclusa luporum
Frenderet, inque omnes mendacia verteret artes,
Ne mentes ullarum ovium corrumpere posset,
Neu dubia obliquis turbaret corda querelis,
Istius ore Viri fecit Deus : istius ore
Flumina Librorum Mundum fluxere per omnem,
Quæ mites humilesque bibunt, campisque animorum
Certant vitalis doctrinæ immittere rivos.

CAPUT QUARTUM.

Bonifacii I. Romani Pontificis magna de Augustino, ejusque Doctrina opinio concepta, adversùs Launoji ballucinationem defenditur.



Bonifacio Ecclesiæ Romanæ Pontifice, in fabulam suam Launojus ingreditur: quæque ille insignia dedit suæ in Augustinum venerationis argumenta, audaci calumnia vitiat; ut is Sanctissimum Doctorem lubricæ, ac suspectæ fidei virum habuisse videri possit. Scilicet cùm gratuitæ prædestinationis, & gratiæ se ipsa victricis theoremata, ab Augustino tradita præmisisset, indeque fluentium dogmatum summam collegisset; multa illi (ut vidimus capite 2.) per invidiam affingens, aut præpostero sensu accipiens; istud de Bonifacio somnium narrat, quod lugentibus etiam risum eliciat. (*Pag. 26.*) *Pelagiani Augustinum talia sentientem, uti novatorem traduxere .... Nonnullos e suis Romam delegarunt, qui ejusdem damnationem urgerent. Res eo perducta, ut Bonifacius Doctrinæ rationem ab Augustino reposceret; eundemque, ad eluenda accusationum capita, pro imperio compelleret.*

Næ te, Launoj, concepta in Augustinum occœcat invidia, dum Pelagianos tui dignos authores, Apostolicæ Sedi propiùs adstituis, qui Augustinianæ Doctrinæ novitatem objiciant, eidemque unà tecum litem intendant? Quid ergo? Consule Atheos, negabis Deum: implacabiles Divinæ gratiæ hostes, consultores adhibes, quid mirum si piissimum divinæ Gratiæ vindicem novitatis, & erroris arcessas? At vide quàm turpiter hallucineris, mutesque quadrata rotundis. Falsum in primis, Pelagianos nonnullos e suis Romam ad Bonifacium delegasse: quippe qui criminationes qualescumque suas, non missa legatione, sed datis Romam, ac Thessalonicam literis publicarunt. Falsum pariter, vulgatis suis illis criminationibus, Augustini alteriusve cujusquam damnationem postulasse: illos enim tantum ausos nuspiam legere contigit: sed tenebrionum, ac susurronum more, incautos quoscumque possent, suis partibus addicere, vulgatis literis nitebantur. Falsum etiam, contenta iis epistolis criminationum capita, gratuitæ prædestinationis, gratiæque se ipsa victricis theoremata duo, aut fluentia inde dogmata singulariter attigisse: sed alia quoque petebant Ecclesiæ Catholicæ dogmata, ab iis toto cœlo diversa. Falsum demum ac tetræ sycophan-

phantiæ loco habendum, quod ultimo tandem obtruditur, Bonifacium lectis Pelagianorum literis, doctrinæ rationem ab Augustino repetiisse, eumque ad eluenda accusationum capita pro imperio compulisse; quasi sinistra illi de tanto viro insedisset opinio; Cùm contra potius, singularis ejus eruditionis, qua cunctorum in se ora circumegerat, fama permotus Bonifacius, has ipsas ad eum literas confutandas transmiserit; ut Apostolicæ Sedis nomine, Ecclesiæ Catholicæ defensionem adornaret. Quo nullum conceptæ de illo magnæ opinionis argumentum illustrius esse potest.

Singula Launojanæ aberrationis capita persequi, haud erit hìc operosum. Primum alterumque patefacit Augustinus *capite* 1. *Libri* 1. *contra duas Epistolas Pelagianorum*, ad Bonifacium Romanæ Urbis Episcopum. *Duabus*, inquit, *Epistolis eorum respondeo; uni scilicet, quam dicitur Romam misisse Julianus, credo, ut per illam, quos posset, suos, aut inveniret, aut faceret; alteri autem, quam decem & octo velut Episcopi, participes ejus erroris, non ad quoslibet, sed ad loci ipsius Episcopum, sua calliditate tentandum, & ad suas partes, si posset fieri, traducendum, ausi sunt Thessalonicam scribere*. Viden non delegatos Romam e Pelagianis aliquos, ut litem cuiquam intenderent, sed vulgatas clanculum illic, ac Thessalonicæ Literas, ut gregales miserè corraderent? Tantumque abest, ut expostulationum instar, ad Sedem Apostolicam deferrentur, ut diligenti potius inquisitione fuerit opus, ut Bonifacio innotescerent. *Quæ in tuas manus* (Augustini verba sunt) *nisi vigilantissima diligentia fratrum nostrorum, filiorum tuorum venire non possint*.

Tertium in aperto ponunt contentæ binis epistolis calumniæ; non in Augustinum nominatim, sed in universam Ecclesiam structæ: & quidem aliorum etiam dogmatum occasione, quàm quæ Launojo nauseanti stomachum movent. Septem prior Epistola continebat: prima erat de sublato, ex Catholicorum sententia, per peccatum Adæ, libero in nobis arbitrio: altera de nuptiis a Deo optimo minimè institutis: tertia de damnato conjugali congressu: quarta de sanctis veteris Testamenti reprehensis: quinta de D. Paulo, immoderatæ libidinis accusato: sexta de Christo, a peccatis minimè libero: septima de Baptismo peccata radente duntaxat, non auferente. Novem altera complectebatur Epistola, ad superiores facilè revocandas: prima erat de libero arbitrio, per peccatum Adæ, de hominum natura sublato: altera de nuptiis a diabolo, non a Domino institutis: tertia de fato, gratiæ nomine a Catholicis asserto: quarta de veteri lege, homines peccatores faciente: quinta de Baptismo, integram peccatorum remissionem

non conferente : sexta de veteri Testamento in servitutem generante : septima de diminuta Prophetarum, & Apostolorum justitia : octava de Christi Domini peccato, carnis necessitate admisso : ultima de divinis mandatis in altera vita implendis.

Postremum Launojanæ cæspitationis caput revincunt, Bonifacii confutandas Pelagianorum Epistolas ad Augustinum transmittentis, venerationis atque amoris testificatio singularis; ipsiusque Augustini easdem refellentis, institutum atque consilium. Alipium enim Augustini discipulum, cui literas Magistro reddendas tradiderat Sanctissimus Pontifex, honorificentissime exceperat Romæ; ac inter familiaria colloquia, frequentem de Augustini ingenio, atque doctrina mentionem injecerat, ingentibus amoris significationibus intermixtam. Qua de re sanctum Doctorem audire juvat, *capite* 1. *libri* 1. *contra duas Epistolas Pelagianorum*. *Noveram te quidem, fama celeberrima prædicante, & frequentissimis, atque veracissimis nunciis, quanta esses Dei gratia plenus acceperam, Beatissime, atque venerande Papa Bonifaci. Sed posteaquam te etiam præsentia corporali frater meus vidit Alipius, acceptusque a te benignissimè, ac sincerissimè, mutua miscuit dictante dilectione colloquia, tecumque convivens, & parvulo licet tempore, magno tibi junctus affectu, se simul, & me refudit animo tuo, teque mihi reportavit in suo; tanto major in me tuæ sanctitatis est facta notitia, quanto certior amicitia. Neque enim dedignaris, qui non alta sapis, quamvis altius præsideas, esse amicus humilium, & amorem rependere impensum*. Augustinus verò, non ut privatam a se culpam depelleret aliquam, seque de tradita gratuita prædestinatione, gratiaque se ipsa victrici purgaret, calamum acuit; sed ut Ecclesiæ causam in commune ageret, quæ recensitis Pelagianorum calumniis petebatur. Maximè cùm in eo tot calumniarum plaustro, semel tantum Augustini nomen interpositum legeretur : & quidem alterius dogmatis occasione, cui nihil cum traductis ab Launojo sententiis commune erat. *Dicunt etiam* (*Apud Aug. lib.* 1. *c.* 5.) (Juliani verba sunt, secundam in Catholicos calumniam struentis) *istas, quæ modo aguntur, nuptias, a Deo institutas non fuisse. Quod in Libro Augustini legitur, contra quem ego modo quatuor Libellis respondi. Cujus Augustini dicta inimici nostri in veritatis odium susceperunt*.

Quare adornatum a Sancto Doctore, adversus binas illas Pelagianorum Epistolas, eximium opus, consultationis loco habuit Divus Prosper, quam Summus Ecclesiæ Pontifex, ad coercendam hæreticorum audaciam poposcisset; ob eximiam scilicet eruditionis famam, quam editis operibus comparaverat. *Sanctæ memoriæ Papa Bonifacius*, ... inquit ille *capite* 21. contra Collatorem, *cùm*

ejec

esset doctissimus, adversus libros tamen Pelagianorum, Beati Augustini Episcopi responsa poscebat.

Quis ergo Launoji audaciam non miretur, qui quod honori, & gloriæ Augustino fuit, in invidiam trahere nititur: impositamque ab Apostolica Sede erroris confutandi provinciam, qua nihil Catholicæ Ecclesiæ Magistro honorificum magis, perperam accipit: ut intentatam ei de violata fide litem effutiat, imperatamque ab Summo Pontifice admissi erroris expurgationem?

Longe aliter Prudentius Tricassinus Episcopus. Non modo summum Augustini decus, ex demandata illi ab Bonifacio hæreseos refellendæ provincia, colligit Sanctissimus Præsul, *Epistola* ad Hincmarum & Pardulum; verùm etiam Launojum velut in oculis habens, nulli patere posse calumniæ Augustini doctrinam observat, ex quo tam illustri Apostolicæ Sedis commendatione munita est. *Si eam doctrinam*, inquit ille, *adversam Fidei Catholicæ in quoquam conspiceret, nequaquam eam Romanæ Ecclesiæ Antistes venerabilis Innocentius, cum totius Orbis Episcopis suscepisset: neque Bonifacius ejusdem Apostolicæ Sedis Præsul Epistolas Pelagianorum sibi delatas, ei ad respondendum misisset; aut responsionem ejus quatuor Libris editam probabiliter, & honorabiliter suscepisset.*

Sancti Prudentii observationi robur addit libera Censoris nostri confessio, qua Augustinum gratuitæ prædestinationis, gratiæque se ipsa victricis theoremata duo, indeque fluentia dogmata, primis adversus Pelagianos operibus defendisse profitetur: idque antea Bonifacio innotuisse, quam binas illi Juliani, cæterorumque Sectatorum Epistolas transmisisset. Eo quippe semel posito, dicat, amabo, Launoius, qua ratione rerum omnium conscius Pontifex, viro portentosarum, ut ipse quidem autumat, opinionum manifesto, & periculosum in confutando Pelagiano errore iter ingresso, novos eorumdem Pelagianorum conatus reprimendi provinciam, honoris, & gloriæ plenissimam, demandasset? Forte, ut Ecclesiam patenti discrimini committeret, erroremque extremi erroris opposito confutaret?

Certe quam hactenus in oppugnandis Pelagianis viam ingressus fuerat Augustinus, eandem in confutandis binis eorumdem Epistolis tenuisse; statutaque jam pridem gemina prædestinationis & gratiæ dogmata, aliaque inde secuta, pari constantia defendisse, quatuor Libris Bonifacio nuncupatis, non ibit Launojus inficias. Una quippe eademque doctrinæ ratio conspicitur, iidem divinæ electionis, & gratiæ exponendæ modi, imò longe quam antea luculentiores. Sic *libro* 1. *capite* 19. *Dic mihi, obsecro, quid boni Paulus, adhuc Saulus volebat, ac non potius magna mala, quando spirans cædem, pergebat ad vastandos, hor-*

ren-

renda mentis cæcitate ac furore, Christianos? Quibus meritis bonæ voluntatis, Deus illum ab his malis ad bona, mirabili, & repentina vocatione convertit? Quid ego dicam, quibus meritis, cum ipse clamet: non ex operibus justitiæ, quæ nos fecimus, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit? . . . . *Quam multi inimici Christi quotidie subito Dei occulta gratia trahuntur ad Christum. Quod verbum si non ex Evangelio posuissem, quanta de me propter hoc iste dixisset; cùm etiam nunc obluctetur, non mihi, sed illi, qui clamat:* nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum? *Non enim ait: duxerit, ut illic aliquo modo intelligamus præcedere voluntatem. Quis trahitur si jam volebat? Et tamen nemo venit, nisi velit. Trahitur ergo miris modis, ut velit, ab illo qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari, non ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant.*

Sic *capite* 20. Estheris ad Deum prece ex sacris literis recensita, ita colligit: *Ut quid ista in oratione dicit Deo, si non operatur Deus in cordibus hominum voluntatem? . . . . . . qui cor Regis, antequam mulieris poscentis sermonem audisset, occultissima, & efficacissima potestate convertit, & transtulit ab indignatione ad lenitatem, hoc est, a voluntate lædendi, ad voluntatem favendi, secundùm illud Apostoli:* Deus operatur in vobis & velle. Et post pauca. *Jam quomodo ista dispenset, faciens alios secundùm meritum vasa iræ, alios secundùm gratiam vasa misericordiæ:* Quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? *Si ergo ad honorem gratiæ pertinemus, non simus ingrati, tribuendo nobis, quod accepimus. Quid enim habemus quod non accepimus?*

Sic *Libro* 2. *cap.* 5. *Nec sub nomine gratiæ fatum asserimus, quia nullis hominum meritis Dei gratiam dicimus antecedi. Si autem quibusdam, omnipotentis Dei voluntatem placet, fati nomine nuncupare, prophanas quidem verborum novitates evitamus, sed de verbis contendere non amamus.* Quod quidem integris duobus capitibus eruditè, & eleganter prosequitur.

Sic *capite* 7. *ejusdem Libri*, tritam Pelagianorum calumniam de personarum acceptione, in gratuitæ vocationis hypothesi, ab Launojo tam avidè instauratam refellit. Quocirca id observatione dignissimum habet: *Propter quod profectò desipitis, qui dicente veritate*, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, *vos dicitis, ex futuris operibus, quæ Deus illum facturum esse præsciebat, Jacob fuisse dilectum: atque ita contradicitis Apostolo dicenti*, non ex operibus: *quasi non posset dicere, non ex præsentibus, sed futuris operibus. Sed ait, non ex operibus, ut gratiam commendaret:* si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin

gra-

gratia jam non est gratia. *Præcedit namque, non debita sed gratuita gratia, ut per illam fiant bona opera: ne si præcesserint bona opera, tanquam operibus reddatur gratia, ac sic gratia jam non sit gratia.* Et *capite 9. Multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo: nulla verò facit homo, quæ non facit Deus, ut faciat homo.*

Sic demum *Libro 4. capite 6. Bonum*, inquit, *propositum, quod consequens adjuvat gratia, in homine non esse potuisse, si non præcederet gratia. Quomodo enim est hominis bonum propositum, sine miserante priùs Domino: cùm ipsa sit bona voluntas, quæ præparatur a Domino? .... Reluctanti enim prius auditus divinæ vocationis ipsa Dei gratia procuratur, ac deinde in illo jam non reluctante studium virtutis accenditur. Veruntamen in omnibus, quæ quisque agit secundùm Deum, misericordia ejus prævenit eum.* Et *capite 9.* varia congerens Divi Cypriani testimonia, istud inter alia celeberrimum ponit, ex *Libro 3. ad Quirinum cap. 4. In nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit.* Quam loquendi formulam ab Augustino alibi sæpiùs usurpatam, blasphemiæ loco habet audacissimus Aristarchus. Tum laudato Sanctissimi Martyris, de orandi necessitate, disertissimo testimonio, ita colligit: *Oramus ergo, non solùm pro nolentibus, verum etiam pro repugnantibus, & oppugnantibus. Quid ergo petimus, nisi ut fiant ex nolentibus volentes, ex repugnantibus consentientes, ex oppugnantibus amantes? A quo, nisi ab illo, de quo scriptum est:* præparatur voluntas a Domino?

Augustinum igitur statutis pridem doctrinæ principiis, quæ Launojum nostrum adeò malè habent, non hæsisse modò, verùm etiam vires adjecisse; eademque luculentiùs multo confirmasse, quatuor illis Libris Bonifacio inscriptis, comperta res est. Insuper Sanctissimum Doctorem, suum illud opus eidem Pontifici maximo, si quid in eo fortè peccasset, emendandum corrigendumque tradidisse, æque certum. *Hæc*, inquit ille capite 1. prioris Libri *quæ istis, ut dixi, duabus Epistolis illorum ista disputatione respondeo, ad tuam potissimum dirigere Sanctitatem, non tam discenda, quàm examinanda, & ubi forsitan aliquid displicuerit, emendanda constitui.* Aut ergo contentam nova illa lucubratione doctrinam, puram illibatamque Bonifacius agnovit, aut æqui æstimatoris, ac judicis partibus defuit; qui ab Augustini æmulis, si Launojo fides est, lacessitus, ut in novatorem sententiam diceret, imò & ab ipsomet reo, de ferendo, si quid fortè peccasset, judicio appellatus, nedum a ferenda sententia temperavit, sed & ipsos præcipites accu-

accusatores actione submovit, calumniatoribus, hæreticisque accensuit, Apostolicis Regiisque Edictis coercuit ac fregit : Augustinum verò insulsis calumniis appetitum coluit, suspexit, suam totiusque Ecclesiæ linguam esse voluit, qua in gratiæ hostes oracula funderet. *Sanctæ memoriæ Papa Bonifacius piissimorum Imperatorum catbolica devotione gaudebat, & contra inimicos gratiæ Dei, non solùm Apostolicis, sed etiam Regiis utebatur Edictis ; & quando idem, cùm esset doctissimus, adversùs libros tamen Pelagianorum, Beati Augustini Episcopi responsa poscebat*. Divi Prosperi verba sunt, *capite* 21. *contra Collatorem*.



C A-

CAPUT QUINTUM.

Launoji, de commoto statim in Augustinum Orbe Catholico, somnium dissipatur.



JAM quam audacter Orbem universum, (*Pag.* 25.) Augustinianæ Doctrinæ asperitate, commotum dictitet commentitiæ Traditionis fabricator, quam temere non hæreticos modo, sed & ipsos quoque Catholicos, ne latius serperet, pari studio adnitentes obtrudat, ex Hieronymo præ cæteris discimus: illo inquam, ut loquitur Prosper, (*Carm. de Ingr.*) *Morum exemplo, mundique Magistro.* Is enim cum primus in aciem adversus Pelagium, ac Cœlestium descendisset, jamque elegantem ad Ctesiphontem Epistolam, tresque Dialogorum Libros elaborasset; simulatque primos Augustini pro gratia tuenda labores inspexit, ternos scilicet ad Marcellinum Libros de Peccatorum meritis & remissione, alterumque ad Hilarium, in modum Epistolæ, (*Epist.* 89.) de Quæstionibus apud Syracusas agitatis; doctrinæ ubertatem, momenta rationum, pondera sententiarum, ac prope divinum ingenium demiratus, prolixiori hujus argumenti tractatione supersedit, seque ad mortem usque silentio damnavit; modesta quidem, at intetim vera excusatione usus, sub finem *Libri* 3. *Dialogorum*: *Supersedendum huic labori censeo, ne dicatur mihi illud Horatii*: in Sylvam ne ligna feras. *Aut enim eadem diceremus ex superfluo; aut si nova voluerimus dicere, a clarissimo ingenio occuputa sunt meliora.* Et quidem tanta deinceps religione silentium coluit Hieronymus, ut a Theodoro Mopsuesteno quinque Libris lacessitus, tum aliis quatuor ab ipso Pelagio, postremo ab Annanio pseudo-Diacono Celedensi provocatus, non modo stylo pepercerit, sed Augustinum etiam per literas rogarit, ut contra eosdem victricia arma, in sui defensionem indueret. (*Epist.* 24.) Porro Libris illis de Peccatorum meritis, & remissione, quibus inspectis pedem ex acie retulit Hieronymus, totumque belli onus devolvit in Augustinum, hæc ipsa, quæ Launojo nostro erroris plena videntur, dogmata contineri, dedimus manifestum: ut hinc noverit, (*Cap.* 3.) quo plausu ab Ecclesiæ Patribus exciperentur, quæ nonnisi Pelagianorum dicteriis, & calumniis petebantur.

Tam apertam comprobatæ Augustini doctrinæ testificationem con-

confirmat in Epistolis Bethleemiticus Pater : *Mihi decretum est, te amare, te suspicere, colere, mirari, tuaque dicta quasi mea defendere*. Epistolæ 79. eidem ipsi inscriptæ verba sunt. Epistola vero 80. : non suum tantùm, sed & totius Catholici Orbis, de defensata adversus Pelagianos doctrina, judicium prodit. *Omni quidem tempore, Beatitudinem tuam eo, quo decet honore, veneratus sum, & habitantem in te dilexi Dominum Salvatorem : & nunc, si fieri potest, aliquid cumulo addimus, & plene complemus, ut absque tui nominis mentione, ne unam qnidem horam præterire patiamur, qui contra flantes ventos ardore fidei perstitisti. Maluisti, quantum in te fuit, solus liberari de Sodomis ; quam cum pereuntibus commorari. Scit quid dicam prudentia tua. Macte virtute, in Orbe celebraris, Catholici te conditorem antiquæ rursum fidei venerantur, atque suspiciunt : & quod signum majoris gloriæ est, omnes hæretici detestantur*.

(*Pag.* 25.) Itane, Launoj, in Pelagianos arma conferens Augustinus, extremos de divina gratia, ac prædestinatione procudit errores ; Orbem universum doctrinæ asperitate, ac novitate commovit ; omnesque non hæreticos tantum, verùm etiam Catholicos passus est adversarios ? Cujus dicta mundi Magister defendebat ut sua, quem Orbis Catholicus celebrabat, antiquæ fidei conditorem suspiciebat ; quique nominis claritate, ac defensatæ fidei gloria, unius in se hæreticæ factionis odia incendebat.

Sed præstat Sanctissimum senem, & emeritæ militiæ ducem, reportatos de Pelagianis triumphos, Augustino toto Orbe celebri gratulantem audire, Epistola 81. *Mihi enim omnis occasio gratissima est, per quam scribo vestræ Reverentiæ ; testem invocans Deum, quod si posset fieri, assumtis alis columbæ, vestris amplexibus implicarer ; semper quidem pro merito virtutum vestrarum ; sed nunc maxime, quia cooperatoribus, & auctoribus vobis, hæresis Cœlestiana jugulata est, quæ ita infecit corda multorum, ut cum superatos damnatosque se esse sentiant, tamen venena mentium non omittant ; & quod solum possunt, nos oderint, per quos putant se libertatem docendæ hæreseos perdidisse*. Ita scilicet inconsulti, si penes pseudo-Traditionis Authorem judicium est, hæreseos oppugnatoris victorias celebrat Hieronymus ; viroque ob procusos, si superis placet, imprudenter errores, adversa Catholici Orbis studia passo, triumphum integrum gratulatur.

Hieronymo succinit Theodosius Imperator, omnium gentium de triumphato Pelagianismo, deque Libris, queis Orbem universum

ſum admiratione ſuſpenderat, continuatis, acclamationes ingeminans, hac ipſa in Epiſtola, qua Sanctiſſimum Præſulem ad Concilium Epheſinum invitabat :- tametſi antea exceſſiſſet e vita, quàm Imperatoris ſacram divalem acciperet. *Pulchritudo librorum tuorum, poteſtas tibi data ad prædicandum Dei verbum, & fructus univerſam per Eccleſiam a te facti, cauſa fuerunt, ut nomineris ubique gentium. Deo gratias (qui temporibus adeo calamitoſis, noſtros labores videns ex alto, tantum conceſſit Eccleſiæ Doctorem) ago, cum omni humilitate, quantum in me eſt, ob obligationem quæ incumbit mihi defendendæ ipſius Eccleſiæ........ Hæretici etiam Pelagiani, per Sancta Concilia condemnati, ex doctiſſimis tuis libris contra ipſos conſcriptis, adhuc cervicem conantur erigere, & ipſi Deo reſiſtere........ Te igitur, qui omnibus in rebus lux es totius mundi, & præterea admiratio terrorque hæreticorum, qui ante te non audent apparere, maximopere rogamus, ut Urbi Epheſo, ad quam Concilium convocatum eſt, intereſſe velis : & poſſis dicere, reliquum vitæ conſumtum eſſe, ſicut & præteritum, in gloria & bonore Domini Dei noſtri..... Ebagnius Magiſtrianus ad te profectus eſt : ipſe alia dicet, quibus petitioni noſtræ magis annuas, ob totius Eccleſiæ bonum.* Hæc ſacratiſſimus Imperator.

Haud inſcius ſum, viris nonnullis eruditis minus integrum videri harum Epiſtolarum exemplum, quo nonnulla conditioni temporum minus conſentanea continentur. Nemo tamen ibit inficias, Auguſtinum ad Synodum Epheſinam ab Theodoſio ſacris divalibus invitatum, honoris gratia : quas Capreolus Charthaginenſium Antiſtes, illo ad ſuperos vocato, legit, ut ipſemet in *Epiſtola ad eandem Synodum* profitetur. *Domini & filii noſtri religioſſimi Theodoſii Imperatoris literæ.......... huiuſmodi erant, quæ beatæ memoriæ Fratris* & *Coepiſcopi noſtri Auguſtini præſentiam peculiari ratione efflagitabant. Verùm cùm eæ literæ illum jam tum e vivis exceſſiſſe comperiſſent ; ego Regiam illam ſignificationem*, licet ad prædictum Auguſtinum præcipue deſtinata videretur, *excipiens*, (apud Labb. Tom. 3. pag 1074.) &c. Quod idem apud Liberatum legere eſt, *cap.* 5. *Breviarii*.

Alios longe multos ejuſdem ævi (de ſequentibus quippe nil dicam hìc) Auguſtinianæ doctrinæ admiratores, laudatores, approbatores producere facile fuerit : Hilarium Syracuſanum, Jacobum, Timaſium, Valerium, Laurentium, Privinum, Paulinum, Eutropium, Oroſium, Nebridium, Alipium, Poſſidium, Evodium, Conſentium, Voluſianum, Audacem ; totos in ejus præconia effuſos, & Catholici Orbis ſenſum, de incorrupta dogmatum inte-

gritate, referentes. (*Pag.* 35.) Verùm quia eos Augustini, ad diffundendam tota Africa, gratiæ se ipsa victricis, & gratuitæ prædestinationis doctrinam, adstipulatores Launojus ultro concedit, ab eorum suffragiis referendis abstineo. Hoc dico tantum, Launojum ex iis, quæ hactenus dicta sunt, ingentis audaciæ, ac petulantiæ revinci; dum tot illos Africanæ Ecclesiæ Sanctissimos, ac doctissimos viros, uti (*Pag.* 34. & 35.) *factiosos* traducit; qui facta veluti secta, in Magistri sui sententiam, *horridam licet ac novam*, concessissent, quod *nulla Ecclesiæ Censura inusta esset*. Vah procacem argutatorem! Quasi verò quotquot Catholico nomine censebantur, ab Augustino, Conciliorum ore ingenioque, non starent: aut doctrinam ejus, Ecclesiæ Romanæ Pontifices, Innocentius, Zozimus, Bonifacius, habitæque Milevi, & Carthagine Synodi tantùm non inussissent, ac non potiùs singulari commendatione consecrassent?

Sane eam sibi illibatæ doctrinæ famam, universo Orbe, ac tota præsertim Africa fecerat Augustinus, ut summa licèt æstimatione valeret Aurelius, Carthaginensium Antistes, Africæ Primas, *Ecclesiæque Catholicæ*, ut loquitur Orosius in Apologetico, *columna, ac firmamentum;* præsente nihilominùs Carthagine Augustino, sacrum suggestum nollet de more conscendere, sed unus Hipponensis Antistes ad populum declamaret. Quem sibi non Carthagine modò, ac semel iterumque, sed ubique, ac frequentissimè delatum honorem, testatur vir alioquin modestissimus in Prologo prioris Libri Retractationum: *Tantum mihi tributum est, ut ubicumque me præsente, loqui opus esset ad populum, rarissimè tacere, atque alios audire permitterer*. Quin & constitutus in Africa, Orientis conventibus aderat magisterio, unusque fermè in gratiæ hostes, absens licet sententiam dabat. Accersitus enim Pelagius, in Consessum Hierosolymitanum, a quo procul aberat Augustinus, ut fidei suæ rationem redderet, id unum legitur interrogatus, doceretne ea, quæ Augustinus in Epistola ad Hilarium confutaverat? Adeo nempe ad Sancti Doctoris amussim, rectæ de divina gratia sententiæ, ab ipsis etiam Orientalibus exigebantur. Cumque ille, ut erat impudentissimus, & tum subinfenso in Augustinum animo, respondisset: *Ecquis est mihi Augustinus?* uno ore conclamarunt universi, blasphemasse in Episcopum, cujus industria hæresum monstris suffocatis, toti Africæ expetitæ diù pacis dies affulserat; ac tanquam hæreticum pellendum ab Ecclesia Catholica censuerunt. De quibus lege Orosium, qui præsens consessui aderat, in Apologetico. Nec ita post, alterum vadimonium obeunti Pelagio, & coram Diospolitanæ Synodi Patribus sistere jusso, ut accusationum capita dilueret, unus illi, ex Synodi Decreto, Augustini procul dilu-

diffiti liber objectus est, quo tumultuantes in Sicilia Pelagianos represserat : (*Lib. de Pecc. Orig. c. 11.*) *Synodus dixit : .... quoniam Sanctus Augustinus Episcopus, adversus discipulos ejus in Sicilia respondit Hilario, ad subjecta Capitula scribens librum &c.* Certè Patrum alteri, tantam, dum viveret, tributam authoritatem, nulla, quod sciam, prodit historia; nemo uberiores gloriæ fructus, in ipso mortalitatis contubernio cœpit; unus præ omnibus Augustinus, vivus, ut ita dicam, ac videns consecratus est.



CA-

CAPUT SEXTUM.

Motæ inter Monachos Adrumetinos de Augustini Doctrina controversiæ, non modò ejusdem authoritatem non imminuunt, uti Launojo visum est, verùm etiam conciliant multò majorem. De Vitali Carthaginensi fabula refellitur.



Elagianis Augustinianæ doctrinæ acerbitate commotis, turbatos Adrumetinos Monachos Launojus adjungit, quo fidem ejus, & authoritatem imminuat. (*Pag. 26.*) *Monachi Adrumetini*, inquit, (*quos nemo hac in parte suspectos habuerit, cùm horum conscîam recti mentem agnoverit Augustinus*) *usque adeò doctrinæ illius novitate, & inauditis consectariis turbati fuere, ut duos è suis delegarint, qui turbatos fratrum animos, & infaustas dogmatum illius consecutiones, coram significarent.*

Quis id legat, ac non statim sibi persuadeat, Monachos omnes Adrumetinos, quos inter non pauci erant eruditionis laude conspicui, lecta Augustini ad Sixtum Epistola, 194. (hujus enim occasione exciti motus) scandalum passos, infausta consectaria derivasse? Verùm longè aliter se res habet. Quamquam enim, ut opinari pium est, conscia recti mens omnibus esset; nemoque idcircò sinistræ voluntatis suspicione laboraret; ita tamen in factiones Monachi scindebantur, ut quotquot doctrinæ fama celebres erant, profundissimæ Epistolæ intelligentiam assecuti, ab Augustini partibus starent: cæteri prorsùs ignari, ac rustici, iique vix numero leni, in contrarios, & ab Authoris mente alienos sensus dilapsi, portentosas consecutiones derivarent. Quid ni ergo motas Adrumeti contentiones, Augustino gloriæ cessisse colligamus; cujus in partes, quotquot eruditionis laude censebantur, sua sponte descenderant, soli abscesserant imperiti?

Valentinum Cœnobiarcham audire juvat, rem totam simpliciter enarrantem, & suum contendentibus Monachis colorem, & ingenium reddentem, Epistola 216. Augustino inscripta. (*Epistolam ad Sixtum, propter prolixitatem librum appellat*). *Charissimus frater noster Florus, servus Paternitatis tuæ, cùm ad Uzalensem patriam fuisset, suadente charitate, profectus, Eulogias Monasterii inter suæ Civitatis moras, de Opusculis nobis tuæ attulit Sanctitatis, uno fratre Felice, qui ad tuam Sanctitatem tarde, post comites suos venisse dignoscitur, eundem librum devotè dictante; Ventum*

tum est ad Monasterium cum eodem Libello, fratre Floro ad Carthaginem, de Uzalensi Civitate profecto. Mihi non monstrato Libro, IMPERITIS FRATRIBUS recitare cœperunt, qui QUORUNDAM NON INTELLIGENTIUM corda commovit. Quia cùm diceret Dominus, qui non manducaverit carnem filii hominis, neque biberit sanguinem ejus, non habebit vitam in semetipso : *discesserunt, qui impiè intellexerunt, non culpa Domini dicentis, sed duritia impiissimi cordis .... Proposui ad auferendas impias quæstiones, ut ad Dominum Sanctum Patrem Evodium mitteremus, ut ipse nobis de hoc Sacrosancto Libro, PROPTER IGNAROS aliquid certius rescripsisset .... Quinque enim vel ampliùs fratrum animositate ista est innata contentio. Sed quia interdum, Domine Papa, provenit gaudium ex tristitia; non adeo mæstificamur, quia PER IGNAROS, ET CURIOSOS suavissimis monitionibus tuæ Sanctitatis illuminari meruimus .... Deposcimus ut, & ignaros tuis orationibus Domino commendes mansuetissimè componendos*. Ita Cœnobiarcha Valentinus. Sub initium autem Epistolæ : PER RUSTICITATEM FRATRUM *nostrorum, nostro judicio erubuimus &c.*

En tibi viros Augustinianæ doctrinæ asperitate turbatos, quorum acre judicium in ferenda sententia, Launojus ostentat : Quinos, aut senos, ut ut maximè Monachos, imperitos, ignaros, rusticos, curiosos, ac ne lecti quidem Libelli intelligentiam. assecutos.

Verùm quod Monachos attinet, in Augustini sententiam venientes, ii & authoritate præcipui, & ingenio summi, & eruditione præstantes erant. Hos inter primo loco censendus Valentinus, Cœnobii Præpositus, piissimus, atque doctissimus, qui fratres ex Libelli lectione scandalum passos tam atris coloribus depingit; iisque persimiles dicit, qui audito Christo, discesserant, non dicentis culpa, sed vitio audientium : Libellum autem ipsum, cujus occasione nata offensio fuerat, *venerabilem, dulcissimum, sacrosanctum* appellat : quin etiam ejusdem præcipua capita, ab imperitis perperam intellecta, in summam colligens, ac sano sensu accipiens, *hoc credimus*, inquit, *docente te, venerabilis Pater*. Censendus & eo numero Sabinus, Monasterii Presbyter, literis apprimè eruditus, qui ad Cœnobiarchæ imperium, libelli sensum aperuit, tametsi nec profecerit hilum. *Sanctum Presbyterum Sabinum* (laudatæ Epistolæ verba sunt) *ad majorem authoritatem rogavimus, & ipsius sanctitas librum cum liquidis interpretationibus legit, nec sic anima sauciata curata est*, Adjungendus & Florus, qui Uzalam paulò ante profectus, libellum, dictante Felice Monacho, excripserat, & Adrumetum, antequam rediret ad suos, transmitten-

tendum curaverat. Is enim altissima divinæ Prædestinationis, & gratiæ Mysteria edoctus, procul ab imperitis Monachis abibat. *Servi tui Flori hæc fides est, Pater, non sicut fratres isti sunt locuti.* Quod subindè facto rei periculo, per se se intellexit Augustinus ipse, dum eundem ad se vocatum, exactam libelli, seu datæ ad Sixtum Epistolæ intelligentiam tenere, frequentibus collationibus didicit uti *capite* 1. de *Correptione & gratia* testatum reliquit : *Hanc fidem, quæ sine dubio vera, & Prophetica, & Apostolica, & Catholica fides est, etiam in fratre nostro Floro invenisse me gaudeo : unde hi potiùs corrigendi sunt, quos quidem, propitio Deo, correctos esse jam existimo, qui eum non intelligebant.* Adjungendi, uno verbo dixerim, penè omnes, senis illis ad summum exceptis, intra quos tota, ut observavimus, steterat controversia.

Profectò, si quæ fides Augustino, longè plures optimarum partium erant Adrumeti ; cæteri offensionem ex ignorantia passi, pauculi admodum, iique magna ex parte juniores, maximè verò Cresconius, & Felix, qui præ reliquis effervescentes, Sanctissimum Præsulem diffidia nunciaturi, rectamque libelli intelligentiam accepturi convenerant. *Venerunt ad nos*, inquit ille dato ad Valentinum Responso Epistola 214. DUO JUVENES *Cresconius, & Felix, de vestra Congregatione se esse dicentes, qui nobis retulerunt Monasterium vestrum nonnulla dissensione turbatum, eo quod QUIDAM in vobis sic gratiam prædicent, ut negent hominis esse liberum arbitrium : &, quod est gravius, dicant, quod in die judicii non sit redditurus Deus unicuique secundùm opera ejus.* (Hæc scilicet erant impia consectaria, ex gratia se ipsa efficaci, & gratuita prædestinatione derivata.) *Etiam hoc tamen indicaverunt, quod PLURES VESTRUM non ita sentiant, sed liberum arbitrium adjuvari fateantur per Dei gratiam, ut recta sapiamus atque faciamus, ut cùm venerit Dominus reddere unicuique secundum opera ejus, inveniat opera nostra bona, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.*

Quare non possum non indignari Launojo, qui ut omnes promiscuè Adrumeti Monachos, in transversum actos, & Augustinianæ doctrinæ duritie offensos lectoribus innuat, decretam ad Augustinum, communi veluti suffragio, legationem oblique significat : cùm contra, Valentinus Monasteriarcha Cresconii & Felicis profectionem *inordinatam* vocitet ; eamque, se quidem minùs probante atque ferente, a juvenibus furore arreptis fateatur : *Nec hoc quidem patientiùs accipere voluerunt, sed arripuerunt profectionem, nobis aliter non optatam, fratre Floro furore illorum propemodum conturbato &c.*

Ha-

Hactenus excitata Adrumeti dissidia, quæ ad Augustinianæ doctrinæ invidiam malo animo verterat pseudo-Traditionis consarcinator, eidem gloriæ cessisse demonstravi, spectata dissidentium conditione. Addam nunc, quæ authoritatem illi concilient, ex selecti a Monachis arbitri dignitate, lataque sententia. Erat ea ætate temporum in ore famæ magnus Evodius, Sacrorum Uzalæ Moderator, atque ob legationem ad Honorium anno ab hinc vicesimo summa cum laude obitam, tota Africa percelebris. Controversiæ judicium, & libelli interpretationem ab eo rogandam censuit Cœnobii Præpositus Valentinus: quamquàm morarum impatientes Cresconius, & Felix talaria induerint, & Hipponem Augustinum ipsum, sui interpretem audituri, contenderint. Quæsitis satisfecit Evodius, cujus Rescriptum hactenus ineditum, ac situ putre, in Sancti Maximini Trevirensis Tabulario Sirmondus invenit. Secundùm Augustinum sententiam tulit; ejus sensu, atque exemplo, quid de libero arbitrio sentiendum insinuavit; præcipites censores asperioribus verbis habuit; ac ne quod minùs intelligentia assequebantur, facilè reprehenderent, paucis admonuit. Quo judicio Launojus noster attonsus est. Do Evodianæ Epistolæ fragmentum, Historiæ Prædestinatianæ insertum capite 1. *Honorabiles Fratres retulerunt nobis, quia nescio quæ ibi quæstiones inter vos natæ sunt, de libero arbitrio, & de justitia Dei. Laudamus quidem studium vestrum, sed nolumus esse contentiosum. Contentio enim perturbationem excitat, sed studium pietatem requirit. Liberi arbitrii plenissimum affectum habuit homo primò procreatus, Adam dico .... Inde dictum est*: Infirmatus est in egestate vigor meus, & lumen oculorum meorum non est mecum. *Ad hoc recuperandum missus est medicus Salvator Christus, ut salvaret quod perierat, & curaret quod vitiatum fuerat .... Legant ergo Sancti Dei Majorum dicta, sicut jam dixi, qui habent divini muneris pium affectum: & quando non intelligunt, non citò reprehendant, sed orent ut intelligant.* Reliquum Epistolæ nobis Sirmondus invidit, seu, quòd *parum emendatum esset*, ut ait, seu fortè, quòd quidpiam domesticæ Scholæ minùs propitium contineret. Atque hæc de Monachis Adrumetinis.

Nihilo feliciùs Vitalem Charthaginensem in scenam Launojus inducit, alterum Augustinianæ doctrinæ reprehensorem. (*Pag.* 27.) *Vitalis Carthaginis Presbyter*, inquit ille, *Augustino intimus, ac familiaris, talem, ac tantam ex ejus doctrina passus est offensionem, ut suam illi per literas perturbationem significarit; illud etiam scripto denuncians, plura quàm par esset, ab ipso divinæ gratiæ viribus adscribi.* Dignum Palæmone figmentum! Vitalem Augustino familiarem, nuspiam legere contigit: datas ab eo ad Hippo-

ponensem Episcopum literas, queis suos illi sensus retegeret, longè minùs: imò ex ipso Augustinianæ ad eundem transmissæ Epistolæ proludio compertum est, Vitalis de divina gratia sententiam, seu veriùs hæresim putidissimam, Præsuli Hipponensi nonnisi ex aliorum relatione innotuisse (*Epist.* 217., *Cum de te mihi essent nunciata non bona, & rogavi Dominum, & donec mihi bona nuncientur, adbuc rogo, ut literas meas, nec aspernanter sumas, & salubriter legas*. Et paucis interjectis: *Quomodo dicis, quod audio te dicere? &c.* Haud ita sanè intimum, ac familiarem, qui suos nobis amicè aliqua de re sensus aperuit, compellamus. At hæc Launoji calliditas fuit: Vitalem Augustino familiarem, & intimum commentus est, ut nonnihil ei in dicenda sententia authoritatis accederet: scriptam autem ab eo Epistolam dixit, ut tanquam actor Augustini dogmatibus obstitisse, videri posset; quem contra, uti violatæ fidei reum, traduxit Sanctissimus Doctor.

Sed audi Vitalis Carthaginensis professionem, ut quos nobis adversùs Augustinum, Ecclesiasticæ Traditionis testes conducit Launojus, detesteris: *Quomodo dicis* (Gratiæ vindicis verba sunt, eundem *Epistola* 217. compellantis) *quod te audio dicere ut recte credamus in Deum, & Evangelio consentiamus, non esse donum Dei, sed boc nobis esse a nobis, idest ex propria voluntate, quam nobis in nostro corde non operatus est ipse? Et ad boc, cum audieris, quid est ergo, quod ait Apostolus:* Deus in vobis operatur, & velle, & perficere? *respondes, per legem suam, per Scripturas suas, Deum operari, ut velimus, quas vel legimus, vel audimus: sed eis consentire, vel non consentire ita nostrum est, ut si velimus, fiat; si autem nolimus, nibil in nobis operationem Dei valere faciamus. Operatur quippe ille, dicis, quantum in ipso est, ut velimus, cum nobis nota fiunt ejus eloquia: sed si eis acquiescere nolumus, nos, ut operatio ejus nibil in nobis prosit, efficimus*. Cui idcircò duodecim sententias, *ad fidem veram, & catholicam attinentes* proponit, queis ni subscribat, censuras Ecclesiasticas minitatur.

Atque hinc videas, quàm constanti, ac fidenti animo, sua de gratia victrici, & gratuita prædestinatione dogmata proderet Augustinus, illibatæ doctrinæ conscientia erectus, ac pro imperio cum Vitali Carthaginensi agens; tanquam qui a Catholica fide deflecteret ipse, non qui vice versa Augustinum violatæ fidei postularet.

CA-

CAPUT SEPTIMUM.

Gallorum, ac potissimè Massiliensium in Augustinum Censuræ, ab Launojo denuò recusæ, bonori, & gloriæ cedunt Sanctissimo Gratiæ vindici.



Fricanos Augustinianæ doctrinæ admiratores, ut despicit Launojus deprimitque, (quam ob rem jam a nobis exagitatus est) ita Gallos, ac potissimùm Massilienses, ejusdem reprehensores in cœlum evehit, ac tantùm non pronus adorat. In hoc campo spatiatur, ac propè delicias facit, dignus Ecclesiasticæ de divina gratia Traditionis investigator, quam ad nos usque per Pelagianos, ac Semipelagianos, tanquam sacri depositi custodes integerrimos ducit. Horum in Augustinum dicteria, querelas, obtrectationes, censuras avidè colligit: Prosperi, & Hilarii ad Sanctum Doctorem Epistolas, queis exciti Massiliæ motus enarrantur, a capite ad calcem exscribit; non ut sanctissimis Discipulis obsecundet, ac recensitos ab iis errores detestetur, ac lugeat; sed, ut Massiliensium querimonias instauret, easque nec supervacuas, nec cum levitate conjunctas ostendat. Quod quàm sit Catholico Scriptore dignum, Ecclesiæ Principibus judicandum relinquo.

Non hic ego morabor supinas aberrationes, viro in veteri memoria, ut fuit, aut certè videri voluit, versatissimo minimè condonandas. (*Pag.* 35.) Prosperum, perindè, atque Hilarium in Gallias accersit ex Africa, ubi tamen nunquam substiterat Aquitanus. Eundem isthùc ab Augustino de industria submissum innuit, ut Magistri doctrinam latè diffunderet; cui tamen (*Pag.* 42.) *ignotum se facie* profitetur; primis ipsis datæ ad eum Epistolæ verbis. Hilarium tandem de subortis Massiliæ turbis, Augustinum per Epistolas commonentem, Arelatensem Episcopum vocat; cùm ille laicus esset, iste jam tùm Ecclesiæ regimini admotus; ille discipulus, iste e Censoribus unus. Istud, inquam, non moror, uti nec miror: Eccur enim discipulos noscet, qui Magistrum tam turpiter ignoravit? Sed suscepti consilii finibus me contineo, quæque conflatam in Augustinum erroris accusationem propiùs attinent, unicè refello.

Quocirca Launojo haud ægrè dabo, Augustini doctrinam plures in Gallia turbasse, atque illos quidem non ima de plebe, aut solo capite censos; sed pietate, doctrina, ac dignitate præcipuos;

Monachos ſcilicet, Cœnobiarchas, Presbyteros, & Epiſcopos. Haud etiam ibo inficias, doctrinæ duritiem cauſatos alios, alios novitatem, nonnullos plus nimiam ſublimitatem, pleroſque omnes minorem cum antiquis Eccleſiæ Patribus conſenſionem. Verùm primo duntaxat conſpectu tot illæ contentiones emerſere, rebus ad ſeveriores calculos nondum vocatis, quodque caput eſt, nondum audito Eccleſiæ judicio. Cæterùm ſilentibus paululum turbis, animiſque ex priſtina illa perturbatione revocatis, Eccleſia Gallicana inteſtino bello diſciſſa in Auguſtini ſententiam univerſa conceſſit; dum ſua per vices fundentibus oracula Romanis Pontificibus Cœleſtino I. Hormiſda, Felice IV. Bonifacio II. Pelagiani tandem erroris reliquias præſocavit ipſa; ſacroſque ſecuta duces, Auguſtini doctrinam, cujus occaſione tot antea excitæ turbæ, in Synodis Arauſicana, & Valentina transfudit in Canones. Quis autem de mota lite, ex initiis potiùs, primiſque turbinibus ſtatuat, quàm ex decreta ſententia? Non igitur, ſi quæ datæ in Galliis turbæ, reus traducendus eſt Auguſtinus; qui, & ea docuit, quæ, judicantibus demum Gallis, in Synodorum Canones tranſierunt; & omnem, quo turbæ ſileſcerent, operam poſuit, Libris de Prædeſtinatione Sanctorum, deque Perſeverantiæ dono, intra breve ſpatium concinnatis: ſed reprehendendi veniunt Maſſilienſes, qui iiſdem acriùs repugnantes, tumultus multo majores in Gallia conciverunt.

Tam proſperum, tamque Sanctiſſimo Gratiæ vindici glorioſum rerum exitum diſſimulavit ex inſtituto Launojus, ut illum excitorum diſſidiorum invidia oneraret. At id perperam, & incaſſum. Nos ne ſua callido diſſimulatori fraus lucro cedat, univerſa ex ordine temporum ſequentibus capitibus percenſebimus Summorum Pontificum, Conciliorumque judicia; queis certò conſtabit, integram penes Auguſtinum ſtetiſſe victoriam; ejuſque doctrinam Gallorum cenſuris præcipitanter inuſtam, in Pontificum tandem oracula, in Synodorum Canones, in fidei regulam tranſiiſſe.

Interim dum hanc ſpartam exequimur, vel ex ipſa Auguſtini, inter tot eruditorum adverſantium coitiones, in ſentiendo conſtantia, planè colligimus, quàm optimo jure niteretur. Quamquàm enim eſſet is mortalium modeſtiſſimus, nec niſi ex multorum conſilio, ubi dubium ſuberat, calculum poneret; ea tamen animi fiducia, traditam ſemel de divina gratia, & prædeſtinatione ſententiam, novis ſcriptionibus confirmavit; ut Semipelagianorum nec numero, nec Sapientia, nec authoritate moveretur. Quo ex capite, quantum Auguſtinianæ doctrinæ pondus accedat, intellexit, una cum Remigio Sanctiſſimo, doctiſſimoque Galliarum Antiſtite, Eccleſia Lugdunenſis *Libro de tribus Epiſtolis* capite 55. Auguſtinus *nec tanta perturbatione, & per motione fidelium, ab intentione veraciſſima, & fideliſſimæ*

mæ Doctrinæ suæ frangi potuit, aut revocari. Sed magis eos, & Scriptis suis in quantum potuit admonuit, & instruxit, & orationibus apud Deum profusis fideliter adjuvit, ut intelligerent, & agnoscerent, quàm necessariò, & quàm salubriter, propter commendationem divinæ gratiæ, ejusdem prædestinationis veritas omninò & credenda, & prædicanda esset.

Unde verò tanta illa Gallicanorum Episcoporum Hipponensi initio repugnantium, & Semipelagianam factionem conflantium turba, paucis edisseram: ne Augustinianæ Doctrinæ asperitati, ac novitati, (quamquàm has illi prætexerent) culpam Launojus adscribat.

Theodosio juniore imperante, & Valentiniano III. Collega Imperii designato, extremum ævi cardinem premente jam Augustino, Pelagiani non pauci sacras Galliarum, ac præsertim Provinciæ sedes occupabant. Hos ad bonam frugem perducere tentarunt pientissimi Principes, Patroclo Metropolitæ Arelatensi dato mandato, ut illos, nisi resipiscerent, Provinciis Gallicanis expelleret; Armatio verò Præfecto Prætorio manus eidem dare jusso. Legitur etiamnum Edictum *Tom.* 3. *Conciliorum* Labbæi pag. 543. in hæc verba: *Imperator Theodosius Augustus, & Valentinianus Cæsar, Armatio viro illustri* Præfectò Prætorio *Galliarum. Diversos verò Episcopos nefarium Pelagiani, & Cœlestiani dogmatis errorem sequentes, per Patroclum sacrosanctæ Legis Antistitem præcipimus convenire. Quos quia confidimus emendari, nisi intra viginti dies ex conventionis tempore, intra quos deliberandi tribuimus facultatem, errata correxerint, ... Gallicanis Regionibus expelli, atque in eorum loco Sacerdotes fideles subrogari: quatenùs præsentis erroris macula de populorum animis tergatur, & futuræ bonum disciplinæ justioris instituatur .... Data vij. Idus Julias, Aquilejæ, D. N. Theodosio Augusto XI. & Valentiniano Cæsare Consulibus.* Quod in annum æræ Christianæ 425. incidit, ante Massiliensium coitiones circiter quartum.

Qui pulsi Episcopi fuerint, quive ad meliorem frugem redierint, nulla prodit historia. Verùm, ut erat refractarium istud hominum genus, & summorum Pontificum Innocentii I., Zozimi, Bonifacii I. Synodorumque Africanarum judiciis stare hactenus detrectaverant; Imperialium tandem legum timore perculsi, nevè suis sedibus pellerentur, ita Pelagianam hæresim mitigarunt, ut in Semipelagianorum castra deflecterent; satis sibi consultum arbitrati, & Imperatorum legibus obsecutum, si extremo repudiato errore, medium quid saperent, suisque discipulis instillarent. Hanc Christiano Lupo, viro de Republica literaria optimè merito debemus observationem: (*Opusc. posth. pag.* 475.) *Per Patroclum Arelatensem Episcopum, ac laudatam Valentiniani legem, correcti in Gallia Epi-*

Episcopi, reliquere discipulos eruditione, & pietate illustres: verùm qui Pelagianis erroribus ita valedicerent, ut tamen in Sancti Augustini adversùs illos scriptis quædam improbarent.

Quot tamen numerosæ factioni Hilarius, & Prosper momento temporis eripuerint, ex binis Aquitani Epistolis discimus, si mutuò conferantur. Priori quippè Augustino inscripta anno 429. qui penultimus mortalis ejus contubernii fuit, paucos admodum divinæ gratiæ defensores in Galliis extitisse denunciabat: *Nec facilè quisquam*, inquiebat, *præter paucos perfectæ gratiæ intrepidos amatores, tanto superiorum disputationibus ausus est contraire*. Altera verò Rufino viro amicissimo, aliquantò post destinata, (Augustino tamen etiamtum in vivis agente, quem *magnorum meritorum senem* appellat) plurimos ejusdem S. Doctoris sectatores fuisse, atque in dies accessionem facere, commonebat: *In his ipsis locis*, Prosperi verba sunt, *in quibus adversùs eum querimonia concitatur, esse propitio Deo plurimos, qui ad perceptionem Evangelicæ Apostolicæque Doctrinæ, saluberrimis ejus disputationibus imbuuntur: & quotidiè in membris Corporis Christi, in quantum ea ipse multiplicat, dilatantur*. Tametsi, ut sum optima fide, inficiari omnino nolim, plurimos illos divinæ gratiæ integerrimos defensores, oppugnantium comparatione, paucos censeri oportere; adeò Massiliensium factio primis illis initiis numero, & authoritate vincebat.

Quid acceptis discipulorum Epistolis, ad Massiliensium querelas reposuerit Augustinus, geminis de Prædestinatione Sanctorum, deque Perseverantiæ dono vulgatis libellis, Launojus in pauca retulit, ac brevi pagina sugillavit; commentitiones carpens, errores veros obtrudens, haud melior theologus, quàm historicus. (*Pag.* 51. 52. 53.) In quatuor Augustinianæ doctrinæ capita stylum exercet, non magno Argumentorum apparatu velitando, sed pro summa, quam sibi tribuit in Republica Literaria dictatura, censoria virga notando. Primùm, quòd reprobos a Deo tandem deseri doceat Augustinus. Alterum, quòd lapsum hominem pristina libertate devolutum ostendat. Tertium, quòd Christum pro solis electis mortuum opinetur. Ultimum, quòd initium fidei, ipsamque in bono perseverantiam Dei donum esse, ex fusis omni retro ætate Ecclesiæ precibus, demonstrarit. Quis hanc Theologi Parisiensis censuram dixerit, ac non veriùs insipientis Theologastri, qui ne summis quidem labris sacræ doctrinæ principia degustarit? Ego quidem sic contra statuo: tertio demto capite, variis per sese sensibus obnoxio, sed apud Augustinum prorsùs innocuo, cætera non modò nulli patere calumniæ, sed ne tuta quidem fide reprehendi a quoquam posse.

Quod etenim primum attinet: quamquàm Theologos inter, haud levis controversia vertatur, num Deus in præcedentium scelerum pœnam,

nam, nonnullos tandem homines deserat, summa, ut ajunt, desertione, qua non actionis tantùm, sed & *possibilitatis* auxilia subtrahat; aliquo tamen desertionis genere, a Deo deseri reprobos, Scriptura disertè testatur, ac sæpè numero. *Jeremiæ* 51. *v.* 9. *Curavimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam. Psalmo* 80. *v.* 13. *Et dimisi eos secundùm desideria cordis eorum. Osæe* 1. *v.* 6. *Non addam ultrà misereri domui Israel, sed oblivione obliviscar eorum.* Ibidem *capite* 4. *v.* 6. *Oblita es legis Dei tui, obliviscar filiorum tuorum, & ego. Isaiæ* 5. *v.* 5. *Et nunc ostendam vobis, quid ego faciam vineæ meæ. Auferam sepem ejus, & erit in direptionem: diruam maceriam ejus, & erit in conculcationem; & ponam eam desertam; non putabitur, & non fodietur; & ascendent vepres, & spinæ: & nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem. Ecclesiastis* 7. *v.* 14. *Considera opera Dei, quòd nemo possit corrigere, quem ille despexerit. Matthæi* 23. *v.* 38. *Ecce relinquetur domus vestra deserta, dico enim vobis, non me videbitis amodo. Joannis* 8. *Ego vado, quæretis me, & in peccato vestro moriemini.* Cùm itaque reprobos a Deo deseri, simpliciter dixerit Augustinus, desertionis verò genus nequaquam expresserit; nihil aliud docuisse censendus est, quàm quod sacris Literis continetur. Et verò dum statuit Tridentina Synodus *Sessione* 6. *de Justificatione capite* 11. *Deum sua gratia semel justificatos non deserere, nisi priùs ab eis deseratur*, an non istud alterum necessaria consecutione statuisse perhibetur, illos nimirum a Deo deseri, qui eundem priores deseruerint? Quovis tandem pacto desertionem illam exponere lubeat.

Omnibus ergo cachinnis excipiendus Launojus, qui, ut istud fidei caput, ab Augustino positum impetat, eas Scripturæ phrases ostentat, quibus Deus nullam personarum rationem habere dicitur, omnium ex æquo curam gerere, neminemque perire velle. Quis enim nesciat personarum delectum, cui vitium subest, Deoque idcircò indignum, non in gratuitis beneficiis contingere, qualis est gratiarum distributio, aut negatio, sed in debitis? Quis nesciat, æquam illam de omnibus curam, a Deo juxta Scripturæ fidem, haberi solitam, ad generalis duntaxat providentiæ beneficia pertinere, non ad gratuita specialis providentiæ, hoc est, prædestinationis bona, charismata, gratias, ac præsertim inæstimabile finalis perseverantiæ donum, quod omnibus promiscuè commune, citra hæresis labem nemo dixerit? Quis nesciat generalem; quæ Deo insidet, salutis omnium voluntatem, nequaquàm obesse, quominùs speciali quodam titulo, fidelium, ac potissimùm electorum Servator Christus Dominus asseratur? I. *ad Timotheum* 4. *v.* 10. *Qui est Salvator omnium hominum, maximè fidelium:* ad quos nimirùm uberiores

riores effusi sanguinis fructus pertingunt. (*Sess. 6. de Justificat. cap. 3.*) Qua de caussa a Concilio Tridentino pronunciatum est, ita Christum pro omnibus esse mortuum, ut *tamen non omnes beneficium mortis ejus recipiant*.

Verùm, quod addit hoc ipso in loco Launojus, *Judam, tametsi in electorum numero esset, eorumque ordine conseretur, quos Pater filio dederat, æternùm nihilominus periisse*, non cachinnis modò excipiendum venit, sed gravi erroris censura percellendum. Ut quid ergo, si perditionis filius, electorum tamen numero censebatur, Christus in Evangelio dixit, *Joannis 6. v. 39. Omne, quod dedit mihi* (Pater) *non perdam ex eo?* Et rursus *cap. 10. v. 28. Et non rapiet eas* (oves) *quisquam de manu mea?* Nescivit scilicet Augustini ineptissimus osor, Judam ad Apostolatus quidem gratiam vocatum a Christo, at non electum ad gloriam: mortalis contubernii socium, ac verbi ministrum assumtum a Domino, non inter oves perpetuò regnaturas, æterna vocatione destinatum; qua forte neminem excidere, fides docet. Hinc dilectus Apostolus *Epistola 1. cap. 2. v. 19. Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum*. Paulus etiam, *secundùm electionem propositum Dei manere* decernit, ad *Romanos 9. v. 11.* Imò Christus postremæ persecutionis acerbitatem probaturus, hanc auxesim adhibuit *Matthæi 24. v. 24. Ita, ut in errorem inducantur, (si fieri potest) etiam electi*. Qua loquendi formula significavit, fieri omninò non posse, ut extremo errore electorum aliquis seducatur. Quod hac invicta ratione demonstravit postmodum Augustinus, *Lib. de Correptione, & gratia capite 7. Horum si quisquam perit, fallitur Deus: sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Horum si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus: sed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus*.

Alterum Launojanæ in Augustinum censuræ caput, haud mitiori virga notandum est. Lapsum enim hominem pristina libertate devolutum esse, fidei dogma est, a Conciliis, ac Pontificibus definitum. Sic Innocentius I. *Epistola* inter Augustinianas 181. ad Concilium Carthaginense: *Liberum enim arbitrium olim ille perpessus, dum suis inconsultiùs utitur bonis, cadens in prævaricationis profunda demersus est, & nihil quemadmodum exinde surgere posset, invenit, suaque in æternum libertate deceptus, hujus ruinæ jacuisset oppressus, nisi eum post Christi pro sua gratia relevasset adventus: qui per novæ regenerationis purificationem, omne præteritum vitium sui Baptismatis lavacro purgavit, & ejus firmans statum, quo rectiùs, stabiliusque procederet, tamen suam gratiam in posterum non negavit*. Cœlestinus I. seu quisquis alius, in

in celeberrimis Capitulis, datæ ad Præsules Gallicanos Epistolæ adnexis, totius orbis veneratione consecratis: *In prævaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem, & innocentiam perdidisse; & neminem de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium posse consurgere, nisi eum gratia Dei miserantis erexerit:* (apud Labb. Tom. 3. pag. 473.) Concilium Arausicanum II. *Cap.* 1. *Si quis per offensam prævaricationis Adæ, non totum, idest, secundùm corpus, & animam in deterius dicit hominem commutatum, sed animæ libertate illæsa durante, corpus tantummodò corruptioni credit obnoxium, Pelagii errore deceptus adversatur Scripturæ &c.* Et cap. 13. *Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam Baptismi reparari non potest.* Et cap. 25. *Secundùm supra scriptas sanctarum Scripturarum sententias, vel antiquorum Patrum definitiones, hoc, Deo propitiante, & prædicare debemus, & credere; quod per peccatum primi hominis inclinatum, & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut &c.* (apud Labb. Tom. 5. pag. 809.) Ac demùm Concilium Tridentinum *Sessione 6. de Justificatione capite* 1. disertè pronunciat, liberum arbitrium in prævaricatione Adæ extinctum quidem non esse, *viribus licet attenuatum, & inclinatum.*

(*Pag.* 52.) Clamat Launojus, pristinam libertatem, ex Pontificum laudatorum, Conciliorumque sententia, Baptismi saltem regeneratione resarciri. At non advertit imprudens, duo primæva libertate contineri, immunitatem scilicet a peccato, & immunitatem a pœnis. Priorem Baptismi regeneratione restitui, uti statuunt laudati Pontifices, & Sacra Concilia, ita propugnat ubique passim, ac data opera Augustinus, qui originale peccatum sacro lavacro prorsùs abstergi decernit, ac docet. Alteram autem in ablutis ad agonem residuam, catholica cum Augustino profitetur Ecclesia; quæ secuta ex originali peccato altissima vulnera, proclivitatem nimirùm ad malum, ignorantiam veri, difficultatem recti, concupiscentiam perduellem in renatis agnoscit, ac luget; eaque de caussa juge medicinalis gratiæ præsidium renatis ipsis, ac justis necessarium profitetur, ut hæreditaria juvetur infirmitas (quæ Augustini doctrina est) utque cum omnibus suis erroribus, terroribus, & amoribus vincatur hic mundus. Ita Innocentius loco antè appellato: *Nam quamvis redemisset hominem a præteritis ille peccatis, tamen sciens iterum posse peccare, ad reparationem sibi, quemadmodum posset illum, & post ista corrigere, multa servavit: quotidiana præstat ille remedia, quibus nisi freti, confisique nitamur, nullatenus vincere humanos poterimus errores. Necesse est enim, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur.* Cœlestinus Capitulis paulò ante laudatis: *Neminem etiam Baptismatis*

gratia renovatum, idoneum esse ad superandas diaboli insidias, & ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei perseverantiam bonæ conversationis acceperit. Concilium Arausicanum II. *Cap.* 10. *Adjutorium Dei etiam renatis, ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare*. Leo magnus *Sermone* 8. *de Epiphania*: *Hæc sanctis caussa est tremendi, atque metuendi; ne ipsis operibus pietatis elati, deserantur ope gratiæ, & remaneant in infirmitate naturæ*. Synodus tandem Tridentina *Sessione* 5. *de peccato originali Canone* 5. *Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, hæc sancta Synodus fatetur, & sentit: quæ cùm ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, & viriliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus non valet .... Sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit: anathema sit.*

(*Pag.* 52.) Viderit modò Launojus, num Ecclesiæ, ac speciatim Innocentii, & Cœlestini judicio damnatus ipse sit, qui hanc Augustini sententiam, ab illis ipsis Romanis Pontificibus damnatam effutit. Nihil quippe hic amissæ primævæ libertatis nomine intellexit, quàm amissum primævæ conditionis robur, residuamque in ipsis quoque renatis infirmitatem, potentioribus divinæ gratiæ præsidiis adjuvandam. Hinc *Libro de Correptione, & gratia cap.* 12. *Nunc posteaquàm est illa magna peccati merito amissa libertas, etiam majoribus donis adjuvanda remansit infirmitas*. Et *Libro* 1. *ad Bonifacium capite* 2. *Quis autem nostrum dicat, quòd primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, sed illa, quæ in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate justitiam: propter quod natura humana divinà indiget gratià*.

Tertium Launojanæ censuræ caput virum prodit, nedum in Augustiniana doctrina, verùm etiam divinis in Literis peregrinum prorsùs & hospitem. An non enim electorum duntaxat salutem, certo quodam sensu, velle se innuit Christus Dominus, dum inquit, *Joannis* 17. *v.* 9. *Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi?* Est enim oratio voluntatis interpres. Si ergo, quæ passim hoc de argumento literis prodidit Sanctissimus Doctor, mutuò contulisset, reconditiorem propositionis in invidiam traductæ sensum, nulli censuræ obnoxium agnovisset. Licèt enim, ubi celebre Apostoli dictum, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, (1. *ad Tim.* 2. *v.* 4.) de efficaci voluntate interpretatus est, de solis prædestinatis intelligendum definierit sæpè numero; ut nimirùm Semipelagianos, universalis, & indiscretæ gratiæ defensores, eo insigniter abusos oraculo, feliciùs confutaret; illosque, quò se ultimò

mò recipiebant vallo dejiceret : ubi tamen de inefficaci (quam antecedentem, Damasceno duce, Scholæ nuncupant) sermo fuit, Christum pro universis hominibus, ac pro ipsis etiam reprobis, divina destinatione mortuum apertissimè docuit. *Enarratione in Psalmum* 95. ea Prophetæ Regis verba expendens, *Judicabit orbem terræ in æquitate*, hanc exercendi in omnes judicii rationem subjungit : *Non partem judicabit, quia partem non emit. Totum judicare habet, quia pro toto pretium dedit. Enarratione* 2. *in Psalmum* 68. pro Juda traditore fusum Christi Sanguinem scribit : *Projecit pretium argenti, quo ab illo Dominus venditus erat, nec agnovit pretium, quo ipse a Domino redemptus erat.* Eundem pro Judæis incredulis fusum agnoscit, *Sermone* 2. *de Symbolo ad Cathecumenos capite* 8. ubi Servatorem in extremo judicio, perfidam gentem his verbis compellantem inducit : *Ecce hominem, quem crucifixistis, ecce Deum, & hominem, in quem credere noluistis.... Agnoscitis latus, quod pupugistis : quoniam, & per vos, & propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis. Libro* 6. *contra Julianum capite* 4. pro iis omnibus mortem a Christo oppetitam insinuat, qui in Adam mortui fuerant. Expendens namque illud Apostolicum, *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt*, ita virum Pelagianum exagitat : *Ex hoc probavit Apostolus, omnes mortuos esse, quia pro omnibus mortuus est unus. Impingo, inculco, infercio recusanti : accipe, salubre est, nolo moriaris.* Unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. *Vide quia consequens esse voluit, ut intelligantur omnes mortui, si pro omnibus mortuus est.* Alia id genus fermè sexcenta Sanctissimi Præsulis testimonia congerere, haud esset operosum, si in has de divina gratia controversias vellemus ingredi. Pauca hæc comprimendæ Launoji dicacitati abundè sufficiunt.

Ultimum tandem, quod attinet censuræ caput, si eo referatur, ut erroris, ac novitatis incusetur Augustinus, quòd initium fidei, ac ipsam in finem usque perseverantiam singulari gratiæ tribuerit, hæresim præ se fert patentissimam, ab Cœlestino I. & Bonifacio II. a Conciliis Arausicano, Valentino, Tridentino in Semipelagianis distinctè damnatam : si verò eò collimet unicè, ut Augustini argumentum, ex publicis Ecclesiæ precibus petitum, quo istud fidei caput contra Massilienses adstruebat, cavilletur ; audacem tricandi libidinem prodit. Quorsum enim, amabò, Ecclesiæ fidem ex ejusdem precibus minimè colligamus? An non legem credendi statuit lex supplicandi? An non stultum orare, ut facias, quod in tua positum est potestate? Censuram ergo distringat audacissimus Aristarchus, in Carthaginensis Synodi Patres, hoc idem ex Ecclesiæ precibus delibatum argumentum usurpantes, in sua ad Innocen-

centium I. Epistola 175. *Si enim hæc possibilitate naturæ, & arbitrio voluntatis, in potestate sunt constituta; quis non ea videat a Domino inaniter peti, & fallaciter orari, cum orando poscuntur, quæ naturæ nostræ jam ita conditæ sufficientibus viribus obtinentur?* Distringat in Innocentium I. eodem momento usum, dato *Rescripto ad Carthaginensis Synodi Patres, inter Augustinianas Epistolas* 181. *Adjutorio quotidiano nos egere negare non possumus. Hoc enim, seu bene vivimus, provocamus, ut melius sanctiusque vivamus.* Distringat in Cœlestinum, cui adnexa Epistolæ Decretali Capitula sæpius adjudicat. Hæc enim octavo Capitulo continentur: *Cùm sanctarum plebium Præsules mandata sibimet legatione fungantur, apud divinam clementiam humani generis agunt caussam, & tota secum Ecclesia congemiscente, postulant, & precantur, ut infidelibus donetur fides, ut idololatræ ab impietatis suæ liberentur erroribus, ut Judæis ablato cordis velamine lux veritatis appareat, ut hæretici Catholicæ fidei perceptione resipiscant, ut Schismatici spiritum redivivæ charitatis accipiant, ut lapsis pœnitentiæ remedium conferatur, ut denique Cathecumenis ad regenerationis Sacramenta perductis, cœlestis misericordiæ aula referetur. Hæc autem non perfunctoriè, neque inaniter a Domino peti, rerum ipsarum monstrat effectus: quandoquidem ex omni errorum genere plurimos Deus dignatur attrahere, quos erutos de potestate tenebrarum, transferat in regnum filii charitatis suæ, & ex vasis iræ faciat vasa misericordiæ. Quod adeo totum Divini operis esse sentitur, ut hæc efficienti Deo, gratiarum semper actio, laudisque confessio, pro illuminatione talium, vel correctione referatur* (apud Labb. Tom. 3. pag. 475.) Nempe Gratiæ vindicem imitatus Cœlestinus, totum divini muneris esse colligit, quia totum Ecclesia Catholica publicis supplicationibus precatur a Deo.

Sed censuræ ineptissimæ extremam manum imponit Epilogus, dignum patella operculum. Audite viri Theologi, atque hinc de Augustini sententia judicium ferre discite (*Pag.* 52. *& in Prolus. P.* 2.) *Satis superque significat Augustinus, minùs sibi de hujusce sententiæ veritate certum esse: quippe, qui ab ea se recessurum spondet, si ad examen vocata falsi convincatur.* Quem Augustini locum in oculis censor habuerit, dum hæc scriberet, haud satis perspectum habeo: nullum enim pro more suo notat in margine; nullaque distincta sanctissimi Præsulis verba ponit. Ad *caput* 21. *Libri de Dono perseverantiæ* fortasse censuram refert, ubi hæc obiter habet humillimus Pater: *Neminem velim sic amplecti verba mea, ut me sequatur, nisi in iis, in quibus me non errasse perspexerit.* Verùm id, non de eo, quod expendimus in præsentia dogmate, singulariter dictum est, tanquam certa ipsi ea de re senten-

tia

tia non esset : sed generatim de quibuscumque dogmatibus, quorum recognitionem tunc temporis adornabat. Unde subjungit e vestigio : *Nam propterea nunc facio Libros, in quibus Opuscula mea retractanda suscepi, ut nec me ipsum in omnibus me secutum fuisse demonstrem; sed proficienter me existimo Deo miserante scripsisse, non tamen a perfectione cœpisse.* Cæterùm Augustinum gratuitæ prædestinationis dogma, cujus occasione tot illi turbas Massilienses exciverant, inter indubitata, certissimaque fidei dogmata reposuisse, nemo negabit, qui extremas ejusdem lucubrationes lectitarit. *Libro de Correptione, & gratia capite* 1. *Hanc fidem, quæ sine dubio vera, & Prophetica, & Apostolica, & Catholica fides est, etiam in fratre nostro Floro invenisse me gaudeo &c. Libro de Dono perseverantiæ capite* 19. *Hoc scio, neminem contra istam prædestinationem, quam secundùm Scripturas sanctas defendimus, nisi errando disputare potuisse. Capite* 20. *Hæc est prædestinatio manifesta, & certa Sanctorum; quam postea diligentiùs, & operosiùs, cùm jam contra Pelagianos disputaremus, defendere necessitas compulit.* Et *capite* 23. *Prædestinationis hujus fidem, quæ contra novos hæreticos nova sollicitudine nunc defenditur, numquàm Ecclesia Christi non habuit. Libro* verò *de Prædestinatione Sanctorum cap.* 4. *Ecce quare dixi superiùs, hoc Apostolico præcipuè testimonio etiam me ipsum fuisse convictum : cùm de hac re aliter saperem.* Viden quàm certò, firmiterque ea Augustino sententia insideret? (*Pag.* 53.) Num autem hujus inventor extiterit, quod illi Launojus exprobrat, non est hujus instituti, & otii disputare. Ea de re postremis capitibus sermo erit.

Notare hîc satis fuerit, Audacissimum Aristarchum, iniquiorem multò in Augustinum simul, & Prosperum virgam exercuisse, dum hujus ad Rufinum Epistolam ad crisim exegit. Hunc etenim in Magistri sui defensionem perperam ingressum, susceptoque munere pessimè functum obtendit, quòd ille a gemino errore purgari non possit : (*Pag.* 59. *& seq.*) priori quidem, de sublato, ut ait, voluntatis arbitrio, dum necessitatem in lapso homine posuit, & bene agendi cum gratia, & male agendi sine gratia; *factamque de libertate necessitatem* apertissimis verbis asseruit : altero, de immoto æternæ prædestinationis decreto, dum alios ita electos ad vitam, alios in perditionis massa ita relictos propugnavit, ut definitam sortem nemo unquam eludat. Verùm quod primum attinet, si eæ loquendi formulæ Sanctissimo Doctori familiares, de quibus jam aliqua diximus capite 2. ad quintam, & sextam Propositionem tertii indiculi, ab errore vindicari non possunt, nec in rectam sententiam accipi; eodem laborabunt vitio Pontifices, Synodique; queis Sanctissimi Doctoris sensum, iisdem ipsis, ac etiam durio-

durioribus in speciem verbis, reddere libuit. Innocentius I. in Rescripto ad Carthaginensis Synodi Patres: *Necesse est, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur*: & reliqua, quæ paulò supra laudata sunt. Gelasius in *Epistola ad Episcopos per Picenum* constitutos: *Homo liberum arbitrium corrupit, fœdavit, ac perdidit*. Concilium Arausicanum contra Pelagianorum reliquias celebratum Canone 13. *Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam Baptismi, non potest reparari: quod amissum, nisi a quo potuit dari, non potest reddi*. Et *Canone* 22. *Nemo habet de suo, nisi mendacium, & peccatum* (apud Labb. Tom. 5. pag. 809.) Quod alteram criminationis partem attinet, Semipelagianum Censorem veriùs olet, quam Theologum Parisiensem, Catholicæ quippe fidei dogma a dilecto Discipulo, a Gentium Apostolo, a Christo ipso, locis, & paulò ante, & capite 2. (*Prop. 6. Indic. 1.*) laudatis, disertissimè traditum, erroris nota innurit, in verum, ac spissum errorem prolapsus ipse. Adeo tricandi libido hominem audacissimum in transversum egit.

Cætera inconditæ reprehensionis capita missa facio: seu quòd aliis hujus nostræ lucubrationis partibus confutata sint, seu quòd cachinnis potiùs, quàm seria animadversione digna videantur. Unum surdâ aure præterire non possum, quo Prosperum Sanctitatis gloria non minùs, quàm eruditionis laude clarissimum ridet, ac ceu falsum Prophetam ludibrio vertit, quòd hanc Rufino suo, ad calcem Epistolæ, spem bonam fecerit: *Confido ego in virtute misericordiæ Dei, quoniam hæc contradictio* (quam scilicet Augustini Doctrina in Galliis patiebatur) *sicut in aliis mundi partibus, ita & in his regionibus conquiescet: ut prædicatio summi hoc tempore in Ecclesia viri, etiam ab his, a quibus ad præsens repellitur, adjuvetur*. Non Prosper Propheta malus, qui quod re ipsa tandem evenit, certò pervidit, sed Launojus derisor pessimus; qui rerum exitum, aut supina nimis ignorantia nescivit, aut dolosa nimis calliditate dissimulavit. Gravi enim, ac diuturnæ contentioni, quæ Gallos Episcopos centum, & ampliùs annos exercuit, finem tandem attulit Ecclesia ipsa Gallicana, in Conciliis Arausicano, & Valentino congregata: totam de gratia, & libero arbitrio controversiam, ex Sancti Augustini sententia composuit; ejusque doctrinam, cui hactenus contradictum erat, editis Canonibus consecravit, uti pleniùs Capite 13. demonstrabimus.

C A-

CAPUT OCTAVUM.

Launojana fabella, de turbis in Africa, & Italia excitatis, Augustinianæ doctrinæ occasione, statim a Sancti Doctoris obitu, depellitur, confutatur.



Ergit cœpto Launojus: utque Augustinum recèns ad superos vocatum constanti invidia oneret, novos ab ejus Discipulis motus in Africa concitatos comminiscitur. Fabulatorem audire præstat, (*Pag.* 64.) commenta sua temere venditantem, *capite 6. commentitiæ Traditionis: Sublato e vivis Augustino, antequam doctrinam suam Afrorum animis altè inseruisset, supremam operi manum admovere tentarunt addicti discipuli. Magistri ergo doctrinam in Africam inducere conati sunt; quod illam, ut credere par est, veram, certamque opinarentur. Verùm Pelagiani, quibus perspectum erat, eam nihilo sua meliorem esse sanioremque, intercessere pro viribus: palamque denunciarunt, illos a vera Ecclesiæ Doctrina procul abire &c. ......* (*Pag.* 65. 66.) *Tot illas criminationes, infamandæ Augustinianæ Doctrinæ pares ut eluderent sublati paulo ante Magistri Discipuli, ejusdem elucidationem adornarunt, Libro Hypognosticon evulgato; quo nedum Magistri doctrinam, quantum in illis fuit, purgare tentarunt, sed partis etiam adversæ dogmata, ut par pari redderent, oppugnarunt, &c.*

Gratias Launojo maximas. Augustini salva res est: quandoquidem si quos doctrina ejus in Africa motus excivit, non alios nisi Pelagianos passa est adversarios. Bonum omen. At in hoc turpissime falsus est Traditionis investigator, quòd statim ab Augustini obitu excitos in Africa motus dictitet, gratuitæ prædestinationis, & gratiæ se ipsa efficacis occasione, quæ Gallos, ac potissimùm Massilienses adeo male torserant: eoque rerum concursu ad ea tutanda dogmata, Libros Hypognosticon elaboratos effutiat. Si quæ enim tunc temporis in Africa datæ turbæ, eæ non istarum, de quibus hìc agitur, Quæstionum, sed puri, putique Pelagianismi occasione emersere: dum Julianus, Florus, Orontius, aliique Episcopi Pelagiani, ex recenti Augustini obitu audaciores, Nestorio novum, atque affine dogma de Christo docenti, suppetias tulere; nec modo Africam, sed totum pene Orientem commoverunt: quibus sedandis turbinibus Ephesina Synodus indicta est. Neque verò

verò unctum hinc caput extulere Pelagiani, (quos Augustini discipulis Launojus opponit, & Ecclesiasticæ, quod magis detestere, Traditionis testes obtrudit) sed communi cum Nestorianis sententia inusti sunt. Etenim statim atque Legati Apostolicæ Sedis, venerandis Synodi Patribus retulere, quæ Romæ contra Pelagianos decreta essent, uno ore in illos lata sententia est, ut ex ipsa Synodi ad Cœlestinum *Epistola* perspicuum est: *Porro autem perlectis in sancta synodo commentariis actorum in depositione impiorum Pelagianorum, & Cælestianorum, Cælestii, Pelagii, Juliani, Persidii, Flori, Marcellini, Orentii, & eadem cum illis sentientium, quæ a pietate tua de ipsis decreta, & constituta sunt, judicavimus, & nos ea solida, firmaque permanere debere, & idem omnes tecum statuimus, eos pro depositis habentes.* (apud Labb. Tom. 3. pag. 1195.)

Libri autem Hypognosticon, nec Augustino paulò ante sublato, nec gratuitæ prædestinationis, gratiæque victricis vindicandæ caussa, nec a fido Augustini discipulo sunt adornati. Enim vero, quo tempore lucem aspexerint, non una eruditorum circumfertur opinio, nemo tamen accedit Launojo. Hos anno circiter 419. ante Augustini obitum undecimo, a Sixto Ecclesiæ Romanæ Presbytero editos conjicit Garnerius, eruditus Marii Mercatoris Interpres; quo necdum tempore datæ erant in Galliis turbæ. Imo ante annum 418. a Mario ipso Mercatore adornatos opinatur Dupinius, in notis ad Tomum 10. Operum Sancti Augustini, sexto, ut minimùm, vertente sæculo, elaboratos alii volunt, sopitis jam sedatisque Galliæ turbis; quod ex Gennadii, aliorumque Sæculi 5. Scriptorum silentio colligunt. Quocumque porro res cadat, Launojus fœdi anachronismi revincitur, qui eos Galliæ turbarum occasione, & sublato paucis ante diebus Augustino, editos comminiscitur. Eosdem adversus purum, putumque Pelagianismum elaboratos, res ipsa clamat. In quinque enim Quæstionibus eventilandis, queis integra stabat hæresis Pelagiana, totus est Auctor. 1. *Adam sive peccasset, sive non peccasset, moriturum fuisse.* 2. *Peccatum Adæ neminem nocuisse, nisi solum ipsum.* 3. *Posse hominem per liberum arbitrium, tanquam per se sibi sufficientem, implere, quod velit; vel etiam meritis operum a Deo Gratiam unicuique dari.* 4. *Libidinem naturale* in homine *esse bonum, nec in ea esse, quod pudeat.* 5. *Parvulos non trahere originale peccatum, neque perituros a vita æterna, si sine Sacramento Baptismi, ex hac vita migraverint.* Tantùmque abest, ut vindicandæ gratuitæ prædestinationis studio, stylum acuerit, (quod Launoij somnium est) ut eam potius impugnarit Libro 6. capite 2. ubi illam ex operum prævisione suspendit. *Predestinatio*, inquit ille, *a prævidendo, & præ-*

præveniendo, vel præordinando futurum aliquid, dicitur: & ideò Deus, cui præscientia non accidens est, sed essentia, fuit semper & est; quidquid antequam sit, præscit, & prædestinat: & propterea prædestinat, quia quale futurum sit, præscit. Ideo, & Apostolus: nam, quos præscivit, *inquit*, & prædestinavit. *Sed non omne, quod præscit, prædestinat; mala enim tantùm præscit, bona verò, & præscit, & prædestinat. Quod ergo bonum est, præscientia prædestinat, id est, priusquam sit in re, præordinat .... Quia verò justus, & misericors Deus, præsciusque est futurorum, ex hac damnabili massa non personarum acceptione, sed judicio æquitatis suæ irreprehensibili, imo incomprehensibili, quos misericordia gratuita præscit, præparat, id est, prædestinat ad æternam vitam: cæteros autem pœna, ut prædixi, debita punit; quos ideo punit, quia quid essent futuri, præscivit, non tamen ipse fecit puniendos, vel prædestinavit, sed tantùm, ut dixi, in damnabili massa præscivit.* Quare sanctissimi Præsules, iidemque Augustinianæ doctrinæ studiosissimi, Remigius Lugdunensis *Libro de tenenda Scripturæ veritate cap.9.* & Prudentius Tricassinus *Libro de Prædestinatione capite 14.* Libros Hypognosticon, *Augustini sensibus, imò Catholicæ sinceritati* manifestissimè adversos pronunciarunt; Hincmarumque Remensium Archiepiscopum, quòd ejus, ad dirimendas gratiæ controversias, authoritate niteretur, duriùs excepere.

Sed tædet, pigetque in tam supinis aberrationibus castigandis operam ludere. Quare relicta Africa, Launoji vestigia prementes, & calcem calce terentes Italiam remeamus: ut, quas illic Augustinianæ doctrinæ occasione excitas turbas observat, instructa in molitores quæstione, diligentiùs expendamus. (*Pag.71.72.*) Excitorum itaque in Italia turbinum testes producit fervidus Actor, nonnullos Presbyberos Genuenses, ex Libro de Prædestinatione Sanctorum scandalum passos: qui doctrinæ, ut ait, novitate commoti, Prosperum transmissis excerptis convenere, ut, quas patiebantur difficultates, eximeret. Harum potissimam in eo positam notat Launojus, quòd prædestinationem bonorum operum præscientiæ innixam docuisset quondam aliàs Augustinus: cui, ut satisfaceret Prosper, id reposuerit unum, Doctorem Sanctissimum nova revelatione perfusum, pristinum errorem deposuisse. Quod ille, pro sua in utrumque pietate, ac religione, cachinnis excipit, & augendis rixis, ac motibus aptissimum dicit.

Fidem tuam, Launoi. Ergo quia unus, & alter (vix enim numerum faciunt tui illi Presbyteri Genuenses, Theodorus, & Camillus) quas in intelligenda Augustini sententia difficultates patiebantur, simpliciter narrant; seque ab eruditissimo tanti Doctoris Interprete doceri, humillimè postulant, exciti tota Italia, turbines dici possunt? Nihil quippè illi, de excitis Ge-

Genuæ motibus significant, datis excerptis; nihil objiciunt in oppositum; nullam inductæ novitatis (quæ Launoji calumnia est) dicam affricant: (*Prosp. in Prol. Resp.*) sed nuda doctrinæ capita, quæ minùs intelligentia assequebantur, explicanda transmittunt; quòd plus Prospero, quàm sibi, *ad hæc introspicienda esse ingenii*, certò sciant.

Aquitani autem Responsum, de pristino Augustini errore, sub Episcopatus initium tandem deposito, quisquis ridet, ridendus, & ipse est. Ecquid enim tam rationi consentaneum, quàm extremam doctoris sententiam, diuturno, ac pertinaci studio quæsitam, quotidiana cum hæreticis conflictatione probatam, animoque tandem imbibitam, pristinis, subitisque præjudiciis anteponere? Quid ea doctissimi Aquitani ratiocinatione sapientius, quidve firmius? *Nec justa, nec rationabilis intelligitur eorum fuisse persuasio, quia hujus viri scientiam tot incrementorum profectibus ædificatam, tot annorum studiis expolitam, ad adolescentiæ rudimenta revocabant, ut magis suffragaretur hæreticis, quod inter initia conversionis suæ imperitè senserat, quàm prodesset Catholicis, quod Pontificali diligentiæ veritas revelarat: meritò illos hoc præjudicio utentes, & in his, quæ dudum abdicata fuerant immorantes, pii Doctoris gravitas notat; quod, qui curaverunt omnes sensus ipsius indagare, noluerint cum ejus eruditione proficere.* Certè si quos primùm errores professus fuerat Augustinus, posterioribus sententiis, maturo licet studio imbibitis, anteponendos Launojus existimat; Manichæam hæresim Sancti Doctoris suffragio confirmabit: huic etenim luto hæserat primùm.


Neque verò, dum revelatum Magistro suo, cum primùm sacras infulas induit, gratuitæ ad fidem vocationis dogma significat Divus Prosper, privatam revelationem, per visiones, & insomnia factam intelligit, quales oscitantibus, ac etiam dormitantibus fiunt, erroribus plus nimis obnoxiæ: sed factæ divinis in literis revelationis notitiam, novo studio, & accurariori meditatione comparatam, Deo patre luminum abundantiùs aspirante: quo sensu ab Apostolo scriptum legimus, *ad Philippenses* 3. v.15. *Si quid aliter sapitis, & hoc vobis Deus revelabit.* Hoc autem revelationis genus ridere, cachinnis excipere, & in statuendis fidei dogmatibus periculosum vocitare, insolentissimæ dementiæ est. *Pontificali diligentiæ*, inquit Prosper, non oscitantiæ, *veritas revelarat.* Augustinus autem *Libro de Prædestinatione Sanctorum capite* 4. *Hoc Apostolico præcipuè testimonio* (quid habes quod non accepisti?) *etiam me ipsum fuisse convictum, cùm de hac re aliter saperem, quàm mihi Deus, in hac Quæstione solvenda, cùm ad Episcopum Simplicianum, sicut dixi, scriberem, revelavit.* Et *Libro de Dono perseve-*

ſeverantiæ capite 20. *Hæc eſt prædeſtinatio manifeſta, & certa Sanctorum; quam poſteà diligentiùs, & operioſiùs, cùm jam contra Pelagianos diſputaremus, defendere neceſſitas compulit. Didicimus enim ſingulas quaſque hæreſes, intuliſſe Eccleſiæ proprias quæſtiones, contra quas diligentiùs defenderetur Scriptura Divina, quàm ſi nulla talis neceſſitas cogeret. Quid autem coegit loca Scripturarum, quibus prædeſtinatio commendata eſt, copioſiùs, & enucleatiùs iſto noſtro labore defendi, niſi quod Pelagiani dicunt, gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari: quod quid eſt aliud, quàm gratiæ omninò negatio?* En factam Auguſtino revelationem, ſeu veriùs datam à Deo revelationis ſacris in Literis factæ notitiam; non inerti, non dormitanti, ut inſulſo deriſori viſum eſt, ſed ſacros codices diligentiùs meditanti; eo potiſſimùm aſpirante numine, à quo eſt *omne datum optimum, & omne donum perfectum. Jacobi* 1. v. 17.

Pertinaci divinarum Literarum ſtudio, conſultationem addidit Sanctiſſimus Præſul, cujus nobis fidem locupletiſſimam facit Aquitanus Diſcipulus ad Excerpta Genuenſium, Magiſtrum tritæ, ac futili criminationi reſpondentem inducens: *Se antequam cognoſceret gratiæ veritatem, & antequàm regendæ præponeretur Eccleſiæ, in hac opinione ignoranter erraſſe: ſed in ipſo Epiſcopatus ſui exordio, à ſanctæ memoriæ Simpliciano Mediolanenſi Antiſtite, de Jacob electione, & de Eſau rejectione conſultum, totam quæſtionem ad hos geminos pertinentem, ſagaciore diligentia ventilaſſe; & omnibus ratiocinandi viribus hoc indubitanter agnoviſſe, quod electionem gratiæ nulla merita humana præcedant; & quod fides, unde incipiunt omnia merita, donum Dei ſit: ne gratia non ſit gratia, ſi aliquid eam, propter quod retribuatur, antevenit*. Qua quidem agendi ratione compertum eſt, nihil ab Auguſtino prætermiſſum, quò ignoratam hactenùs veritatem aſſequeretur.

Cæterùm Launojum nedum inficetum deriſorem habemus, ſed violatæ Catholicæ fidei reum deprehendimus, Summorum Pontificum, Sacrorumque Conciliorum definitionibus prædamnatum. Res patet ipſa per ſe ſe. Auguſtinus enim ſub ipſum converſionis initium, gratuitam prædeſtinationem, non ad gloriam modò, verùm etiam ad initium fidei pernegabat: ipſamque Evangelicæ prædicationi conſenſionem, (qui Semipelagianus error eſt) naturæ viribus, & conatibus adſcribebat: *Neque enim fidem*, ait ille *Libro de Prædeſtinatione Sanctorum cap.*3. *putabam Dei gratiâ præveniri, ut per illam nobis daretur, quod poſceremus utiliter; niſi quia credere non poſſemus, ſi non præcederet præconium veritatis. Ut autem prædicato nobis Evangelio conſentiremus, noſtrum eſſe proprium, & nobis ex nobis eſſe arbitrabar. Quem meum errorem nonnulla opuſcula mea ſatis indicant, ante Epiſcopatum meum ſcripta*. Poſtmodùm

modùm Ecclesiæ regimini admotus, novaque luce perfusus, totum divinæ gratiæ tribuendum agnovit, fidemque Dei donum esse constantissimè propugnavit. Semipelagianorum igitur errorem probare convincitur, qui summo gratiæ vindici mutatam tandem sententiam exprobrat, & neglectæ tunc demùm Ecclesiasticæ Traditionis incusat. Quis porrò Theologum Parisiensem, Romanorum Pontificum, Conciliorumque Decretaaut ignorasse, aut contemsisse, non miretur; queis hæc ipsa Augustini sententia extremis operibus vindicata, fidei regulis inscripta est; prior verò ante Episcopatum asserta, censuris inusta? Quis commentitiam Traditionem ad arbitrium, ac præposterè consarcinatam, explicatissimis Felicis IV. & Bonifaci II. Rescriptis, Conciliorumque Arausicani, Valentini, ac Tridentini Canonibus anteponi non ægre ferat? Equidem Massilienses venia digni censebantur, quòd ea ætate temporum, initia vocationis, & fidei, conatibus voluntatis adscriberent, qua necdùm Augustini sententia in rem definitam abjerat. At excusationem Launoji audacia non habet, qui lato ab annis fermè mille ducentis extremo Ecclesiæ judicio, prædamnatum errorem, fictitiæ Traditionis obtentu, in scenam inducit, veteresque in Augustinum criminationes nobis occentat.



CA-

CAPUT NONUM.

Cœlestini I. Rescriptum ad Gallos Episcopos, a Prospero, & Hilario, ad Augustinianæ doctrinæ commendationem, impetratum anno 432. a Launoji technis defenditur.



Eleberrimum ad Gallos Episcopos Cœlestini I. Rescriptum, quo nullum ad Augustinianæ doctrinæ commendationem illustrius, suis, ut artibus, & officiis Launojus elidat, Prosperum, & Hilarium, qui ejus scribendi transmittendique auctores accesserant, putidis calumniis onerat; fabulasque fabulis nectit, teste nullo, auctore nullo, sed omnia fabricatus ingenio. (*Pag.74.& seq.& in Prolus.P.3.*) Sanctissimos, doctissimosque Augustini Discipulos, eluendis de violata fide Massiliensium criminationibus impares, ac de impendente doctrinæ suæ damnatione sibi metuentes, arrepto Romam itinere, Pontificis animum occupasse, non solùm inaudita audacia comminiscitur; verùm etiam distincta illis in ore verba ponit, quæ Pontifici maximo fecerint, dum suam, ac Magistri paulò antè è vivis erepti causam orarunt: *Nempe*, si penes illum fides est, *Sanctitati suæ significarunt, perperam Augustinum a nonnullis, tanquam veritatis, ac fidei limites prætergressum traduci, cùm is nusquam hæreticus audiisset, aut erroris suspicione aspersus esset; sed in Catholicorum Magistrorum numero semper habitus. Subjunxere, illum profundiores, difficilioresque Quæstiones, quarum occasione erroris accusabatur, eo duntaxat consilio latiùs pertractasse, ut hæreticis feliciùs obsisteret. Laudes, quibus Romani Pontifices Augustinum ornaverant, in memoriam revocarunt. Sicque vindicato Magistro, Cœlestinum supplicibus verbis orarunt, ut æmulis obtrectatoribus, erroris illi notam inurentibus, silentium indiceret. Qua orandi calliditate effectum* ait, *ut omnia pro voto impetrarint.*

Quis Launojum sacro solio, dum suam Hilarius, & Prosper caussam agerent, propiùs adstitutum non crederet, ut distincta supplicum verba exciperet, scriberetque tabellis? At insulsa, ineptaque fallacia illa fuit, ut quæ, dato ad Gallos Episcopos Cœlestini Rescripto, continetur Augustinianæ doctrinæ commendatio, non tam summo Ecclesiæ Hierarchæ, quàm instigantibus discipulis tribuatur. Ecquis, quæso, ita se se cucurbitam dabit, ut putet Pontificem juris, & æqui tenacissimum, non suos, sed supplicum sensus lato

lato decreto inseruisse, sententiamque partis dissidentis ore pronunciasse? Quæ enim Prospero, & Hilario, Magistri caussam orantibus verba Launojus affingit, totum penè Cœlestini I. judicium conflant. *Augustinum* (inquit ille dato rescripto) *sanctæ recordationis virum, pro vita sua, atque meritis, in nostra communione semper habuimus, nec unquam hunc sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit, quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, ut inter Magistros optimos etiam ante a meis decessoribus haberetur. Benè ergo de eo omnes in commune senserunt; utpote qui ubique cunctis, & amori fuerit, & honori. Unde resistatur talibus, quos malè crescere videmus. Nefas est hæc pati religiosas animas, quarum afflictione, quia membra nostra sunt, nos quoque convenit macerari: quamvis maneat hos beatitudo promissa, quicumque probantur persecutionem propter justitiam sustinere. Quibus quid promittat Dominus futurum, sequens sermo declarat. Non est agentium caussa solorum* (nimirum Prosperi, & Hilarii) *quando universalis Ecclesia quacumque novitate pulsatur. Intelligamus hæc ipsa vobis, quæ nobis non placent, displicere. Quod ita demum probare poterimus, si imposito improbis silentio, de tali re in posterum querela cessaverit.* Tum in subjectis capitulis, quæ Cœlestini pariter esse Launojus existimat. *Nonnulli, qui Catholico nomine gloriantur, in damnatis hæreticorum sensibus, seu pravitate, seu imperitia demorantes, piissimis Disputatoribus obviare præsumunt; & cùm Pelagium, atque Cœlestium anathematizare non dubitent, Magistris tamen nostris*, (Augustino nimirum, & suis) *tanquam necessarium modum excesserint, obloquuntur .... Profundiores verò, difficilioresque partes incurrentium quæstionum, quas latiùs pertractarunt, qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere.*

Alio ex capite Launojum duo miscentem in mendacio tenemus. Cœlestinus enim, quæ ex Prosperi, & Hilarii narratione noverat, Massiliensium scilicet errores, querelas, ac motus, ab iis apertè distinguit, quæ ex propria sententia, certoque judicio, de Augustini doctrina pronunciat. Illa ex Oratorum duntaxat expostulatione se didicisse, disertè significat: *Filii nostri*, inquit, *præsentes Prosper, & Hilarius, quorum circa Deum nostrum sollicitudo laudanda est, tantum nescio quibus Presbyteris illic licere, qui dissensioni Ecclesiarum studeant, sunt apud nos prosecuti, ut indisciplinatas quæstiones vocantes in medium, pertinaciter eos DICANT prædicare adversantia veritati &c. .... Desinat, SI ITA RES SUNT, incessere novitas vetustatem, desinat Ecclesiarum quietem inquietudo turbare.* Ista verò, ex certa, propriaque notitia; ut laudata paulò suprà verba demonstrant: *Semper habuimus &c. ....*

Tantæ

Tantæ scientiæ olim fuisse meminimus &c. Ac re ipsa quidem Augustinum viventem noverat Cœlestinus, atque in paucis charum habuerat: fueratque inter eos literarum commercium, etiam quo ex tempore in sacrarum rerum fastigio locatus est; ut ex 18. 192. & 209. Augustini *Epistolis* notum est. Non ergo Prosperi, & Hilarii denunciationibus opus erat illi, ut de amicissimi quondam Antistitis doctrina judicium ferret, æmulosque obtrectatores æterno silentio damnaret.

Videndum amodo, an (quod toties Launojus ingerit) Cœlestinus nihil de geminis illis Augustinianæ doctrinæ capitibus, illorumque consectariis pronunciarit, quæ novitatis, & erroris ab Semipelagianis notabantur: numvè ea doctrinæ capita, *profundiorum, difficiliorumque Quæstionum* nomine censeantur, quas uti contemnere non est ausus Romanæ Ecclesiæ Pontifex, ita necesse non habuit adstruere. Quamquam si quod lubet, libetque daremus ex abundanti, ingentis audaciæ reus haberetur procacissimus scriptor; qui, quæ Romæ Pontifex contemnere non est ausus, erroris petulanter insimulat. Quandoquidem autem istud Argumenti genus in nostra Divinorum Auxiliorum Historia, fusiùs pertractavimus, aliorum scriptorum occasione, qui ea Cœlestini Epistolæ clausula pariter abutuntur; pauca inde delibabimus, ac præsenti accommodabimus instituto.

Imprudenter in primis aleam jacit Traditionis investigator, qui e re prorsùs incerta, certum, invictumque in Augustinum argumentum exerere sibi putat. Eam quippè Capitulorum clausulam, *de profundioribus, difficilioribusque quæstionibus*, uti, & ipsa Capitula, Cœlestini re ipsa non esse, contendit Criticæ scientiæ peritorum bona pars, eaque citrà ullius injuriam, nobilissima: Baronius ad Annum 431. *in Annalibus*, eruditissimus bonæ memoriæ Cardinalis Henricus de Noris *in Vindiciis cap.* 7. Laurentius Surius in *Historia Sacra*, Gerardus Vossius *Libro* I. *Historiæ Pelagianæ cap.* 30. geminæ Conciliorum Editionis Coloniensis, atque Sixtinæ Curatores, Pascasius Quesnellius in *Notis criticis ad Opera Leonis magni*, Franciscus Suarez *Prolegomeno 6. de gratia cap.* 1. *num.* 11. Jacobus Sirmondus Tomo. 4. *de Historia Prædestinatiana* Philippus Labbæus *in Notis*, Dupinius in *Bibliotheca*. Quibus omnibus visum est, Cœlestini Rescriptum in hæc verba desinere: *Dominus incolumes vos custodiat, fratres Charissimi*: cætera, quæ sequuntur fidei Capitula, simul, & clausulam, aut Leonis esse, qui tunc Cœlestino ab Epistolis erat, aut Prosperi, aut alterius cujuspiam antiquæ memoriæ studiosi; qui superiorum Pontificum, Conciliorumque Decreta in summam contulit, adversùs Pelagianos, & Semipelagianos errores.

Sed

Sed age, omnia Cœlestini ponamus esse; longè faciliùs caussa cadet audacissimus criminator: atque ex ipsis adjectis fidei regulis planum fiet, ea doctrinæ capita, quorum præsertim occasione, Augustinum a Semipelagianis erroris insimulatum Launojus pro certo habet, dato Rescripto sancita esse; nec profundiorum, difficiliorumque quæstionum numero haberi posse, quæ opinantium arbitrio relictæ sunt.

Liquet id præsertim ex fine, consilioque, quo laudata Capitula Cœlestini Rescripto adjecta sunt: nempè, ut omnibus compertum fieret, quàm temerè Massilienses Augustino obloquerentur, quòd in eo adversùs Pelagianos commisso prælio, modum, certosque fines excessisset. *Quia nonnulli, qui Catholico nomine gloriantur, in damnatis hæreticorum sensibus, seu pravitate, seu imperitia demorantes; piissimis Disputatoribus obviare præsumunt: & cum Pelagium, atque Cœlestium anathematizare non dubitent, Magistris tamen nostris, tanquàm necessarium modum excesserint, obloquuntur.* apud Labb. Tom. 3. pag. 470.) Nisi enim, quæ in Augustino ab æmulis damnabantur doctrinæ capita, subjectis illis fidei regulis sancirentur; Semipelagianorum oblocutiones ea Capitulorum recensione minimè compressisset Cœlestinus: quin illorum querelas multo luculentiùs confirmasset, si ea profundioribus illis difficillioribusque quæstionibus adnumerasset, quas minimè statuendas dixit, extrema Epistolæ clausula. Is siquidem necessarium modum excessisse meritò dicitur, qui dogmata opinione libera, tanquàm fidei dogmata propugnavit.

Ad hæc, Augustinum *nullo unquàm sinistræ suspicionis rumore aspersum* declarat Cœlestinus, data Epistola. An non porrò sinistra admodùm suspicione laborasset, si quid veluti Ecclesiæ dogma posuisset (uti profectò gratuitam prædestinationem posuisse demonstravimus capite 7.) quod Ecclesiæ dogma re ipsa non esset, & à quo procul abire liberum foret?

Sed quid tandem, si hæc ipsa Capitula, Epistolæ adnexa ad crisim vocemus? Non modò gemina illa Augustinianæ doctrinæ theoremata, a Massiliensibus in erroris suspicionem adducta, fidei regulis inscribi; verùm etiam eorumdem necessaria consectaria, queis Launojus tota passim scriptiuncula erroris dicam affricuit, ex sacris Pontificum, & Conciliorum oraculis delibari, compertum erit. Quod quia secundo jam capite a nobis utcumque confectum est, breviter, strictimque in præsentia peragemus.

Ac primo quidem in limine, hanc fidei regulam statuit Cœlestinus, ex Innocentii I. Romani Pontificis ad *Synodum Carthaginensem Epistola* delibatam: *In prævaricatione Adæ, omnes homines naturalem possibilitatem, & innocentiam perdidisse; & neminem*

nem de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium posse consurgere, nisi eum gratia Dei miserantis erexerit. Quod primum in Augustino erroris insimulat Traditionis investigator, pagina 25. & 51.

Tertio Capitulo, celebre ejusdem Innocentii dictum in fidei regulam transfert : *Necesse est, ut quo auxiliante vincimus, eo iterùm non adjuvante vincamur*. Quibus verbis Augustino familiaribus cubare hæresim, statuit criminator, pag. 25.

Quarto, *neminem nisi per Christum libero bene uti arbitrio* definit, ex illo memorati Pontificis pronunciato : *Adverte tandem, o pravissimarum mentium perversa doctrina, quod primum hominem ita libertas ipsa decepit, ut dùm indulgentiùs frænis ejus utitur, in prævaricationis præsumptionem conciderit. Nec ex hac potuit erui, nisi providentia ei regenerationis statum pristinæ libertatis, Christi Domini reformasset adventus*. Cui non absimile Augustini dictum, uti Majorum Traditioni repugnans, sugillat Launojus pag. 60.

Quinto decretum legimus, Deum ita bonorum omnium Auctorem in nobis esse, ut licèt in piis operibus exerendis, suas liberum arbitrium partes habeat, potiores tamen gratiæ censeantur ; dicente Zosimo Pontifice Maximo, in *Epistola* ad totius Orbis Episcopos : *Omnia bona ad Deum Auctorem suum referenda sunt, unde nascuntur* : Afris autem Episcopis ita dato Rescripto accinentibus : *Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei ; ut nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, & in bonis quibusque voluntatis humanæ singulis motibus, magis illius valere non dubitemus auxilium*. Cùm tamen constantissimum antiquæ Traditionis dogma Launojus effutiat pagina 23. nos prædestinationis nostræ Auctores esse, gratiamque humanis voluntatibus subdi.

Tribus sequentibus Capitulis, Deum ita in cordibus hominum, atque in ipso libero arbitrio operari decernitur, juxta Zosimi Romani Pontificis, & Carthaginensis Synodi sanctiones, *ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit ...... ipsaque bonæ voluntatis exordia, & incrementa probabilium studiorum ad Christi gratiam referantur*. Quo judicio Semipelagianismus proscriptus est, gratuitaque ad gratiæ, fideique initium prædestinatio (quam ab Augustino priori sententia repudiata, sub ipsum Episcopatus initium doceri cœptam, molestè habet Launojus pag. 73. & 81.) sancita est.

Nono tandem, & ultimo Capitulo, hanc ex statutis regulis summam colligit Cœlestinus : *His ergo Ecclesiasticis regulis, & ex divina sumtis autoritate documentis, ita adjuvante Domino conformati sumus, ut omnium studiorum, omniumque virtutum*, qui-

quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum fateamur auctorem: & non dubitemus ab ipsius gratia hominis merita praeveniri, per quem fit, ut aliquid boni, & velle incipiamus, & facere. Quo utique auxilior, & munere Dei non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur; ut de tenebroso lucidum, de pravo rectum, de languido sanum, de imprudente sit providum. Tanta enim erga omnes homines est bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quae sunt ipsius dona, & pro his, quae largitus est, aeterna praemia sit donaturus. Agit quippè in nobis, ut, quod vult, & velimus, & agamus. Nec otiosa in nobis esse patitur, quae exercenda non negligenda donavit; ut, & nos operatores simus gratiae Dei; ac si quid in nobis ex nostra viderimus remissione languescere, ad illum sollicitè recurramus, qui sanat omnes languores nostros, & redimit de interitu vitam nostram, & cui quotidie dicimus: Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo. Quo vel uno Capitulo, si vacuo praejudiciis, & partium affectibus animo perpendatur, universam Augustini doctrinam, de gratuita praedestinatione, gratiaque victrici, accurato compendio contentam, simulque fractum spuriae Traditionis consarcinatorem, nemo non dicet. En etenim tibi gratiam affectuum omnium, studiorum, & operum effectricem; omnia merita, conatus, & studia antevertentem: En gratiam in animabus nostris agentem, ut velimus, non quia volumus, aut consensuri praevidemur: En demùm gratiam voluntatis humanae ducem, non pedissequam; gratiam, inquam, quam pro nutu non flectimus, sed quae nos pro Dei nutu flectit; ut id omne velimus, & agamus, quod ipse voluerit. Quibus loquendi rationibus, errorum monstra subesse, ex gratiae se ipsa victricis systemate fluentia, millies oblaterat audacissimus criminator.

Sed quid haec religiosiùs moror? Illa ipsa toties decantata Capitulorum clausula, unde Augustinum redactum in ordinem, ejusdemque de gratuita praedestinatione, gratiaque victrici, gemina dogmata, a positis Regulis omninò dissita esse, colligit aemulus obtrectator; utrumque non leviter adstruit. *Profundiores verò, difficilioresque partes incurrentium quaestionum, quas latiùs pertractarunt, qui haereticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere. Quia ad confitendum gratiam Dei, cujus operi, ac dignationi nihil penitùs subtrahendum est, satis sufficere credimus quidquid secundùm praedictas Regulas Apostolicae Sedis nos scripta docuerunt, ut prorsus non opinemur Catholicum, quod apparuerit praefixis Sententiis esse contrarium*. (Apud Labb. Tom. 3. pagg. 473. 474. 476.) Profectò

ctò si divinæ gratiæ operi, ac dignationi nihil penitùs subtrahendum est; nihil itaque virtutem ejus, ac liberalitatem fugit; non meritum, non dispositio, non conditio, non conatus, non ipse tandem liberi arbitrii consensus, & usus.

Quænam ergo sunt, inquies, profundiores illæ, difficilioresque partes incurrentium quæstionum, quas uti Cœlestinus contemnere non est ausus, ita necesse non habuit adstruere? Sunt illæ dubio procul quæstiones profundiores, difficilioresque, obscuritate rerum, & incertitudine veritatis, atque sententiæ, quæ de illis ferri certo non possit. Quæstiones, inquam, non per se se, ac directè ad gratiæ defensionem, controversiasque Pelagianorum, ac Massiliensium, attinentes; sed occasione tantùm ab Augustino tractatæ; quæ idcircò *incurrentes* ab Cœlestino, aut alio quovis Capitulorum Collectore vocantur. Quæstiones tandem, quas *latiùs*, ut loquitur idem Pontifex, pertractat, & multis, variisque rationibus agitat Augustinus, de illis vix tandem quidquam definiens: quales sunt hæ: Quomodò traducatur peccatum originale? Quæ sit concupiscentiæ natura? Quænam animæ origo? Aliæque id genus, de quibus Augustinus ipse, *Libro de dono perseverantiæ capite* 11. *Operosissimas quæstiones incidentes, enucleatè solvere nolui, ne nimiùm longum opus esset.* Has sicut non est ausus contemnere summus Pontifex, ita nec necesse habuit adstruere; uti nec illas adstruxerat Sanctissimus Doctor. Cui prudenti consilio morem gessisse videntur, secuto proximè sæculo, Episcopi Africani, ab Trasamundo Vandalorum Rege Arjano in exilium acti, (de quibus plura dicemus capite 13.) dum ita Epistolà Synodicà pronunciarunt, post gratuitæ prædestinationis, gratiæque victricis doctrinam strenuè propugnatam: *Quæstionem verò animarum, aut tacitam debemus relinquere, aut sine contentione tractare, quia sive ex propagine veniant, sive novæ singulis corporibus fiant, quod Sanctarum Scripturarum auctoritas non manifeste pronunciat, cum cautela debet inquiri: maximè quod sine fidei detrimento potest a fidelibus ignorari.* (apud Labb. Tom. 5. pag. 739.)

Nec me multùm Baronii movet authoritas, ad annum 431. pag. 516. scribentis, Prosperum ea Epistolæ clausula (hunc quippè Capitulorum Auctorem facit) professum esse, *profundiores quæstiones illas, de prædestinatione Sanctorum, nequaquam ab Apostolica Sede fuisse definitas.* Certo enim certius est, Baronium incidentes duntaxat de divina prædestinatione quæstiones intellexisse; non illas ipsas, queis motæ Massilienses inter, & Prosperum controversiæ summa pendebat, Launojo ipso judice. Aliàs intra unam, eandemque paginam, secum ipse pugnaret purpuratus Historicus; qui

Presbyteros Massilienses duriùs ibidem exagitat, quòd Augustini doctrinam in suspicionem hæresis temere adducerent, omnesque sanctissimi Doctoris Libros, Cœlestini elogio commendatos perfractè negarent: quod utrumque pari audacia præstat tetricus Censor. Quamquàm tamen, si quid illi aliter visum esset; imprudentis consilii fuerit, Scriptoris unius, & quidem postremæ ætatis testimonium, tot invictis momentis, ex ipsamet Cœlestini Epistola delibatis, anteponere velle.



CA-

CAPUT DECIMUM.

Prosperi, & Hilarii religiosa sollicitudo, in promovenda Augustini doctrina, recenti Apostolicæ Sedis oraculo consecrata, a Launoji calumniis vindicatur.



UOS, ut vafros, callidosque Cœlestini I. palpatores paulò antè traduxerat audacissimus Criminator, eosdem in præsentia uti lymphatos triumphatores insequitur: quasi Pontificio Rescripto malis artibus impetrato, pejoribus abuterentur; ut sacra illa umbella tecti, Augustinianos errores, multo, quàm antea confidentiùs, tota Gallia diffunderent. Novæ calumniæ pingui præludit anachronismo. Prosperum, & Hilarium impetrato Cœlestini Rescripto præfidentes, vulgato Carmine *de Ingratis* epinicium cecinisse ait, cui Massilienses, edito Libello *de protectione Dei*, è vestigio reposuerint. (*Pag.77. & 78.*) Quotquot tamen in re critica non omnino cœcutiunt, exploratum habent, heroicum carmen adversùs Ingratos, nonnisi post vulgatum Massiliensium libellum *de protectione Dei* editum esse: imò post eximium D. Prosperi opus contra Collatorem, quo eam Semipelagianæ factionis Coryphæi scriptionem confutavit, anno circiter 433. sublato jam Cœlestino, & Sixto III. in Petri Sedem evecto. Qua itaque sorte suum illum Libellum Prosperi epinicio objecissent Massilienses obtrectatores?

Addo, malè natum Cassiani Libellum *de protectione Dei*, non modò ante datum Cœlestini Rescriptum, verùm etiam ante vocatum ad superos Augustinum, prodiisse. Liquet id in primis ex *Præfatione Librorum de Incarnatione Domini*, quos idem ille Cassianus, contra Nestorianos, ante Synodum Ephesinam, anno videlicèt 429. aut certè 430. publicavit. Ibi siquidem *absolutos jamdudum* a se *Collationum spiritualium Libros*, disertissimè profitetur: quos inter decimum tertium locum obtinet, qui *de protectione Dei* dictus est. Hoc idem ex Epistola nuncupatoria memorati Libelli, multo luculentiùs evincitur. Is enim, aliique sex Honorato dicantur, quem anno 429. ante Augustinum, extinctum esse, nemo nescit. Ac si rem penitiùs perpendamus, nondum Arelatensem Ecclesiam moderabatur Honoratus, dum hanc illi cum reliquis Collationem dicavit Cassianus, a quo *frater, & ingenti fratrum cœnobia præsidens*, præmissa Præfatione vocitatur. Cùm igi-

igitur Honoratus anno 426. Arelate Episcopus sederit, Libellum de Protectione Dei, seu 13. Cassiani Collationem, ante id temporis consarcinatam, oportet. Qui itaque fieri potuit, ut ad comprimendam Augustini discipulorum, impetrato Cœlestini Rescripto abutentium audaciam, a Massiliensibus vulgaretur?

At demus Launojo veniam, nec ferulæ manum, pro tam putido Arachronismo, subjicere compellamus. Quis ferat petulantem audaciam, qua decimam tertiam Cassiani Collationem, errorum ab Ecclesia Catholica proscriptorum sentinam, cum erudita Divi Prosperi lucubratione, Catholici Orbis suffragio comprobata, non modò æquis ponderibus appendit, verùm etiam anteponit, ac pluris facit; tanquam dogmatum Orthodoxia, rationum pondere, Cassianus Prosperum superasset? Non ita profecto Gelasius Summus Pontifex, qui in Romano septuaginta Episcoporum Concilio, Prosperi Libros, inter Orthodoxorum Patrum Tractatus, summo cultu, ac veneratione recipiendos edixit; Cassiani verò lucubrationes, unà cum Cœlesti, Pelagii, Juliani scriptionibus, infamiæ nota inussit. *Opuscula Beati Augustini Hipponensis Episcopi. Item Opuscula Beati Hieronymi Presbyteri. Item Opuscula Prosperi viri religiosissimi .... Item Opuscula, atque Tractatus omnium Orthodoxorum Patrum, qui in nullo a sanctæ Ecclesiæ Romanæ consortio deviarunt, nec ab ejus fide, vel prædicatione sejuncti sunt; sed ipsius communionis, per gratiam Dei, usque in ultimum diem vitæ suæ fuere participes, legendos decernimus .... Opuscula Cassiani apocrypha .... Hæc, & omnia his similia, quæ Cœlestius, Pelagius, Julianus Eclanensis, necnon, & omnes hæresiarchæ, eorumque discipuli, sive schismatici docuerunt, vel conscripserunt, quorum nomina minimè retinentur, non solùm repudiata, verùm etiam ab omni Romana, Catholica, & Apostolica Ecclesia eliminata, atque cum suis Authoribus, Authorumque sequacibus, sub Anathematis indissolubili vinculo, in æternum confitemur esse damnata.* (apud Labb. Tom. 5. pagg. 387. & 390.)

Ita Gelasius uno, eodemque judicio, & Prosperum celebrat, & Cassianum inurit: tametsi haud inscius esset, potissimam eos inter, de gratuita prædestinatione, gratiaque victrici, controversiam emersisse. Quid Arausicanam Synodum memorem, totius Orbis veneratione, cultuque receptam; quæ spissos errores, ex hoc ipso *de protectione Dei* libello, in quo Launojus delicias facit, penè syllabatim expressos, sacro anathemate feriit: Augustini verò, Prosperique sententias, quæ supercilioso Censori stomachum movent, in fidei Canones transtulit; Felice IV. Pontifice Maximo judicii formam perscribente? Quid Cassiodorum *Libro* 1. *Divinarum Institutionum capite* 29. asserentem, Cassianum de libero arbitrio, a San-

Sancto Prospero jure culpatum, & in rebus talibus excedentem sub cautela legendum? Quid Victorem Africanum Episcopum, qui Cassiani dicta, ab Aquitano nostro sugillata obelo notavit, emendavitque? Quid Bernonem Augiensem Abbatem, qui in Libello ad Fridericum Capell: ejusdem Collatoris errores ex Sancto Prospero recitavit, debitisque censuris inussit? Quid Trithemium distinctè notantem, idcircò Cassiani Opera (*In Cat. vir. ILL.*) inter apocrypha numerari, *quia per Beatum Prosperum, de arbitrii libertate in certis reprehenditur?* Quid Clementem VIII., qui traducta ad sacrum Tribunal Ludovici Molinæ doctrina, indictis Congressibus expendi jussit, num hæc *cum damnatis Cassiani sententiis conveniret?* Hæc si Launojus, vel leviter observasset, nusquam Cassianum in divinæ gratiæ controversiis cum Prospero contulisset; multo minùs Aquitano relicto, in Collatoris sententiam, errorem veriùs dixerim, transiisset.

Eja tamen, & missis Pontificum, Conciliorum, ac Patrum momentis, quibus Censoris audacissimi petulantia revincitur, conflatam in Augustini discipulum, de amplificato præter jus, & æquum, Cœlestini Rescripto, criminationem perpendamus: *Prosper*, inquit ille, *in sua ad Cassianum Responsione, extremos* (*Pag.* 80. *&* 81.) *Augustini Libros, quorum occasione litem illi moverant Massilienses, Cœlestini Rescripto probatos esse prædicabat; seu quòd universa absque discrimine laudarentur; seu quòd una, eademque extremis illis Libellis doctrina contineretur, quæ prioribus, quos Pontificio judicio probatos adversarii fatebantur. Ea ille calliditate, Magistri doctrinam tueri adnitebatur. Bona tamen venia dixerim, pessima illum fide usum. Namque usque adeò certum est, primis Augustini operibus doctrinam posterioribus repugnantem contineri, ut hoc ipsum ultrò fassus esset, data ad Magistrum Epistola, ac tum posteà respondens ad Excerpta Genuensium.*

Veriùs ego Launojum pessima fide dixerim usum: nec vereor ne mihi quisquam veniam neget. Prosperum invicto prorsùs argumento, adversarium petere, nec tamen a dictis, dum ad Genuenses scriberet, (nihil quippè de his ad Magistrum, sed unus Hilarius condiscipulus) resilire, hac brevi observatione demonstro. Massilienses visò tam nobili Cœlestini I. Rescripto, ut se Pelagianorum adversarios jactabant, illicò reposuere:, priores Augustini libros, queis illorum errores oppugnaverat, eo elogio commendari; non itidem illos, quos extrema manu, *de Gratia, & libero arbitrio, de Correptione, & Gratia, de Prædestinatione Sanctorum, deque Perseverantiæ dono*; ad sopiendos Adrumeti, & Massiliæ tumultus, elucubrarat. Prosper, ut hoc illis effugium occluderet, recensitis Augustini libris, ad divinæ gratiæ defensionem, post adeptum

Epi-

Episcopatum elaboratis, seu ante, seu post adortos Pelagianos, eandem illis de gratuita vocatione, doctrinam contineri dixit, quæ postremis Opusculis tradebatur: nihilque idcirco caussæ esse, cur ea futili exceptione, Pontificio Decreto illuderetur. Do Prosperi verba: *lib. cont. Collatorem cap. 21. Ut itaque omittamus ea volumina, in quibus ab exordio Episcopatus sui, multo prius quàm oppugnatores gratiæ exurgerent, pro gratia disputavit; legantur tres ad Marcellinum ipsius Libri. Ad S. Nolanum Episcopum Epistola retractetur; Ad Beatissimum quoque Apostolicæ Sedis tunc Presbyterum Sixtum, nunc verò Pontificem emissæ paginæ recurrantur. Ad Sanctum Pinianum, ad Valerium Comitem, ad servos Christi Timasium, & Jacobum distinctim edita volumina revolvantur, sex Libri priores contra Julianum; unus ad sanctum Aurelium Carthaginis Episcopum, de Gestis Palæstinis; alius ad Paulum, & Eutropium Sacerdotes, contra Pelagii, & Cœlestii Quæstiones; & ad beatæ memoriæ Papam Bonifacium quatuor volumina recenseantur. Et si in iis omnibus operibus, multisque aliis, quæ annumerare longum est, idem doctrinæ spiritus, eadem prædicationis forma præcessit.* Ac re ipsa sic est: gratuita secundùm Dei propositum vocatio, iis ipsis Libris, quos Pontificio Decreto probatos adversarii fatebantur, statuitur, defenditur, propugnatur. Quid verò efficacissimo Prosperi argumento officiebat, si (quod in Responso ad excerpta Genuensium fassus est) contrarium errorem asseruerat Augustinus, *antequam regendæ præponeretur Ecclesiæ*; cùm hos ipsos, quibus eundem creatus Episcopus revocaverat, oppugnaverat, confutaverat, libros, ab Apostolica Sede probatos agnoscerent Massilienses?

Eandem illam, quam Launojo recudere libuit, Massiliensium exceptionem, ipsa rerum gestarum series multo luculentiùs futilem probat. Traducebatur siquidem ab æmulis Augustinus, quòd Libellis extrema manu elaboratis, debitum modum excessisset: harum præsertim lucubrationum occasione, sanctissimum gratiæ vindicem, tanquam erroris suspicione laborantem insectabantur: hac ipsa doctrinæ parte, quam iis opusculis propugnabat, Magistrum optimum venerari, atque suscipere detrectabant, eidemque non sine stomacho obsistebant. Quid interim Cœlestinus, audita Prosperi, & Hilarii denunciatione? Æmulis obtrectatoribus silentium indixit: *Corripiantur hujusmodi*, inquit datis ad Gallos Epistolis, *non sit his liberum habere pro voluntate sermonem*. Illos præsidentes, & oblocutores esse censuit, qui piissimum disputatorem debitos fines excessisse dicerent, ejusque placitis repugnarent. *Piissimis Disputatoribus obviare præsumunt .... Magistris nostris tanquam necessarium modum excesserint, obloquuntur*. Augustinum autem, & Magistrum opti-

optimum, & constanti apud omnes honore habitum, & nulla unquam sinistra suspicione aspersum pronunciavit : *Augustinum sanctæ recordationis virum, pro vita sua, atque meritis in nostra communione semper habuimus ; nec unquàm hunc sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit : quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, ut inter Magistros optimos etiam ante a meis decessoribus haberetur. Benè ergo de eo omnes in commune senserunt, utpote qui utique cunctis, & honori fuerit, & amori.* (apud Labb. Tom. 3. pag. 470.) Extrema igitur sancti Doctoris opuscula, de quibus quæstio vertebatur, potissimè comprobasse censendus est Cœlestinus : Aliàs non modò nihil ad institutum, nihil ad rem, nihil ad sopiendos Massiliæ turbines respondisset ; sed nullus planè rescripto sensus esset, nulla concinnitas, nulla ratio.

Ea de re dubium movisse Launojum, imò dogma catholicum de gratuita ad primam gratiam, fideique initium vocatione, postremis illis opusculis de industria vindicatum sugillasse ; erroremque oppositum, ab Augustino Ecclesiæ regimini nondum admoto imprudenter assertum ebibisse, haud satis capio : cùm subjecta Epistolæ Cœlestini Capitula, ipsius esse putet, datique Rescripti partem conflare. (*Pag.76.*) Ecquo ergo pacto ab generali Augustinianorum operum commendatione, postrema illa opuscula excepta voluisset Cœlestinus, quorum tamen summam subjectis Capitulis expressit ? Cur gratuitam ad initium fidei vocationem, iis opusculis vindicatam, approbatione sua indignam existimasset, quam sacris illis fidei regulis inseruit, uti superiori capite demonstravimus ? Quamquàm si quod dubium, de approbatis ab Apostolica Sede postremis Augustini Libris, initio esse poterat, dum ea dissidia Massiliæ ferverent ; illud ab Hormisda Romano Pontifice sublatum nosse debuerat. Theologus Parisiensis, *Epistola 70. ad Possessorem* scribente : *De libero tamen arbitrio, & gratia Dei, quod Romana (hoc est, Catholica) sequatur, & asseveret Ecclesia licet in variis libris Beati Augustini, & maxime ad Hilarium, & Prosperum* (qui omnium postremi sunt) *cognosci potest*. (apud Labb. Tom. 5. pag. *664*.

Iniquè igitur, de amplificato præter jus, & æquum Cœlestini I. Rescripto, Prosperum accusat ineptissimus Censor ; insulsasque Massiliensium calumnias, queis Augustini doctrinam infamare nitebantur, tanquàm *optimo jure nixas, nec nisi catholica dogmata complexas*, instaurat : (*Pag.*81.83.) Luculentissimasque Aquitani discipuli Responsiones, ad Capitula Gallorum, Vincentianasque objectiones, queis nefaria doctrinæ capita, Magistro per summam injuriam affingi demonstravit, ludit, subsannat ; quasi rei evidentia permotus, & portentosa, quæ illi in faciem illidebantur doctrinæ

consectaria tueri veritus, sublesta excusatione, *Magistrum deseruerit potiùs, quàm defenderit, damnarit veriùs, quàm absolverit*. (*Pag.* 85.) Quæ tibi Launoj tam iniquæ censuræ ratio? Prosper enim se ne latum quidem unguem a Magistri doctrina recessurum spondet, sua illa ad Gallorum capitula Responsione: *Ne ergo*, inquit ille, *hanc persuasionem temere quis recipiat, & talem putet sensum scriptis catholici inesse Doctoris, qualem eum, qui frustrà calumniantur, ostentant; singulis capitulis, quæ Damnationis titulo prænotarunt, brevi, & absoluta professione respondeo; in nullo recedens a tramite earum definitionum, quæ in sancti viri disputationibus continentur*. Audite festivi Censoris decretorium argumentum, quo Prosperum retibus involuere sibi putat: (*Pag.* 86.) *Adeò certum est, Augustinum doctrinæ capita, Gallorum criminationibus contenta, quo sensu erroris notabantur, docuisse, ac propugnasse; ut id Prosper ipse data ad eundem Epistola, atque alibi fassus esset, uti jam dictum est. Imò illa eadem ad hanc usque diem, adversùs Massiliæ Presbyteros, eodem sensu ipsemet propugnaverat, quemadmodùm ex paulò ante narratis perspectum est*. Erras Launoj, erras: nec modò quid, aut quo sensu docuerint Augustinus, & Prosper ignoras, sed quid ipse scripseris, ac narraveris nescis. Nuspiàm enim a te dictum anteà narratumque est, multo minùs probatum, geminos illos divinæ gratiæ vindices, doctrinæ capita Gallorum criminationibus contenta, quo sensu in invidiam trahebantur, docuisse, ac progugnasse. Equidem ancipites, variisque sensibus obnoxias Augustini phrases, de Christi Sanguine pro solis electis effuso, de consecuta ex Adami peccato necessitate, de amissa pristina libertate, de quorumdam hominum desertione, aliisque id genus, identidem recitasti: at quæ ambiguis ac versatilibus verbis notio subjecta esset (quòd ad sugillandas Prosperi responsiones, operæ pretium fuerat) ne quidem obitèr attigisti. Tametsi quid anteà dixeris, neminem puto sollicitum habet; qui cùm multa ubique dicas, nihil uspiam probas. Nos Augustini sensum in aperto posuimus capp. 2., & 7. nihilque ab eo scriptum ostendimus, quàm quod Concilia, atque Pontifices, adversùs divinæ gratiæ oppugnatores statuerunt.

CA-

CAPUT UNDECIMUM.

Launoji, de Authore Librorum de Vocatione gentium, aberrationes, calumniæ, dicteria refelluntur. Vincentii Lirinensis Commonitorium exsuflatur.



Ugillatis Divi Profperi adverfus Gallorum capitula refponfionibus, Hilarium, alterum Auguftini difcipulum, cui Libros *de vocatione gentium* affingit, in fcenam vocat tetricus Cenfor; eumque uti fictum, tectum, & fimulationis artificio eruditum immodico fale defricat. *Elifis*, inquit, (*Pag.* 86.) *Auguftinianæ factionis confiliis, jufta mque ubivis repulfam paffis, quandiu Magiftri doctrinam detracta larva propugnarunt; id demum venit in mentem, ut novum de Vocatione gentium librum emitterent: cujus Auctor Hilarius vulgò creditus, fimulata perfona, neutrius diffidentium partis ftudium affectat; interim tamen, de mota, inter gratiæ fe ipfa efficacis vindices, & liberi arbitrii defenfores, controverfia mentem aperiens, Auguftini fententiam novis pigmentis obductam, catè, callideque Lectorum animis inftillare nititur, uti jam nunc demonftrabimus.* Quo dato proludio, librorum fummam colligit haud fatis integra fide.

Miranda cenforis ars! qui cùm libros de vocatione gentium a viris criticæ fcientiæ peritis, tam variis authoribus tribui non ignoret, illos tamen Auguftini difcipulis, ac nominatim Hilario, ex vulgi, ut inquit, judicio, certò tribuit: ut fi quæ in iis Auguftinianæ doctrinæ mitigatio, ac mollitudo deprehenditur, id cauffæ, quam tuebantur, damno vertatur; quafi jam diffidentes pedem referrent, & Magiftri fententiam, non nifi priftina duritie exutam tuerentur. Peffimè tamen omnium calculum figit, ac vix ullum alicujus nominis auctorem habet, qui publicam fidem appellat. Hilario quidem Libros illos fubdubitanter adjudicant Latius, & Voffius in Hiftoriis Pelagianis: at non Auguftini difcipulo, a cujus ftilo prorsùs abhorrent, fed Arelatenfi Epifcopo; cui tamen, ob doctrinæ repugnantiam, adfcribi non poffunt; cùm effet is e Semipelagianæ fectæ principibus unus. Eucherium Lugdunenfem, illorum Authorem aliqui faciunt: alii Profperum Aurelianenfem Epifcopum, Sancti Aniani fucceflorem: Profperum Aquitanicum longè plures. Eofdem Divo Ambrofio veteres editiones non paucæ tribuunt: noviffimè tandem Leoni magno haud levibus

momentis Quesnellius adjudicavit. Ut quid ergo Augustini discipulorum calliditati, simulationi, industriæ deputetur, si quid fortè mollius, de divinæ gratiæ controversiis horum Librorum Author pronunciasset, & ab severiori Augustini sententia deflexisset?

Verùm ne eo quidem capite peccavit eruditissimus Scriptor, quisquis tandem ille sit; sed ita Augustini vestigiis institit, ut quæ ex illo proferuntur ab tetrico Censore loquendi formulæ, sanctissimo Doctori in speciem repugnantes, nullo negotio concilientur.

Prior gratiam attinet generalem, quam universis hominibus, ac ipsis etiam parvulis sine baptismo sublatis, communem facit Author ille *lib.* 2. *cap.* 15. *Adhibita enim semper est*, inquit, *universis hominibus quædam supernæ mensura doctrinæ, quæ etsi parcioris occultiorisque gratiæ fuit, sufficit tamen, sicut Dominus judicavit, quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium*. Et *capite* 23. *Non irreligiose arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quod isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ semper universis est impensa nationibus: qua utique si benè eorum parentes uterentur, etiam ipsi per eosdem juvarentur*. At communis gratiæ nomine externa, ac naturalia Dei dona intellexisse, quæ universis hominibus præstò sunt; aut certè auribus insonantem Mosaicæ, aut Evangelicæ legis vocem, inde profectò perspectum est, quòd veram Christi gratiam, communem omnibus neget *Libro* 1. *cap.* 13. *Quod si aliquos* (sicut videmus accidere) *salvantis gratia præterierit*, inquit, *& pro eis oratio Ecclesiæ recepta non fuerit, ad occulta divinæ justitiæ judicia referendum, & agnoscendum est secreti hujus profunditatem nobis in hac vita patere non posse*. Et *Libro* 2. *cap.* 19. *Qui exsortes gratiæ fuerint, de sua nequitia redarguantur: & qui ejus lumine enituerint, non in suo merito, sed in Domino glorientur*. Quæ verò parvulis adfutura gratia dicitur, si ea parentes illorum benè uterentur, non Baptismatis utique est; quasi pueri parentum merito, sacro lavacro tingantur; sed alia longè diversa, generalia Creatoris beneficia continens: quæ licet per se se recipere non potuerint, acceperunt nihilominus in parentibus, quorum pars quædam censentur esse, donec ab illis nondum rationalis infantiæ exordiis emerserint. Baptismatis quippè gratiam, nullo spectato merito genitorum, parvulis tribui, vel negari docet eruditus Author; uti planè suam ipsi gratiam nullis præviis meritis obtinent genitores. *Sicut autem*, inquit ille *Lib.* 2. *cap.* 23. *circa majores, præter illam generalem gratiam parciùs, atque occultiùs omnium hominum corda pulsantem, excellentiore opere, largiore munere, potentiore virtute, vocatio specialis exeritur; ita etiam circa innumeros parvulos*

vulos eadem manifestatur electio. Quæ quidem nec illis, qui renati non sunt, in parentibus defuit, sed iis, qui renati sunt, præ parentibus adfuit: ita ut multis sæpe quos suorum impietas deseruit, alienorum cura servierit; & ad regenerationem venerint per extraneos, quæ eis providenda non erat per proximos.

Altera loquendi formula Augustini principiis prima fronte repugnans, legitur *Libro* 2. *cap.* 34. ubi propositum præscientiæ innixum videtur admittere. *Contra hanc*, inquit, *invictæ veritatis splendidissimam lucem, solent quidam non sobrie dicere, superfluè ad acquirenda bonorum operum merita laborari, frustra etiam orationibus, quibus Deus exorandus speratur, insisti, si ex incommutabili proposito ejus, Christianæ gratiæ subsistit electio, nec aliter quicquam procedere potest, quàm Omnipotentis voluntate dispositum est. Sed qui se ingeniosè hoc arbitrantur opponere, non intelligunt scientiam Dei, quæ, & præterita, & præsentia, & futura complectitur, tempore non teneri, & tam in conspectu ejus adstare ea, quæ gerenda sunt, quàm illa, quæ aut geruntur, aut gesta sunt*. Verùm quidni præscientiæ nomine prædestinationem intelligamus, hoc est, præscientiam, non decreto præviam, sed eidem innixam, qua nimirùm ea prænovit Deus, quæ gratiæ suæ virtute facturus erat? juxta celebre illud Augustini pronunciatum *Libro de Dono perseverantiæ capite* 18. & 19. *Prædestinasse, est hoc præscisse, quod fuerat ipse facturus. Quid ergo nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei tractatores legimus Dei præscientiam, & agitur de vocatione electorum, eandem prædestinationem intelligere?*

Tertia demum loquendi formula habetur eodem *Lib.* 2. *cap.* 35., ubi electionem ad gloriam a meritis pendulam facit: *Deus*, inquit, *his, quos eligit sine meritis, dat unde ornentur, & meritis*. Ibidem pag. 184. *Et frustrà dicitur, quod ratio operandi non sit in electis, cùm etiam ad hoc operentur, ut electi sint*. Sed etsi de electionis executione, ultima illa verba intelligi queant, qua quisque, confecto mortalis ævi spatio, bonorum operum fructum percipit; ea tamen, ex fide codicis MS. Bibliothecæ Thuanæ, cui alia duo Vaticana planè consonant, hoc modo restituit eruditus Quesnellius dissertatione 2. de Authore Librorum de vocatione gentium: *Deus ergo his, quos eligit sine meritis, dat unde ornentur, & meritis: & frustra dicitur, quod ratio operandi non sit electis, cùm etiam ad hoc ut operentur, electi sint*. Qua lectione sic restituta, non modò difficultas omnis evanescit, verùm etiam Augustinianæ doctrinæ caput, de gratuita prædestinatione, locupletissimo testimonio confirmatur.

Præcipitem Launoji censuram, in eximium Librorum de vocatione

tione gentium Authorem, ingenti temeritate districtam castigat. Gelasius summus Pontifex, Librorum severissimus Censor, idemque æstimator æquissimus, in Opusculo contra Pelagianos, ubi ejus magna cum laudis, & honoris præfatione, suffragium advocat: *Sicut quidam*, inquit, *Magister Ecclesiæ sapienter edocuit, dicens: ad magnam enim utilitatem fidelium, materia est servata certaminum, ut non superbiat sanctitas, dum pulsatur infirmitas*. Quæ verba legere est apud Labbeum tom. 5. pag. 374. Nempè sapientem Ecclesiæ Magistrum vocat Romæ Pontifex, quem fictum, tectum, simulationis artificio eruditum, errorumque mangonem appellat Traditionis Consarcinator.

Jam illud, cujus cacoethes est, & insulsæ, tricandi libidinis, quod subjicit e vestigio: Vincentium scilicet Lirinensem, cùm Augustini discipulos iis libris editis gradum specie tenùs deseruisse deprehenderet, Commonitorium adornasse, ut illorum doctrinam aperto marte confutaret? Quid si Commonitorium diù anteà editum constet, quàm Libri de vocatione gentium vulgarentur? Siquidem *cap.* 42. laudat Vincentius *Concilium ante triennium fermè in Asia apud Ephesum*, a ducentis fere numero Sacerdotibus, adversus Nestorium celebratum. Cùm itaque anno 431. celebrata sit Synodus Ephesina, Commonitorum anno 434., qui quintus duntaxat ab excitis Massiliæ turbis, motisque de divina gratia controversiis agebatur, adornatum fuisse necesse est. Cæterum Libros de vocatione gentium, nonnisi longo post tempore, publicam lucem aspexisse, verba initio posita planum faciunt: *Inter defensores liberi arbitrii, & prædicatores gratiæ Dei, magna, & difficilis dudum vertitur quæstio .... De hac igitur compugnantia opinionum, qua mensura, & temperantia sentiendum sit, quantùm Dominus adjuverit, annitar inquirere; exercens, atque discutiens modulum facultatis meæ, in his, quæ cordi meo sobriè (quantùm arbitror) inhæserunt*. Non itaque Vincentium ad edendum Commonitorium incitavit vulgatum de vocatione gentium eximium opus; sed una Augustini tectè, & per cuniculos sugillandi libido: quod illi quàm infeliciter cesserit, nemo non facile deprehendit.

Primam enim gratiam petentibus, quærentibus, pulsantibus dari contendit *cap.* 37. non ut petamus, quæramus, atque pulsemus: quem errorem anathemate feriit Synodus Arausicana II. *Canone 6.* Gratiam specialem, ac personalem, necnon singulare perseverantiæ donum electis abjudicat, pingui nimis errore, in memorata Synodo subindè confosso *Canone* 10., ac demùm in Concilio Tridentino *sessione 6. Canone* 22. Quodque stupendum magis, nobile Cœlestini I. Rescriptum, quo Augustinum miris laudibus extulit, ejusque obtrectatoribus silentium indixit, nugaci prorsùs argutia detor-

torquet in Auguftinum; quafi is Pontificio judicio redactus effet in ordinem, ejufque difcipuli tanquàm novatores filentio damnati, iis datæ ad Gallos Epiftolæ verbis: *Definat, fi ita eft, inceffere novitas vetuftatem*. Non advertit enim imprudens, hanc inductæ novitatis labem, non Auguftini difcipulis, quos unà cum Magiftro laudibus celebrat Cœleftinus, afpergi dato Refcripto, fed Maffilienfibus obtrectatoribus, de quibus religiofi delatores expoftulaverant: quod verbis capite 9. laudatis ufque adeò perfpectum eft, ut Vincentium Lirinenfem non folùm mente, fed, & fenfu captum fuiffe neceffe fit, qui aliam Pontificis verbis notionem fubjici fomniavit.

Ludam operam, fi veteris memoriæ fcriptores in cenfum vocavero, qui rectam Cœleftini Epiftolæ intelligentiam tradiderunt. Unus omnium vice fuerit Photius, omni in Auguftinum affectu liber, & in Ecclefia Græca, fancto Doctori, ut quidam autumant, minùs propitia, educatus, in Bibliotheca *codice* 54. ut in 2. part. appendicis operum S. Auguft. Tom. X. *pag.*66. & 67. *Poft Sancti Auguftini mortem cœperunt quidam in clero impium illud dogma afferere, malè etiam loqui de Auguftino, atque adeò conviciis inceffere, tanquàm arbitrii libertatem ablatam docuiffet. Verùm Cœleftinus Pontifex Romanus, de fancto viro, & contra eos, qui hanc hærefim exfufcitarent, ejus Regionis Epifcopis fcribens, errorem nuper revocatum cobibuit*. Et tamen qua feftivitate, qua pompa infulfum Vincentii Lirinenfis interpretamentum nobis Launojus obtrudit, ut illuftræ Cœleftini elogium Auguftino eripiat? (*Pag.*94.) Qua fiducia Semipelagianæ factionis virum, Ecclefiafticæ de divina gratia Traditionis teftem advocat, ut fanctiffimi Doctoris difcipulos nafo fufpendat? Hoc fanè eft Cenforis noftri acre judicium, hoc prudentis, & acuti criterii fpecimen.

Haud me fugit Vincentii Lirinenfis Commonitorium, adverfus prophanas omnium hærefum novitates, denfatis infignium Scriptorum elogiis celebrari. At nec Launojum fugere debuit, duo longè diverfa eo in libro fecernenda effe: unum quidem de induftria, ac principe ftudio tractatum, ac demonftratum; alterum oblique, tectè, ac per cuniculos infinuatum. Primum eft, antiquitatem doctrinæ effe retinendam, fugiendamque dogmatum in rebus fidei novitatem; cui uni de induftria ftabiliendo Commonitorium fermè totum quod extat, nempè liber ejufdem primus impenditur. Alterum eft Auguftini doctrinam, de initio fidei ex gratia, de fingulari perfeverantiæ dono, deque gratuita prædeftinatione, novam effe, fuperiorum fæculorum Patribus incognitam, atque ita Cœleftini Refcripto damnatam. In priori ftatuendo, probandoque dogmate, uti Ecclefiæ Catholicæ cauffam egit, ita Auguftinum magiftrum,

ſtrum, ac ducem habuit, cujus etiam verba æmulari viſus eſt, *Libro* 2. *contra Julianum Pelagianum* exarata, *capite ultimo* : ubi cùm ex Patrum doctrina, Pelagianæ hæreſeos novitatem oſtendiſſet, ita demum colligit ſanctiſſimus Doctor : *Talibus poſt Apoſtolos ſancta Eccleſia plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, paſtoribus, nutritoribus crevit. Ideo prophanas voces veſtræ novitatis expavit &c.* Atque ob id unum ex inſtituto diſputatum, eruditorum omnium linguas in ſui præconium ſolvit Vincentius Lirinenſis; quòd Traditionis inveſtigandæ, catholicique dogmatis ab hæreſi ſecernendi regulas figat, ſummo omnium aſſenſu probatas, atque receptas. Cæterùm alterum obliquè, obiterque tentatum in Auguſtinum, ut illum affectatæ novitatis invidia oneraret, Catholicorum nemo laudavit. Imò tot illas olim ab eruditis omnium gentium, ac partium laudes obtinuit celebre Vincentii Commonitorium, quòd vix ullus ante Gerardum Voſſium, & Cardinalem Noriſium, audacem illam in Auguſtinum molitionem detexiſſet; (mirè enim tecta eſt, & ambiguis phraſibus involuta, Auguſtino, ejuſque diſcipulis ne quidem ex nomine appellatis,) aliuſque vulgò crederetur, quàm qui objectionum Vincentianarum Auctor eſt. Verùm ex quo tempore viris emunctæ naris innotuit, Semipelagianæ ſcholæ doctorem tanto magis in Hipponenſis Præſulis placita latenter invehi, quanto in omnes alias hæreſes ſtudioſiùs inſurgere prima fronte conſpicitur, laudibus temperarunt; editumque pro Catholicæ fidei antiquitate Commonitorium, inſtar Canonum Antiochenorum, *malæ radicis non malum per omnia fructum* appellarunt. *Lupus in Notis ad Dicta Greg.*



CA-

CAPUT DUODECIMUM.

Afficta Augustino, ejusque discipulis hæreseos Prædestinatianæ nota depellitur.



UAM diversa, de hæresi Prædestinatiana, eruditorum judicia fuerint, lippis, ac tonsoribus notum arbitror. Horum bona pars, ac meo quidem judicio melior, Semipelagianorum commentum existimat, qui cùm ab Augustini discipulis, modò *ingrati*, modò *Pelagianorum reliquiæ*, ignominiæ caussa vocarentur, Prosperum, ejusque sectatores, ut parem vicem rependerent, *Prædestinatianos* nuncuparunt; iisque horrida de prædestinatione dogmata, per summam invidiam affricuerunt, de quibus, ne quidem per somnium cogitarant. Addunt quibus ita sentire libet, Faustum *profundæ calliditatis virum*, (*S. Isid. d. de viris ill. c.* 14.) totiusque jam Semipelagianæ factionis, extincto Cassiano, primipilum, telam illam in Lucidum obscuri aliundè nominis Presbyterum, texuisse malo animo: Synodos Arelatensem, ac Lugdunensem ab eo laudatas, ubi ad palinodiam adactus dicitur horridorum dogmatum assertor, aut commentitias prorsus esse, aut mera Semipelagianorum conventicula; quorum nulla sæculo illo, nisi apud ejusdem sectæ Scriptores, memoria extet.

Ea Sancto Prudentio Trecensi Episcopo de hæresi Prædestinatiana adhæsit opinio, sæculo nono. Cùm enim Hincmari factio, eam Gottescalchi defensoribus hæresim in faciem illideret, ita sanctissimus Præsul reponebat, *Libro contra Joannem Erigenam cap.* 4. *Tertiam verò* (*hæresim*) *quam Pelagianis contrariam asseris, qua ita donum gratiæ prædicetur, ut libertas arbitrii funditùs auferatur, nec legimus, nec audivimus .... Nescio quem elogio tuæ tertiæ hæreseos denotare volueris, nisi Beati Augustini dictorum, quæ præmisimus, imò Catbolicorum omnium fideliter, veraciterque sequaces.* Adhæsit, & Sancto Remigio, eandem criminationem repellenti, unà cum celebri, cui præerat, Ecclesia Lugdunensi, *Libro adversus eundem Scotum Erigenam* exarato, *cap.* 4. *Secunda Hæresis*, inquit, *quam dicit esse gratiæ solius: Quæ sit, vel fuerit in Ecclesia, quæ ita prædicaverit, sola Dei gratia hominem salvari, ut liberum hominis negaret, vel destrueret arbitrium, nobis minimè cumpertum est*. Et paucis interjectis: *Quæ est ista secunda hæresis, tam incognita, tam nova, & inaudita, quæ libero*

 arbi-

arbitrio denegato , solius gratiæ sit prædicatrix? Nisi quia (ut nobis videtur ,) disputator iste , vel Beatum Augustinum latenter quasi hæreticum accusat : &c. Quæ verba nusquam Ecclesiæ Lugdunensi, ejusque eruditissimo Præsuli excidissent, si non modo hæc ipsa hæresis extitisset , verùm etiam in ejusdem Ecclesiæ Synodo proscripta esset. Cæteros recentioris ævi scriptores, queis hoc idem visum est, silentio mitto , Usserium , Mauguinum , Cabassutium , Macedum, Contensonium, aliosque numero plures.

Eruditorum pars altera , cui Prædestinatianorum hæresim fictitiam dicere religio est, ne Faustum tantæ fraudis invidia oneret ; Lucidumque re ipsa iis erroribus adhæsisse putat , quos illi Rejensis Antistes adscribit ; eundem tamen sinistra Augustinianæ doctrinæ intelligentia delusum asserit , totoque cœlo ab ejus sententia exorbitasse, certissimè ponit. Ita Tyro Prosper *in Chronico ad annum Honorii* 23. juxtà geminæ Bibliothecæ , Coloniensis ac Lugdunensis lectionem : *Prædestinatorum hæresis , quæ ab Augustini Libris malè intellectis , accepisse dicitur initium , his temporibus serpere exorsa . Nonnulli codices non habent*, malè intellectis. Ita Auctor Prædestinati a Sirmondo editus Tomo 28. postremæ Bibliothecæ Patrum , *Libro* 1. *hæresi* 90. *Nonagesima hæresis* , inquit , *quam in præfatione nostra diximus, de nomine Augustini Episcopi esse mentitam, Prædestinatorum nomen accepit*. Et *Libro* 3. *Nonagesimam hæresim Prædestinati fecerunt, ostendentes Libros falsos , quos Augustini confingunt ; cujus dicta in multis locis leguntur istis Libris valde contraria* . Ita Sigebertus Monachus Gemblacensis *ad annum Christi* 415. *Prædestinatorum hæresis hoc tempore cœpit serpere; qui ideo Prædestinati vocantur, quia de prædestinatione, & divina gratia disputantes asserebant, quod nec pie viventibus prosit bonorum operum labor , si a Deo ad mortem prædestinati fuerint : nec impiis obsit , quod improbe vivant , si a Deo prædestinati fuerint ad vitam . Quæ assertio & bonos a bonis avocabat , & malos ad mala provocabat. Hæc hæresis ex Libris Augustini malè intellectis initium sumpsisse dicitur*.

Quocumque ergo res cadat, Augustinus in vado est , & Launojanæ calumniæ flatum eludit . Si enim Prædestinatianam hæresim purum , putumque figmentum cum prioribus dicimus , doctrinam Augustinianam, Ecclesiæ judicio nequaquàm inustam, facillime colligemus. Si autem extitisse re ipsa cum cæteris opinamur , Lucidumque eos errores propugnasse contendimus , quos illi Faustus attribuit ; sed falsa sancti Doctoris intelligentia deceptum , toto ab ejus mente ostio aberrasse : tam non in Lucido damnatus censebitur Augustinus , quàm nec in Arjo , aut Nestorio sacri Codices , quorum sinistra interpretatione delusi novatores , impia dogmata deli-

delirarunt. Nec ulla idcircò labes sanctissimo Doctori inuritur : *Neque enim*, ut scitè monet Facundus Hermianensis Lib. contra Motianum, ut apud Sirmondum pag. 587. Tom. 2. *meliùs loqui potuit Augustinus, quàm Prophetæ, quàm Apostoli, & Evangelistæ, quorum mentibus similiter male intellectis, & incongruè adhibitis, tam multi suos defendere conantur errores.*

Sed quid ad hæc Traditionis investigator? Novam in veteri spatio viam aperit, ut Augustinus sub Prædestinatianorum corio vapulet. Prædestinatianam hæresim, non ex sinistra librorum ejus interpretatione initium duxisse, sed sinceram, atque germanam ejusdem doctrinam complecti, fidenter pronunciat : Lucidumque in Synodo Arelatensi damnatum, non falsum tanti Doctoris interpretem, sed fidum planè discipulum, imò discipulorum, totiusque jam sectæ principem dicit. (*Pag.* 100.) At dicit tantùm : momenta queis inauditum paradoxum adstrueret calamo hæserunt. Unde tibi, Launoi, tantum audaciæ, ut præcentore nullo, ductore nullo, authore nullo, cuncta, ut libet, ut lubet, effutias? Quis tibi Lucidum Augustini discipulum fecit, ac totius factionis coryphæum? Quis tibi horrida dogmata, ab eodem ex Arelatensis Synodi præscripto ejurata, tanti Magistri, totiusque scholæ decreta commentus est? Nemo omnium.

Quàm procul ab Augustino, ejusque discipulis abjerit Lucidus ille, id, vel unum ad Launoii dedecus luculenter ostendit, quòd senas ejus assertiones in palinodiæ Libello contentas, & a Gennadio, non paucis immutatis, recensitas, ut *injusta opprobria, & ineptissimarum blasphemiarum prodigiosa mendacia*, sibi, atque Magistro per summam calumniam afficta confutaverit D. Prosper, in suis ad Capitula Gallorum, & ad objectiones Vincentianas responsionibus ; priori duntaxat excepta, de qua apud Aquitanicum nihil, sed ab ipsomet Augustino rejecta est. Rem totam brevi collatione conficio.

Prior Libelli assertio erat : *Labor humanæ obedientiæ, divinæ gratiæ non est adjungendus.* Augustinus è contra *Libro de Dono Persev. Cap.* 22. *Vos itaque, inquit, etiam ipsam obediendi perseverantiam a Patre luminum, a quo descendit omne datum optimum, & omne donum perfectum, sperare debetis, & quotidianis orationibus poscere, atque hoc faciendo confidere, non vos esse a prædestinatione populi ejus alienos; quia etiam hoc ut faciatis, ipse largitur. Et* cap. 15. *Non deterremur a confitenda præscientia Dei, si quis de illa populo sic loquatur, ut dicat : Sive nunc rectè vivatis, sive non rectè, tales eritis posteà, quales vos Deus futuros esse præscivit, vel boni, si bonos, vel mali, si malos. Numquid enim, si hoc audito nonnulli in torporem, segnitiemque vertantur,*

& a labore proclives ad libidinem post concupiscentias suas eant, propterea de præscientia Dei falsum putandum est esse, quod dictum est?

Altera Libelli assertio sic habebat: *Post primi hominis lapsum, ex toto arbitrium voluntatis extinctum est*. Sexta Gallorum calumnia erat, a Prospero confutata: *liberum arbitrium in homine nihil est*.

Tertia Libelli propositio his verbis expressa erat: *Christus Dominus Salvator noster mortem non pro omnium salute suscepit*. Nona Gallorum calumnia ab Aquitano depulsa in idem planè recidebat: *Non pro totius mundi redemtione Salvator est crucifixus*: Cui etiam gemina prorsus est prima objectio Vincentiana: *Dominus noster Jesus Christus non pro omnium hominum salute, & redemtione passus est*. Quocirca recole, quæ diximus *capite* 2. ad primam, alteramque propositionem tertii indiculi.

Quarta Libelli propositio succedit: *Præscientia Dei hominem violenter impellit ad salutem: vel, Dei pereunt voluntate, qui pereunt*. Hæc ipsa est prima Gallorum criminatio, quam sibi, suisque perperam affictam ostendit D. Prosper: *Ex prædestinatione Dei velut fatali necessitate, homines ad peccata compulsi coguntur ad mortem*.

Quinta Libelli propositio sequitur: *Post acceptum legitime baptismum, in Adam moritur quicumque deliquerit*. Cui secunda Gallorum accusatio, ab Augustini discipulo falsi postulata planè respondet: *Ab eis, qui non sunt prædestinati ad vitam, non aufert percepta Christi gratia originale peccatum*.

Ultima tandem Libelli propositio sic habebat: *Alii deputati sunt ad mortem, alii ad vitam prædestinati*. Quam assertionem pravo sensu acceptam confutat D. Prosper, decimæ quintæ Gallorum calumniæ satisfaciens, in hunc modum: *Qui præscientiam Dei in nullo ab ipsius prædestinatione discernit, quod tribuendum est Deo de bonis, hoc ei etiam de malis conatur adscribere. Sed cùm bona ad largitorem, cooperatoremque eorum Deum, mala autem ad voluntariam rationalis creaturæ nequitiam referenda sint: dubium non est, sine ulla temporali differentia, Deum & præsciisse simul, & prædestinasse, quæ ipso erant authore facienda, vel quæ malis meritis justo erant judicio retribuenda; præsciisse autem tantummodo, non etiam prædestinasse, quæ non ex ipso erant caussam operationis habitura*.

Primus in Gennadii catalogo Prædestinatianorum error hac thesi continebatur: *Deus non omnes homines ad hoc creavit, ut omnes salventur, sed ut multitudine hominum ornetur mundus*. Incidit in decimum tertium capitulum Gallorum, de quo jam *capite*

pite 2. diximus ad propositionem 2. secundi indiculi, quo assertiones Augustino ab Launojo perperam afflictæ continentur.

Secundus error, juxta eundem Gennadium, is erat: *Etsi generali prædicatione dicat Christus*: venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos, *non tamen omnes ea voluntate vocat, ut omnes sequantur vocantem*. A quinta Gallorum calumnia nihilo differt: *Qui vocati sunt, non æqualiter sunt vocati, sed alii, ut crederent, alii, ut non crederent*. Cujus pravam intelligentiam, suo, ac suorum nomine repudiat doctissimus Aquitanus.

Tertius error his verbis expressus erat: *Non omnes, qui ipso (Deo) inspirante obediunt vocationi, dicuntur accipere exequendi in bono opere perseverantiam, sed post multos labores, & justitiæ fructus, si non sint de salvandorum numero, subtrahendas eis vires agendi, ne perdurent in bono*. Quam blasphemiam, ab Augustino, ejusque Discipulo distinctè rejectam probavimus *capite* 2. ad quartam propositionem secundi ordinis.

Quartus error hac positione continebatur: *Illi, qui prædestinati sunt ad vitam æternam, etiamsi in perfidia, vel in omni genere peccati longo tempore volutentur, accipient occasionem, qua, & credant in Deum, & secundùm Dei præceptum vivant, ut possideant societatem justorum*. Quam sibi doctrinam objectam, qua parte censuræ patere potest, rejicit Augustinus Libro de dono perseverantiæ *capp.* 15., & 16., quatenùs nempè segnitiem, atque torporem videtur inducere; cujus verba paulò anteà recitavimus.

Quintus sequitur error: *Deus personas hominum accipit*: quem sibi quarto isto Gallorum capitulo, injurià tributum, queritur Prosper: *Non omnes homines vocantur ad gratiam*.

Sextus demùm in Gennadii indiculo Prædestinatianorum error hoc ferali dogmate stabat: *Alios etiam invitos post multa mala opera attrahit ad salutem, alios post bona opera rejicit, & compellit in malum, quò pereant in æternum*. Cui gemina est decima quarta objectio Vincentiana, ab Aquitano rejecta: *Magna pars illa Christianorum Catholicorum, Fidelium, atque Sanctorum, quæ ad ruinam, & perditionem prædestinata est, etiamsi petat a Deo sanctitatis perseverantiam, non impetrabit: eo quòd mutari non potest divina prædestinatio, quæ illos præordinavit, præparavit, præaptavit, ut caderent*.

(*Pag.* 101.) Non igitur per Lucidi latus, Augustini doctrina, in Synodis Arelatensi, & Lugdunensi, petita est, quod inflatis tibiis clamat Launojus; sed nefaria consectaria, a Semipelagianis iniquè deducta, ab Augustino, ejusque discipulis apertè rejecta, sed a Lucido per summam inscitiam devorata, a Galliæ Præsulibus inusta sunt. Cùm enim Semipelagianæ sectæ doctores, ingenio, & disputandi solertia præstantes, sub-

ſubtilia in Auguſtinianæ doctrinæ profeſſores argumenta exererent, variaque ex ejus principiis abſurda dogmata deducerent : Lucidus, ut erat obtuſo ingenio, malo fato ſuccubuit, & ad inſana paradoxa concedenda coactus eſt; quæ cæteri valentiores, ex Auguſtini, & Proſperi reſponſionibus, nullo negotio refellebant.

Fauſtum, Gennadium, Arnobium juniorem, cæteroſque in Auguſtinum malè animatos, ea geminæ Synodi ſententia, in imperitum, & pinguioris minervæ ſacrificulum pronunciata, palam abuſos, ut priſtinas ſectæ ſuæ calumnias inſtaurarent, ut gratiam efficacem, gratuitamque prædeſtinationem exploderent, ut initia fidei humanæ voluntatis conatibus darent, ut Auguſtinianos Prædeſtinatianorum nomine infamarent, haud dubium eſt. Fauſtus enim demandatam ſibi ab Synodo Arelatenſi confutandæ hæreſeos Prædeſtinatianæ provinciam prætergreſſus, geminos de Gratia, & libero arbitrio Libellos, Maſſilienſium erroribus infarſit. Gennadius edito Virorum illuſtrium Indiculo, Auguſtini de prædeſtinatione ſententiam, *errorem ſermone multo contractum*, & *lucta hoſtium exaggeratum* effutiit *cap.* 38., ac tantùm non ut apertam hæreſim damnavit : Proſperum Aquitanum, uti homuncionem & infamem alienæ gloriæ decurtatorem traduxit : Caſſianique doctrinam ab Eccleſia probatam mentitus eſt. Arnobius junior, per ſpeciem prædeſtinatianæ hæreſis oppugnandæ prædeſtinationis myſterium amolitus eſt : originale peccatum de medio penè ſuſtulit; fidemque naturæ viribus tribuit, in ſuis *ad Pſalmos Commentariis*. (*Pſalm.* 50. 90. 91. 103. 108. 120. 126. 146.) Sic illi lata in Lucidum cenſura abuſi turpiter. Quo itaque jure, ne dicam qua fronte, quave audacia, apertos illos Semipelagianæ ſectæ profeſſores, uti catholicæ de gratia, & prædeſtinatione doctrinæ Magiſtros Launojus oſtentat, (*Pag.* 98. & 99.) qui ſacrum depoſitum integra fide ſervarint, & ad nos uſque tranſmiſerint? Qua lege vulgatas ab iis adversùs Auguſtini diſcipulos ſcriptiones, tanquam Traditionis Eccleſiaſticæ promptuaria, unde certa hoc de argumento doctrina repeti debeat, laudibus effert, Eccleſiæ judicio palam, aperteque repugnans? Nota ſiquidem Gelaſii Summi Pontificis, & Romanæ ſeptuaginta Epiſcoporum Synodi, in Fauſti, & Arnobii libros diſtricta Cenſura : *Opuſcula Fauſti Rejenſis Galliarum Apocrypha .... Opuſcula Arnobii Apocrypha*. Quo judicio non ſolùm ſuprema authoritate, ut olim Sirmondo reponere libuit, libri illi exuti ſunt; ſed eadem cum Joviniani, Galli, Montani, Priſcillæ, Maximillæ, Fauſti alterius Manichæi opuſculis, Infamiæ nota inuſti, & inter *hæreticorum*, & *ſchiſmaticorum* quiſquilias, quas *nullatenus Catholica*, & *Apoſtolica Romana Eccleſia recipit*, amandati; (apud Labbæum Tom. 5. pag. 388. & 390.) Nota

ta Hormifdæ Pontificis, a Poffeffore de Faufti libris fententiam rogati, per litteras data refponfio: *Hi verò, quos vos de Faufti cujufdam Galli Antiftitis, dictis confuluiffe, literis indicaftis, id fibi refponfum habeant. Neque illum recipi, neque quemquam, quos in autboritate Patrum non recipit examen Catbolicæ fidei, aut Ecclefiafticæ difciplinæ, ambiguitatem poffe gignere, aut religiofis præjudicium comparare*: (apud Labb. Tom. 5. pag. *663*.) Nota Africanorum Epifcoporum in Sardinia pro catholica fide exulum Epiftola Synodica, qua *memorati Faufti commenta veritati contraria, catholicæ fidei penitus inimica* pronunciantur. Nota, ut paucis multa complectar, Cardinalis Baronii prudens animadverfio *Tomo 6. Annalium ad annum* 490. *Non eft quidem, ut pro Faufto aliqua poffit in ejus defenfionem vel excufationem Apologia elaborari, quem conftat in univerfo Orbe Catbolico impugnatum. Etenim in Occidente Cæfarius, & Avitus doctiffimi, atque fanctiffimi in Galliis Epifcopi adverfariis eum fcriptis exagitarunt, eundemque in Africa Sanctus Fulgentius Rufpenfis Epifcopus feptem Libris vebementiffimè oppugnavit .... fed qui præftant bis omnibus, Felix, atque Gelafius Romani Pontifices eadem Faufti fcripta rejecerunt: ut planè univerfum Occidentalem Orbem in eofdem Faufti libros infurrexiffe, eofque oppugnaffe atque bærefis condemnaffe manifeftum fit. In Oriente verò non unus duntaxat (quem refert Ado) Joannes Presbyter Antiocbenus eos Faufti libros refellit, fed Ortbodoxi fere omnes.* Et hos tamen libros, ut egregia de divina gratia fidei monumenta a Theologo Parifienfi laudari? Hos, hos? Proh fuperi, mites animos!

Illud poftremò non omiferim, Theologum noftrum in figenda editorum librorum epocha, pingui nimis anachronifmo labi, quo tota perturbatur Prædeftinatianorum Hiftoria; ut inde fatis compertum fit, quam ofcitanter calamum moverit. Fauftum, Gennadium, Arnobium, Profperum Tyronem, Libros concinnaffe ait, (*Pag. 99. & 100.*) *quibus Auguftinum, alii quidem latenter, alii aperta fronte erroris infimulabant, omniaque periculofæ doctrinæ paradoxa cumulatiffimè refellebant .... Quibus cùm nibil apud ejufdem difcipulos profeciffent, borum unum nomine Lucidum, ac totius fectæ corypbæum in jus vocarunt, apud Arelatenfis Synodi Patres &c.* At Fauftum nonnifi poft celebratas Synodos Arelatenfem, & Lugdunenfem, in Auguftinum, ejufque difcipulos calamum acuiffe; ac etiam implendæ, quæ fibi a Patribus demandata fuerat, Prædeftinatianos exagitandi provinciæ occafione, virus in gratiæ Vindicem effudiffe, notiffimum eft. Hinc illa ejus ad Leontium verba, in totius operis Præfatione: *Quod pro follicitudine paftorali Beate Papa Leonti, in condemnando prædeftinationis errore*,

rore, *Concilium summorum Antistitum congregastis*, *universis Galliarum Ecclesiis præstitistis*. *Quod verò ad ordinanda ea*, *quæ collatione publica doctissimè protulistis .... parum*, *ut reor*, *tanto negotio*, *parum sanctæ existimationi vestræ consuluistis .... In quo quidem Opusculo*, *post Arelatensis Concilii subscriptionem*, *novis erroribus deprehensis*, *adjici aliqua Synodus Lugdunensis exegit*: (apud Labb. Tom. 5. pag. 127.) Gennadius etiam librum de Viris illustribus, quo se Augustini, ejusque discipulorum adversarium prodit, circa annum 494., qui decimus nonus ab Arelatensi Synodo (*Synodus Arelatensis anno* 475. *habita est*); numeratur, elaboravit. Namque de Theodulo Presbytero sic habet : *Moritur hic Scriptor ante triennium*, *regnante Zenone* : mortuus autem Zeno est anno 491. Ejusdem liber de Ecclesiasticis dogmatibus, in quo nonnihil Semipelagiani fermenti deprehenditur, edi non potuit ante annum 491., quo primùm Gelasius Pontifex, ad quem statim ab Authore transmissus est, Romæ sedit. Arnobius junior post damnatam duntaxat Arelate Prædestinatianam hæresim, suos in *Psalmos Commentarios*, eodem fermento respersos elucubravit; quippè, qui eam ex nomine appellat, in *Psalmum 146.*, ejusdemque distincta capita insectatur. Quì ergo fieri potuit, ut Augustini discipulos ad Arelatensem Synodum provocarent, quòd iis libris exagitati, a pristinis dogmatibus abduci nollent; sed Magistri doctrinæ semel ebibitæ tenaciùs hærerent? Prosperum Tyronem, quod attinet, is nec Semipelagianus, nec Augustini adversarius haberi potest, si pura, & integra est laudata illius Chronici lectio, quæ tam distinctè habet; *Prædestinatianam hæresim*, *ex libris Augustini male intellectis*, *initium accepisse*. Nec in eas de divina gratia controversias videtur ingressus, qui breve duntaxat Chronicon concinnavit, quo nihil huic argumento affine continetur.

Interea tamen Lectorem hoc loco monere juvat, me in confutando Launojo, eam de Arnobio juniore sententiam tenuisse, quæ ipsi arrisit maximè; illum nempè in Augustinum malè affectum, in Semipelagianorum castris meruisse. Quod fanè fateatur necesse est, quisquis illi *Commentarios in Psalmos* adjudicat, qui ejus nomine in nonnullis Editionibus prostant : ut multis contra Vossium probat eruditissimus Cardinalis de Noris *lib.* 2. *Historiæ Pelagianæ cap.* 15. Cæterùm Commentarios illos, Arnobio perperam inscribi, duplicique titulo a Gelasio dictos Apocryphos; eum verò inter Augustini cultores jure censeri, ac ne latum quidem unguem ab ejus sententia discessisse, persuasum habeo ex ejus Dialogis cum Serapione, jam olim ab Alcuino sub ejus nomine laudatis, Epistola ad Flavium Menium, & libro *6.* contra Felicem Urgelitanum. Ita enim inter se se de Augustino colloquuntur Arnobius & Se-

& Serapion libro 2. haud longè fine : *Serapion dixit : non ita docentem Augustinum audivi. Arnobius dixit : In qua parte non ita audisti eum docentem? Serapion dixit : Non imperium legis impleri, omnia volumina tractatuum, & librorum ejus testantur scripta. Arnobius dixit : Tangit me, ita sicut sunt mira ejus verba in medium proferre, & probare quantùm legis imperio, quantum libero concedatur arbitrio. Serapion dixit : Testor Deum, quia sollicitudini meæ universam ambiguitatem eliminas, si de his ejus mihi definita proferas, & de omnibus, quæ transacta sunt, evidentia ejus afferas documenta. Fateor enim me ejus assertiones ita probatas habere*, UT SE IPSUM ORE SUO HÆRETICUM DETEGAT, QUI AUGUSTINUM PUTAVERIT IN ALIQUO REPREHENDENDUM ELOQUIO. *Arnobius dixit : meo sensu locutus es : nam ea, quæ ejus nunc profero, ac si sacratissima Apostolorum scripta, sic credo, & teneo, & defendo.* Itane Augustinum Semipelagianus homo celebrasset, cùm ii, ex sectæ decreto, tam multa ejus dicta reprehenderent?



C A P U T XIII.

Augustinianæ doctrinæ de Semipelagianismo triumphus, sæculis sexto, septimo, & octavo reportatus, & a Launojo pessima fide dissimulatus, distinctè narratur.



Rontem Launojo periisse necesse est, dum ad decimum quartum narrationis suæ caput conscribendum, mentem applicuit. (*Pag.* 102. & 103.) Augustini discipulos non jam tecto sermone, sed palàm, & apertè, distinctisque verbis *audaces*, & *pervicaces* appellat; quòd geminæ Synodi judicio in Lucidum pronunciato nihil territi steterint in incœpto; obscurosque nonnullos Africæ Prælules, in Sardiniam actos suis partibus illigarint: tametsi, ut adjicit, nihil tot illæ artes obfuerint, quominùs vulgata ab iis paradoxa omnium in se fidelium odia concitarent. Utque hoc ultimum duplici fabella, & quidem omnium stultissima, confirmasse sibi visus est, ad nonum subindè sæculum gressum faciens, Gottescalchi historiam nectit; *quod duorum, & ampliùs sæculorum spatio* (Fabulatoris verba sunt) *Augustini discipuli ubivis pessime habiti conticuissent, seque ipsos silentio damnassent, donec gyrovagus Monachus caput tolleret.* (*Pag.* 106.)

Siste, Launoj, siste; & qui hactenùs illatum a Massiliensibus Augustino, ejusque discipulis bellum fusiùs enarrasti; Semipelagianorum in eos dicteria, querelas, oblocutiones exaggerasti; objectorum errorum indiculum milliès texuisti; libellos, scriptiones, omniaque intentatæ litis instrumenta excussisti; sine videamus quem tandèm sæculo sexto, ac septimo exitum habuerit gravissima concertatio, quæ centum, & ampliùs annos Ecclesiam universam, ac potissimùm Gallicanam exercuit. Hinc enim definire facile erit, num Augustini de gratia, & prædestinatione sententia, erroribus (quod hic maximè quæritur) debeat accenseri; an potiùs inter fidei, & Traditionis Ecclesiasticæ capita computari? Num post latam in Synodis Arelatensi, & Lugdunensi in Lucidum damnationem, bonorum in se odium Augustiniani concitarint, an veriùs Romanorum Pontificum, Conciliorum, ac Patrum cultu excepti sint? Num demùm malè sanæ doctrinæ conscientia, ora compresserint Sanctissimi Doctoris discipuli, & asseclæ; an potiùs fuerint illi tui, quos laudibus cumulas, Cassiani, Vincentii, Fausti, Gennadii, ex totiùs Ecclesiæ sententia, æterno silentio damnati?

Fau-

Fausto Rejensi Episcopo, in quem Semipelagianæ Reipublicæ principatus, extincto Cassiano, devolutus fuerat, humanis tandem rebus exemto, languere paulatim cœpit factio divinæ gratiæ inimica: Augustini verò sententia, quæ potentissimos hactenùs passa fuerat adversarios, depulsis sensim superborum hominum præjudiciis, liberè triumphavit. Massilienses in Hipponensem Episcopum initio mussitantes, incerto velut ictu petierat Cœlestinus; cujus ad Gallos Episcopos nobile rescriptum, per se se licèt decretorium, subdolis interpretamentis, & exceptionibus eludebant. Verum has illis subindè plagas intulere per vices Gelasius I. Hormisdas, Felix IV., Bonifacius II., Joannes II., unà cum Synodis Gallicanis, aliisque sanctissimis Patribus, ut amica manu leniri nequiverint; nemoque deinceps, citra hæresis notam, suam illis adversus Augustinum advocationem præstare potuerit.

Gelasius anno 493., qui alter a Fausti obitu fuit, Semipelagianæ sectæ dogmata damnavit, de humanis conatibus gratiam antevertentibus, deque fide naturæ viribus prodeunte, datis ad Piceni Episcopos elegantissimis Epistolis: *Quid autem*, inquit, *haberi possit sine gratia, cùm sit fides ipsa per gratiam*; *eodem Apostolo nos docente*; (*Epist.* 7.) Misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem. *Nec aliud est misericordia divina, quàm gratia*; ut ostenderet, quia donum gratiæ non ipse præcesserit, sed fuerit subsecutus; atque monstraret, cooperatorem se esse gratiæ, subsequendo. Cumque Seneca quidam delirus senex, ac nullius eruditionis homunculus, Augustini, & Hieronymi scripta lacesseret, summosque Doctores mille conviciis oneraret, de utriusque honore sollicitus pius Pontifex, inauditam homuncionis audaciam hisce compescuit: *Adbuc majus scelus accrescit*, *ut sub conspectu*, *& præsentia sacerdotum*, *beatæ memoriæ Hieronymum*, *atque Augustinum*, *Ecclesiasticorum lumina Magistrorum*, musca moritura, *sicut scriptum est*, exterminans oleum suavitatis *lacerare contenderet*. *Eccles.* 10. (apud Labb. Tom. 5. pag. 306.) Quid dicturum Gelasium arbitramur, si muscam, non utique morituram, sed mortuam dudùm, ac tumulo datam, Augustino Ecclesiasticorum Magistrorum lumini insultantem, eidemque Prædestinatianæ, Vvitklefianæ, Lutheranæ, Calvinianæ, Jansenianæ hæreseos notam audaciùs inurentem deprehendere contigisset? Id verò summum scelus, nulla verbi invidia, vocitasset.

Novo ictu Semipelagianos confecit Gelasius idem, anno proximè sequenti, novumque Augustinianæ scholæ decus addidit. Coacta scilicet Romæ septuaginta Episcoporum Synodo, factaque de libris vel legendis, vel rejiciendis consultatione, Cassiani, & Fausti Opuscula, eàdem cum Joviniani, Montani, Priscillæ, Maxi-

milæ, aliorumque hæreticorum, & schismaticorum libris, censura notavit; eaque inter quisquilias amandavit, quas Ecclesia Catholica minime recipit: Augustinum verò, & Prosperum Aquitanum, Orthodoxorum Patrum numero censuit, qui *in nullo a sanctæ Romanæ Ecclesiæ consortio deviarunt*. Cujus quidem decreti verba dedimus paulò supra *Cap.* 10.

Ineunte sæculo sexto, delati in Orientem Fausti Rejensis Episcopi Libri duo, quos Arelatensis Synodi jussa prætergressus in Auguginum ediderat, Scytharum Monachorum censuram experti sunt. Novi ex ultimo Ponto excitati gratiæ vindices, Libello *de Incarnatione, & gratia* concinnato, Augustini de gratuita prædestinatione sententiam toto conatu vindicarunt, & Rejensis Episcopi Libros in eandem editos anathemate confoderunt: *Sanctorum Patrum*, inquiebant, *imbuti doctrinis, anathematizamus Pelagium, & Cœlestium, simulque etiam Julianum Eclanensem, & qui illis similia sapiunt; præcipuè Libros Fausti Galliarum Episcopi, qui de Monasterio Lirinensi provectus est .... In quibus non solùm contra horum omnium sanctorum Patrum, verùm etiam contra ipsius Apostoli traditionem veniens, humano labori subjungit gratiæ adjutorium; atque totam omninò Christi evacuans gratiam, antiquos sanctos, non ea gratia, qua, & nos, secundùm quod docet beatissimus Petrus Apostolus, sed naturæ possibilitate salvatos impiè profitetur.*

Scytharum Libello calculum adjecere Præsules Africani, in Sardiniæ insulam, pro Catholica fide, a Trasamundo Rege Arjano relegati, vitæ sanctimonia, & eruditionis laude spectatissimi, numero quindecim, Bizacenæ Provinciæ, Dacianus videlicet, Fortunatus, Boethus, Victor, Scholasticus, Orontius, Vindicianus, Victor, Januarius, Victorianus, Photinus, Quodvultdeus, Fulgentius, Felix, Januarius. Ii coacta Synodo, delatam per Joannem Diaconum, Monachorum scriptionem non probarunt modo, verùm etiam alteram pari titulo, de Incarnatione, & gratia submiserunt, qua Fausti errores, de initio vocationis, & fidei, de prædestinatione ex meritis pendula, de gratia promiscuè collata, *capite* 18., & sequentibus, egregiè confutarunt, sancto Fulgentio Ruspensi Episcopo omnium decreta, atque sententias in literas mittente. Fausti nihilominùs nomini pepercere, & a ferenda in ejus libros sententia temperarunt, quòd illos necdùm legissent. Egregium volumen hoc brevi Epilogo clauditur, quo stat Augustinianæ doctrinæ summa: *Habetis, dilectissimi Fratres, tam de Incarnatione Domini Jesu Christi, quàm de gratia paucis expressam fidei nostræ, confessionisque sententiam ...... Cujus gratia nobis, & initium bonæ voluntatis donatur ad fidem, & ipsi voluntati adjutorium*

rium tribuitur, ut quod benè vult, benè operetur. Deus enim, qui hominem condidit, ipse prædestinatione sua, & donum illuminationis ad credendum, & donum perseverantiæ ad proficiendum, atque permanendum, & donum glorificationis ad regnandum, quibus dare voluit, præparavit, quique non aliter perficit in opere, quàm in sua sempiterna, atque incommutabili habet voluntate dispositum. Cujus prædestinationis veritatem, qua nos ante mundi constitutionem prædestinatos in Christo Ephes. 1. *testatur Apostolus, si quis detrectat cordis credulitate recipere, vel oris confessione proferre, si ante ultimum diem vitæ præsentis, impietatis suæ contumaciam, qua Deo vivo, & vero rebellis obsistit, non abjecerit, manifestum est, eum non pertinere ad eorum numerum, quos Deus in Christo ante mundi constitutionem gratis elegit, & prædestinavit ad regnum &c.* Launoji manibus benè precor, ac ne Bifacenorum Præsulum sententiam expertus sit, Divinam misericordiam suppliciter peto. Nec unius Bisacenæ Provinciæ Patres, numero quindecim, quorum nomina laudatæ scriptioni præfixa sunt, sententiam dedisse; sed cæteros planè omnes supra sexaginta Africæ Præsules, in exilium actos, Scytharum consultationi respondisse, Fulgentio calamum omnibus commodante, haud obscurè innuit Ferrandus Diaconus Carthaginensis, in ejus Vita cap. 20. *Huic etiam*, inquit, *quandocumque transmarinis Literis, de fide, vel de diversis quæstionibus interrogabantur Episcopi, respondere pro omnibus, ab omnibus imponebatur. Ita sicut sanctæ memoriæ Aurelius Carthaginensis Ecclesiæ Antistes, inter sua privilegia meruit, ut Literas ex Africano Concilio dandas ipse solus scriberet: sic iste meruerat, ut literas ex illo Concilio dirigendas solus ipse dictaret. Sexaginta quippè, & eo amplius Episcopos tunc catena ligabat exilii, quorum lingua, & ingenium B. Fulgentius Episcopus fuit. Propterea quandocumque rescribebant consulentibus, Episcoporum nomina cunctorum dicebantur in titulo; sed solius Beati Fulgentii sermo tenebatur in stylo.*

Hæc omnia notare libuit, ut inaudita Launoji petulantia comprimatur, qua tam multos sanctissimos, ac doctissimos Præsules, pro tuenda fide catholica durum exilium passos, tanquam obscuros, ac pauculos sortis infimæ magistellos despicatur, ac ludit; quasi Gallorum Augustiniensium artibus circumventi, ac turpiter lusi, dictatam ab iisdem sententiam scripto mandarint. (*Pag.* 103.) Vah insulsi argutatoris infrunitam audaciam! Afros in Sardiniam ejectos suis partibus illigarint Galliarum Augustini discipuli, quibuscum nihil unquam commune fuerat? Aut ii fortasse fuerint religiosissimi Confessores, qui in alienam sententiam cœco impetu, atque obtorto naso ducerentur?

Inte-

Interim Afrorum responso animati Scythiæ Monachi, Fausti Libros, Joanne Maxentio duce, longè quàm antea vehementiùs sugillabant, ac palam facto agmine, ut hæreticos, traducebant. At cum illos alii adversis studiis occupati catholicos dicerent, neutraque pars alteri cederet, ac turbæ interim moverentur; Possessorem notæ eruditionis Episcopum, qui Constantinopoli exul degebat, sententiam rogarunt Vitalianus, & Justinianus militum Magistri. Hic quòd privatam Constantinopoli vitam ageret, nihil authoritate dixit, aut explicatè respondit : sed neutri diffidentium parti favere studens, Fausti libros, nec hæreticos, nec catholicos pronunciavit ; quasi privatas duntaxat sententias complecterentur, quas nec probaret apertè, nec improbaret Ecclesia. Interea tamen urgentibus Vitaliano, & Justiniano, ad Hormisdam Romanum Pontificem literas destinavit, supremum ea de re judicium quæsiturus. Erant *Epistolæ verba : Cùm quorumdam fratrum animus, de codice Fausti cujusdam, natione Galli, Reginæ Civitatis Episcopi, qui de diversis rebus, & frequentiùs de gratia Dei disertè visus est disputare, in scandalum moveretur ; aliis (ut se habent humana studia) in contrarium renitentibus, me crediderunt de hoc ambiguo consulendum. Dixi quidem ea, quæ a tractatoribus, pro captu proprii ingenii disputantur, non ut canonica recipi, aut ad Synodalium vicem pro lege servari ; sed habere nos certa scilicet, quæ veteri lege, vel novâ conscripta, & generalibus Patrum sunt decreta judiciis, ad fundamentum fidei, ac religionis integram firmitatem : hæc autem quæ Antistites diversi conscripserunt, pro qualitate sui sine præjudicio fidei solere censeri .... Quæso, ut consulentes, quid de præfati Authoris dictis videatur, authoritate Apostolicæ responsionis agnoscant : maximè, quòd filii quoque Magistri militum, Vitalianus, & Justinianus, præcipuè super hac re, Rescripto Beatitudinis vestræ similiter informari desiderant ;* (apud Labb. Tom. 5. pag. *662.*)

Hormisdas acceptis Possessoris Epistolis, Fausti Libros, nullius in Ecclesia authoritatis esse respondit : sed Augustini Libros, potissimè verò ad Prosperum, & Hilarium datos, legendos insinuavit, tanquàm qui Catholicæ, ac Romanæ Ecclesiæ doctrinam, de gratia, & libero arbitrio, complectantur : (*Epist. 70.*) *Hi verò*, inquit, *quos vos de Fausti cujusdam Galli Antistitis dictis consuluisse, literis indicastis, id sibi responsum habeant. Neque illum recipi, neque quemquam, quos in authoritate Patrum non recipit examen Catholicæ fidei, aut Ecclesiasticæ disciplinæ, ambiguitatem posse gignere, aut religiosis præjudicium comparare .... De arbitrio tamen libero, & gratiâ Dei, quod Romana (hoc est, Catholica) sequatur, & asseveret Ecclesia, licet in variis libris Beati Au-*

Augustini, & maximè ad Hilarium, & Prosperum, possit cognosci, tamen in scriniis Ecclesiasticis expressa Capitula continentur, quæ si vobis desunt, & necessaria creditis, destinabimus: quamquàm, qui diligenter Apostoli dicta considerat, quid sequi debeat, evidenter agnoscat; (apud Labb. Tom. 5. pag. 663.) Quo judicio, omnem Launojo, ac Semipelagianis, quo effugiant, aditum interclusit. Cœlestino enim Præsulem Hipponensem, uti Magistrum optimum, nulliusque suspicione erroris aspersum commendanti, reponere soliti erant; (*Apud D. Prosp. contra Coll. c.* 21.) *istam in sanctum Augustinum laudationem pro. anteriorum scriptorum meritis fuisse collatam .... quia in Epistola Papæ, librorum pro quibus actum est, non expressus est titulus.* Verum Librorum titulum expressit Hormisdas, illosque potissimè commendavit, qui Launojo, ac Semipelagianis præ cæteris stomachum movent. Cùm itaque uno, eodemque judicio, Augustini Libros ad Hilarium, & Prosperum datos, uti Ecclesiæ Romanæ doctrinam de gratiâ, & libero arbitrio continentes, approbet Pontifex; Fausti verò libros, eodem de argumento, in sanctum Præsulem exaratos, apertè rejiciat: consequens profectò est, theses omnes, ex professo a Sancto Doctore inibi defensatas, quibus adversarias Faustus opposuit, ab Ecclesiâ Romanâ propugnari, atque defendi.

Anno 523. Sanctus Fulgentius Ruspensis Episcopus, Afrorum Episcoporum in Sardinia exulum unus, idemque pietate, & eruditione præcipuus, novis collegarum precibus inclinatus, Fausti libros a Scythiæ Monachis transmissos, septem aliis impugnavit. Horum magna cum laude meminit Sanctus Isidorus Libro de Viris illustribus *cap.* 14., tametsi hucusque inediti delitescant: *Fulgentius*, inquit ille; *Afer, Ruspensis Ecclesiæ Episcopus, in confessione fidei clarus, in Scripturis divinis copiosè eruditus, in loquendo dulcis, in docendo, ac disserendo subtilis, scripsit multa, ex quibus legimus, de gratiâ Dei, & libero arbitrio, Libros responsionum septem: in quibus Fausto Galliæ Rejensis Urbis Episcopo, Pelagianæ pravitati consentienti respondens, obnititur ejus profundam destruere calliditatem.* Spes fuerat, ingentem thesaurum, per annos fermè mille ducentos inaccessis latebris abditum, nostra demùm ætate in publicam lucem proditurum. Volumen situ putre, membranis exaratum, blattarum, & tinearum epulas brevi futurum, e tenebris nescio quibus eruerat Hieronymus Vignerius Oratorii Presbyter, dataque non semel intimis, ac familiaribus curandæ editionis fide, Augustinianæ doctrinæ studiosis salivam moverat. Verùm fatali cunctatione, cui humanæ rationes nonnullæ suberant, effectum est, ut necdum tentatâ editione, e vivis excesserit. Quo demum eventu, invida manus, ac diris etiam devoven-

venda, sacrum thesaurum Reipublicæ literariæ secundò surripuit.

Suam in sedem hoc ipso anno restitutus Fulgentius, tres alios *de veritate prædestinationis, & gratiæ* Libros addidit, Scythis Monachis nuncupatos, ad Fausti sectatores cumulatiùs refellendos. Horum altero Augustini doctrinam, a Rejensi Episcopo temerè sugillatam, constantem Ecclesiæ, cùm Latinæ, tùm Græcæ Traditionem appellat, ab Apostolis derivatam. (*Cap.* 18. *lib.* 2.) Audi Launoj, & comprime rostrum: *Hæc itaque Catholicorum Patrum Apostolicis institutionibus tradita permanet in Ecclesiis sine aliquâ dubitatione doctrina, quam Græci, Latinique Pontifices, sancti Spiritus infusione firmati, uno, atque indissonabili semper tenuere, consensu. In qua Beatus Augustinus, indutus virtute ex alto, abundantiùs illis omnibus laboravit; non ipse autem, sed gratia Dei cum illo. Ipsius ministerio, Dominus uberiorem hujus rei fidelibus suis instructionem præbuit &c.*

Geminam Ruspensis Episcopi lucubrationem, (ut de aliis subindè concinnatis, *de Prædestinatione ad Monimum*, necnon *de fide ad Petrum*, nil dicam hìc) communibus suffragiis approbarunt Episcopi Africani, e Sardiniâ jam reduces, & ab exilio, Hilderici Regis, qui Trasamundo successerat, benignitate revocati. Fausti Libros distinctâ censurâ inusserunt, Augustini verò ad Prosperum, & Hilarium datos, singulari elogio commendarunt, Epistolâ Synodica ad Scythas Monachos datâ; ex quâ pauca ista delibare sat erit ad Launoji somnia dissipanda: *Præ omnibus studium gerite, Libros Sancti Augustini, quos ad Prosperum, & Hilarium scripsit, memoratis fratribus legendos ingerere. Quorum mentionem Beatæ memoriæ Hormisdas Sedis Apostolicæ gloriosus Antistes, in Epistolâ, quam consulenti se sancto Fratri Consacerdotique nostro Possessori rescripsit, cum magno præconio catholicæ laudis inseruit*. Tum recitatis Hormisdæ verbis, de Fausti Libris, eorumque a Sancto Fulgentio adornatâ binâ confutatione, ita pronunciant: *Cæterùm unus ex nobis, in quantùm Dominus servis suis recti gratiam dignatur donare sermonis, illis omnibus, quæ memoratos fratres adversùs gratiam, & prædestinationem, intimastis, vel sentire, vel dicere, tribus Libris vestro nomine dedicatis sufficienti disputatione respondit, quique adversùs duos Libros Fausti Galli septem Libros edidit: quos cùm recensueritis, agnoscetis protinùs, quemadmodùm memorati Fausti commenta veritati contraria, Catholicæ fidei penitus inimica, discussio prodidit, ratio manifesta convincit, authoritas divina compressit, & præcedentium Patrum consona prorsùs attestatio confutavit:* (apud Labb. Tom. 5. pag. 739.

Pari per idem tempus, in Faustum ejusque gregales, exitu bellum

lum movit Sanctus Cæsarius Arelatensis, Gallis Præsulibus non plaudentibus modò, verùm etiam dexteras dantibus; ut quæ per annos ampliùs centum, Semipelagianismum aluerat, & foverat Gallia, eundem ipsa præfocaret. Itaque Librum *de Gratia & libero arbitrio* Cæsarius edidit, quo binos ejusdem tituli Libros, a Fausto elaboratos, egregiè confutavit, & Augustini doctrinam defendit, illustravitque. Triumphum illi per Epistolas gratulatus est magnus Ennodius, gemina ad Anastasium Imperatorem obita legatione clarissimus, & a Synodo V. Romana honorificentissimo elogio ornatus: (*Lib. 9. Epist.* 33.) *Tibi debet*, inquit, *quicumque ille Scriptorum maximus, quod eum dote elocutionis amplificas;* Augustinum nimirum intelligens, quem is adversùs Rejensis Episcopi criminationes, pari sermonis elegantia, & eruditione defendit.

Sancto Cæsario dexteras contulit Sanctus Avitus Viennensis Archiepiscopus, cujus eruditione, ac fide, ab Arianæ hæreseos infestatione Galliæ nostræ defensæ sunt. Hunc in Faustum stylum exercuisse, testatur Ado Viennensis & ipse, *in Chronico* ætate *6. Faustus ex Abbate Lirinensis Monasterii apud Regnum Galliæ Episcopus factus, Pelagianum dogma destruere conatus, in errorem labitur: unde, qui ejus sensus in hac parte catholicos prædicant, sicut Gennadius de illustribus Viris scribens, omnino errant. Ita enim liberum arbitrium, tam Augustinus, quàm cæteri Catholici in Ecclesia Dei docent, ut illuminatio ejus, virtus, & salus illi a Christo, & per Christum, & cum Christo sit. Faustus verò iste ita liberum christianum arbitrium dicere conatur, ut illuminatio ejus, virtus & salus non a Christo, sed a natura sit. Contra hunc scribit lucidissima fide Beatissimus Avitus Viennensis Episcopus, ejus redarguens errorem. Similiter, & Joannes vir eruditus Antiochenus Presbyter:* Maxentius nempè Monachorum Scytharum Archimandrita, de quo antea dicebamus. Quibus verbis Adonem quoque Cæsario sua demum ætate suffragatum intelligimus; quippè qui, & Faustum ut hæreticum insectatur, & Augustinum catholicæ de divina gratia doctrinæ Magistrum agnoscit.

Sed qui his omnibus præstat Felix IV. Romanæ Ecclesiæ Pontifex, Cæsarii triumphis accinuit, editumque Volumen Apostolica authoritate communivit, si quæ Gennadii Continuatori fides est: *Cæsarius*, inquit ille, *Arelatensis Urbis Episcopus, vir sanctitate, & virtutibus celeber, scripsit egregia, & grata, & valdè Monachis necessaria Opuscula. De gratia quoque, & libero arbitrio edidit testimonia divinarum Scripturarum, & Sanctorum Patrum judiciis munita, ubi docet, hominem nihil de proprio agere boni posse, nisi eum divina gratia prævenerit. Quod opus etiam Papa Felix, per suam Epistolam roboravit, & in latiùs promulgavit.*

Quamquàm quid ego his immoror, ut Semipelagianos Gallorum Præſulum eruditione repreſſos, Romani tandem Pontificis authoritate, extremo veluti telo, confectos oſtendam? Proſtant in omnium oculis ſecundæ Arauſicanæ Synodi Canones, quos, vel ignoraſſe Launojum, vel, ſi noverat, contemſiſſe, perindè mirum. Hos a Felice IV., qui tum Romæ ſedebat Pontifex, ad Pelagianiſmi reliquias, queis ſuam Launojus advocationem accommodat, extirpandas, ſubmiſſos eſſe, & ab Epiſcopis Gallicanis, proferente Cæſario, ſubſcriptos, ex ipſa eorumdem præfatione compertum eſt: *Id nobis ſecundùm admonitionem & authoritatem Sedis Apoſtolicæ, juſtum, & rationabile viſum, ut pauca capitula, ab Apoſtolica nobis Sede tranſmiſſa .... ab omnibus obſervanda proferre, & manibus noſtris ſubſcribere deberemus*. Eoſdem ex Auguſtini ſententiis conflatos, æque certum; idque facta collatione oſtendit Binius, in ſuis ad Synodum Arauſicanam adnotationibus. Caſſiani demùm, ac Fauſti aſſertiones, facris illis fidei regulis penè ſyllabatim inuſtas oculis ſubjicit Cardinalis Noriſius *lib.* 2. *Hiſtoriæ Pelagianæ cap.* 23., necnon in *Appendice ad eandem cap.* 2. Quæ tria dum reputo, ſatis intelligentia aſſequi nequeo, eo inſulſitatis deveniſſe Launojum, ut ſilentium ſæculo 6. (*Pag.* 105.) Auguſtinianis indictum blateraret: quo maximè tempore, Auguſtini ore, & Romæ Pontifices, & Galliæ Synodi loquebantur, ejuſdemque ſententiis, decretum in æmulos obtrectatores judicium pronunciabant.

Nec Arauſicana duntaxat, verùm etiam Valentina Synodus, multò numeroſior, Semipelagianos errores proſcripſit, & Auguſtinianæ doctrinæ caput de gratuita vocatione confirmavit. Cùm enim obſervaſſet Cæſarius, Arauſicanæ Synodi Canones, minori apud nonnullos, ebibitis jampridem erroribus tenaciores, haberi pretio, ſeù quòd pauciores ad eam Epiſcopi conveniſſent; ſeù quòd de rebus fidei, ex occaſione duntaxat dicandæ Baſilicæ, tanquàm aliud agentes pronunciaſſent; idemque ipſe malè apud nonnullos audiret, quaſi plus æquo ſancitis Arauſicæ Canonibus, gratiæ tribuiſſet: is ut cœptum opus ad umbilicum duceret, omnemque a ſe ſiniſtræ opinionis ſuſpicionem amoveret; Auguſtini doctrinam, ſeù veriùs Catholicam Fidem, frequentioribus Patrum ſuffragiis ſanciri voluit. (*Ruricius lib.* 2. *Epi.* 32.) Quarè Synodum pro jure primatus, Valentiam indixit, cui cùm adverſa valetudine prohibente, intereſſe non poſſet, ſuas Cypriano Tolonenſi Epiſcopo vices delegavit: quo duce, ac præſide, Catholica veritas, non ita pridem Arauſicæ ſancita, cum magno Auguſtiniani nominis incremento, de potentiſſimis hoſtibus triumphavit. Rem totam memoriæ mandavit Cyprianus alter, Cæſarii diſcipulus, in ejus

Vita;

Vita; etenim Valentinæ Synodi Acta invidia temporum periere: *Multi quidem æmuli surrexerunt*, inquit ille lib. 1. cap. 30., *qui ejus resisterent doctrinæ de gratia prædicanti: sed o felicitas æmulanda! Etenim susurris, & mala interpretatione quorundam, oboritur in Galliarum partibus, contra prædicationem Dei hominis, frustrà sinistra suspicio. Ob hoc Antistites Christi, ultra Isaram consistentes, charitatis amore collecti, in Valentina Civitate conveniunt; quò etiam Beatus Cæsarius infirmitatis causa solicitatus, sicut disposuerat, properare non potuit. Misit tamen præstantissimos viros de Episcopis, cum Presbyteris, & Diaconis. Inter quos etiam Cyprianus Tolonensis Episcopus, Antistes magnus, & clarus enituit; omnia, quæ dicebat, de divinis utique Scripturis firmans, & de antiquissimis Patrum institutionibus probans, nihil per se in Divinis profectibus quemquam accipere posse, nisi fuerit primitùs Dei gratia præveniente vocatus.... Quorum intentionibus vir Dei Cæsarius dedit veram, & evidentem ex Traditione Apostolica rationem. Nam beatæ memoriæ Bonifacius, Romanæ Ecclesiæ Papa, eadem colluctatione comperta, calcata intentione jurgantium, prosecutionem sancti Cæsarii Apostolica authoritate firmavit. Idem donante Christo paulatim Ecclesiarum Antistites præceperunt, quod optaverat diabolus repentina animositate cassare.*

Hæc omnia cum fide retuli, tametsi eruditis omnibus nota: partim, ut Tolonensis Ecclesiæ, quæ me Christo peperit, summum decus publicarem, cujus Antistes Cyprianus id demùm honoris, & gloriæ retulit, ut asserta Augustini doctrina, diutinæ concertationi, quæ Galliam universam centum, & ampliùs annos in contraria studia distraxerat, finem imponeret: partim, ut Launoji pessimam fidem ob oculos ponerem; qui ut Cæsarium Augustinianæ Doctrinæ professorem, suis, pro more, calumniis oneret, Synodum Valentinam adversùs illum ipsum habitam comminiscitur, quòd Augustini dogmata tueretur: quin etiam eundem illum damnationis sententia certò petendum hariolatur, nisi Cyprianus, (*Pag.* 105.) aliique Præsules amicissimi, caussam illius egissent, ejusque doctrinam benigna interpretatione emollivissent. Certè si fabulam de industria texuisset Launojus, ut suo, lectorumque otio abuteretur, haud illum putidiores nugas narraturum existimo. Quid enim, si sic est, ut obtendit, Valentinæ Synodi gesta, ab Apostolica Sede confirmari Cæsarius postulavit? Quid Synodum Valentinam, Collationem cum quibusdam Sacerdotibus a Cæsario habitam vocat Pontifex, in ipso confirmationis instrumento? Quid sancitos inibi canones, Cæsarii, & Consacerdotum confessionem appellat? Quid Augustini doctrinam, pro cujus defensione æmulorum quorundam invidiam subierat Cæsarius, præ cæteris tenendam inculcat? Quid Pres-

byteros aliquos Semipelagianiſmo luto adhuc hærentes, ad bonam frugem Cæſarii induſtria revocandos ominatur? Do Bonifacii Romani Pontificis ad Cæſarium epiſtolam, non integram quidem, utpote prolixiorem, ſed per centones, ac partes, quantum confirmandis ſingulis hiſce capitibus, & Launoji fabulæ refellendæ ſufficiat. Quamquàm etſi daremus, Synodum Valentinam, contra Cæſarium ipſum, ejuſque ingratiis habitam eſſe; quod is ob defenſatam, atque ſancitam Arauſicæ Auguſtini doctrinam, malè apud aliquos audiiſſet: in eo tamen culpandus Launojus veniret, quòd privatorum obmurmurationes, turbas, coitiones, Arauſicanæ Synodi decretis, necnon Felicis IV., & Bonifacii II. reſcriptis cauſſam Cæſario adjudicantibus, anteponat.

Indicas enim (Bonifacii verba ſunt ad Cæſarium reſcribentis) *quod aliqui Epiſcopi Galliarum, cùm cætera jam bona ex Dei acquieverint gratia provenire, fidem tantùm, quâ in Chriſto credimus, naturæ eſſe velint, non gratiæ; & hominibus ex Adam, quod dici nefas eſt, in libero arbitrio remanſiſſe, non etiam nunc in ſingulis miſericordiæ divinæ largitate conferri: poſtulans, ut pro ambiguitate tollenda, confeſſionem veſtram, qua vos e diverſo fidem rectam in Chriſto, totiuſque bonæ voluntatis initium, juxta Catholicam veritatem, per prævenientem Dei gratiam, ſingulorum definitis ſenſibus inſpirari, authoritate Sedis Apoſtolicæ firmaremus. Atque ideo cùm de hac re multi Patres, & præ cæteris beatæ recordationis Auguſtinus Epiſcopus, ſed & Majores noſtri Apoſtolicæ Sedis Antiſtites, ita ratione probentur diſſeruiſſe latiſſima, ut nulli ulteriùs deberet eſſe ambiguum, fidem quoque nobis ipſam venire de gratiâ, ſuperſedendum duximus reſponſione multiplici &c. .... Quod etiam Fraternitatem tuam, habitâ collatione cum quibuſdam Sacerdotibus Galliarum, juxta fidem gaudemus ſenſiſſe catholicam: in his ſcilicet, in quibus uno, ſicut indicaſti, conſenſu definierunt, fidem, quâ in Chriſto credimus, gratiâ divinitatis præveniente conferri; adjicientes etiam, nihil eſſe prorſùs ſecundùm Deum boni, quod ſine Dei quis gratia, aut velle, aut incipere, aut operari, aut perficere poſſit .... Quapropter affectu congruo ſalutantes, ſupra ſcriptam confeſſionem veſtram conſentaneam catholicis Patrum regulis approbamus .... His itaque breviter aſſignatis, contra reliquas Pelagiani erroris ineptias, quas illa videtur epiſtola continere, quam a quodam tibi mandaſti Sacerdote tranſmiſſam, reſpondendum non duximus, quia ſperamus de miſericordia divina, quòd ita per miniſterium tuæ Fraternitatis, atque doctrinam, in omnium, quos diſſentire mandaſti, dignabitur cordibus operari, ut ex hoc omnem bonam voluntatem non ex ſe, ſed ex divina credant gratiâ proficiſci, cum ſe ſenſerint id jam vel-*

velle defendere, quod nitebantur pertinaciter impugnare &c. (apud Labb. Tom. 5. pag. 831.)

Epistolam hanc, non ad Arausicanam duntaxat Synodum, ut aliqui putant, sed ad Valentinam maximè referri liquet, tum ex testimonio Cypriani paulò ante laudato, tum ex nota temporis; jam enim celebrata erat Synodus Valentina, dum Pontificatum adeptus est Bonifacius; tum demùm ex petita ab Cæsario ejusdem confirmatione. Eccur enim Arausicanæ Synodi decreta, ab Apostolica Sede confirmari postulasset; cùm ab ipsa Apostolica Sede edita essent, eademque mandante, a Gallis Præsulibus in Arausicano Conventu subscripta?

Hunc exitum habuit Massiliensium in Augustini doctrinam celebris concertatio, quæ Galliam nostram centum, & ampliùs annos sollicitam habuit. Sancto Doctori non modò adjudicata lis est, verùm etiam ejusdemmet verbis in partem adversam decreta sententia, extremoque Apostolicæ authoritatis sigillo firmata. Qua de caussa subindè factum, ut proximè secutis sæculis, quibus *Augustini discipulos ubivis pessimè habitos semetipsos silentio damnasse*, (*Pag.* 106.) mentitur Launojus, (de aliis quippè subindè secutis non est hìc sermo) nemo eruditionis laude claruerit, qui Augustinum, summum prædestinationis, & gratiæ doctorem non suspexerit, coluerit, ac tantùm non adorarit: nemo Semipelagianis erroribus anathema non dixerit; ipsis Romanis Pontificibus, atque Conciliis exemplo prælucentibus.

Sic Joannes II. Romanus Pontifex Epistola ad Avienum, & Senatores, respondens tribus quæstionibus de Christo Deo, & homine, post laudata Scripturarum, & Concilii Nicæni testimonia, Augustini suffragium additurus, hoc illum elogio celebrat: *Item Sanctus Augustinus, cujus doctrinam, secundùm Prædecessorum meorum statuta, Romana sequitur, & servat Ecclesia.* (apud Labb. Tom. 5. pagina 897.) Quo oraculo non solùm Augustini doctrinam confirmat, sed quæ anteà retulimus Romanorum Pontificum de illius authoritate decreta, certissima esse declarat. Quid porrò ad Doctoris cujuspiam commendationem luculentius dici potest, quàm quod doctrinam ejus Romana sequatur, & servet Ecclesia, cæterarum nimirùm Ecclesiarum mater, atque magistra?

Sic Gregorius Pontifex cognomento Magnus, *lib. Regist.* 10. *Indict.* 3. *Epist.* 37. Innocentio Episcopo, ejusdem in Jobum Commentarios laudanti, ita respondet: *Si delicioso cupitis pabulo saginari, Beati Augustini patriotæ vestri Opuscula legite, & ad comparationem siliginis illius, nostrum furfurem non quæratis.* Cui persimile est, quod habet in *Præfatione Homiliarum* in Ezechielem, quas Marianus Episcopus sibi transmitti supplicaverat: *Tua itaque*

itaque dilectio has sibi ad legendum mitti poposcerat: sed valde incongruum credidi, ut aquam despicabilem haurires, quem constat de Beatorum Patrum Ambrosii, atque Augustini torrentibus profunda, atque perspicua fluenta assiduè bibere. Quàm autem firmiter Augustini de gratia, & prædestinatione principiis staret Gregorius; atque illis ipsis, quæ sub errore cubare contendit pseudotraditionis Consarcinator, liquet planè ex *libro* 11. *Moralium cap.* 9. ubi Jobi locum ita interpretatur: *Dicatur ergo*, si incluserit hominem, nullus est qui eripiat; *quia sicut nemo obsistit largitati vocantis, ita nullus obviat justitiæ relinquentis. Includere itaque Dei, est clausis non aperire ...... obdurare quippe per justitiam dicitur Deus, quando cor reprobum per gratiam non emollit.*

Sic Martinus I. Epistola 4. ad Ecclesiam Carthaginensem, Augustinianæ doctrinæ studium Carthaginensibus insitum laudat: *Vos meritò de sincero corde amplectimur, cùm maxime tanquàm perennes lucernas, confessionis vestræ characteres, nobis expresseritis, sive huic Apostolicæ Sedi, per Synodales Literas vestras, quos in nobis Spiritus sanctus informavit, per Ecclesiæ Catholicæ Oratorem, gloriosum nempè Augustinum. Quibusque cùm vos patrissare compererimus, & universum in vobis Doctoris decus in vestris piissimis dogmatibus efferre, atque exprimere, necessario his Beati Jeremiæ verbis vos omnes collaudamus &c.* (apud Labb. Tom. 7. pag. 14.) Ut quid porrò Augustinum *Ecclesiæ Catholicæ Oratorem* dicit; nisi quòd Ecclesiæ Catholicæ vox est, ejusdemque reddit oracula; in hunc ferè modum, quo solent Principum Oratores, eorum, quorum personam proximè referunt, effata loqui, mentemque publicè denunciare?

Sic Agatho Epistola ad Augustos, quæ extat Actione 4. sextæ Synodi œcumenicæ, Augustinum *Doctorem præstantissimum .... veritatis prudentissimum prædicatorem* appellat. (apud Labb. Tom. 7. pag. *667.*, & *671.*

Sic demum Hadrianus hujus nominis primus, Epistola in actis septimæ Synodi recensita, eundem *præcipuum* Ecclesiæ *Patrem*, *& optimum Doctorem*, honoris gratia nuncupat. (apud Labb. Tom. 8. pag. 755.) Quodque notandum magis, Augustini de prædestinatione doctrinam disertissimè tradit, tenendamque decernit Epistola 95. ad *Egilam*, & 97. ad Episcopos Hispaniæ: *Opera misericordiæ*, inquit, *ac justitiæ suæ præparavit Deus in æternitate incommutabilitatis suæ: & sicut operum suorum numquàm fuit ignarus, sic in eorumdem operum præparatione, numquàm improvidus. Præparavit ergo justificandis hominibus merita, præparavit eisdem glorificandis, & præmia: malis verò non præparavit voluntates malas, aut opera mala, sed præparavit eis justa, & æterna sup-*

na supplicia. Hæc est æterna prædestinatio futurorum operum Dei, quam sicut nobis Apostolicâ doctrinâ semper insinuari cognoscimus, sic etiam fiducialiter prædicamus .... Teneatur ergo prædestinationis veritas a fidelibus cunctis, quia quisquis divinum non credit in hac prædestinatione consilium, non perveniet ad gloriosum ejusdem prædestinationis effectum. Extant Epistolæ illæ Tomo 3. Scriptorum Historiæ Galliarum Francisci Duchesne, pag. 814. & 818. Editionis Parisiensis anni 1641.

Pari verborum honore Augustinum prosecutæ sunt sacræ Synodi, per idem tempus, sæculis nimirùm sexto, septimo, & octavo celebratæ.

Quinta Synodus œcumenica, hoc est Constantinopolitana II. Collatione 3. *Super hæc sequimur per omnia sanctos Patres, & Doctores Ecclesiæ, Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium Theologum, & Gregorium Nyssenum, Ambrosium, Augustinum, Theophilum, Joannem Constantinopolitanum, Cyrillum, Leonem, Proculum; & suscipimus omnia, quæ de recta fide, & condemnatione hæreticorum exposuerunt*. (apud Labb. Tom. *6*. pag. 41.) Augustini verò præ cæteris testimonia laudantur Collatione 5., & 8. non sine laudis præfatione.

Sexta Synodus œcumenica pari Hipponensem Episcopum veneratione excipit, Epistola initio posita, eum *omni sapientia clarum* appellans. (apud Labb. Tom. 7. pag. *6*25.)

Lateranensis sub Martino I. centum quinquaginta Episcoporum numero celebris, quintæ Synodo paulò ante laudatæ statutum, de Augustini, aliorumque Patrum scriptis, ad hæresum confutationem suscipiendis, exscribit, atque confirmat, Secretario, seu Collatione 5., ac ne Patres illi reprehendantur, expressè decernit: *Accusatores autem eorum meritò reprobavimus*. (apud Labb. Tomo 7. pag. 315.)

Concilium Toletanum VIII. his floribus, & corollis sanctissimum Præsulem ornat cap. 2. *Vir quoque Sanctissimus Augustinus, vestigationis acumine cautus, inveniendi arte præcipuus, asserendi copia profluus, eloquentiæ flore venustus, sapientiæ fructu fœcundus*. (apud Labb. Tom. 7. pag. 418.)

Toletanum XV. caussam gravissimam de tribus in Christo substantiis, totam ad Augustini *Doctoris egregii* calculos vocat; atque ex ejus unius judicio, sententiam pronunciat. (apud Labb. Tom. 8. pag. *9*.)

Francofordiense sub Hadriano I. Augustini sententias *lucidissimas, & catholicas* dicit. (apud Labb. Tom. *9*. pag. 84.)

Secundùm has Synodorum, atque Pontificum voces, Augustini doctrinam adversus Pelagianos, ac Semipelagianos, uti sacram Ecle-

clesiæ dotem exceperunt, quotquot ea ætate temporum floruere.

Eugippus Africanus Abbas, sancto Fulgentio familiaris, & Augustinianæ in Italia doctrinæ defensor, in *Præfatione Thesauri* ex sancti Augustini operibus deflorati: *Inter magnos*, inquit, *Ecclesiæ Catholicæ doctores, fuisse, & esse Beatum Augustinum quis ignorat Episcopum? Quem divina eruditione mirabilem, tum omnes Orthodoxi in toto terrarum orbe venerantur, præcipuè autem Apostolicæ Sedis Antistites scripta ejus sua authoritate firmantes, tanto majori studio simpliciter amplexi sunt, quanto ampliori solatio eis se usos esse testantur. Nam contra multos hostes Ecclesiæ dimicantes, & maxime contra versipelles inimicos gratiæ Dei, doctrina ejus instructi, vel potiùs eadem illustrati gratia, semper extitere victores.*

Julianus Pomerius natione Maurus, sancto Cæsario æqualis, quem etiam Arelate Rhetoricam docens auditorem habuit, *Lib.* 3. *de Vita contemplativa capite* 31: *Sanctus Augustinus Episcopus, acer ingenio, suavis eloquio, sæcularis literaturæ peritus, in Ecclesiasticis laboribus operosus, in quotidianis disputationibus clarus, in omni sua actione compositus, in expositione sua fidei nostræ catholicus, in quæstionibus absolvendis acutus, in revincendis hæreticis circumspectus, & in explicandis scripturis canonicis cautus.* Quibus ultimis verbis, Launoji, ac similium petulantiam coercet, qui Augustinum Divinæ gratiæ hostes incircunspectè revincentem, in extremos errores abjisse mentiuntur; eundemque incauta Epistolæ ad Romanos expositione, fidelium corda turbasse, calumniantur.

Primasius, non Uticensis in Provincia consulari Episcopus, & Augustini quondam discipulus, uti Tritemio visum est; sed Adrumetinus in Bisacena Provincia, & Sancti Doctoris studiosissimus, *in Commentariis in Epistolas* Divi Pauli, ad illa verba *capitis* 9. ad Romanos, *non ex operibus, sed ex vocante dictum est:* & ad illa; *misericordiam præstabo cui miserebor*, Augustinianæ de prædestinatione doctrinæ summam complectitur: Launoji, seu veriùs Pelagianorum, ac Massiliensium querelas, de læsa divina justitia, deque personarum acceptione, eruditissimè diluit. Tum ad illud Epistolæ ad Ephesios cap. 2. *Gratia estis salvati per fidem*, Semipelagianorum systema, de primæ vocationis gratia, deque initio fidei prolixè confutans, Prædestinationem, præscientiæ conjunctam docet, præscientiæ, inquam, eorum, *quæ in tempore dat Deus per gratiam suam.*

Venantius Fortunatus Pictavorum Episcopus, in Expositione Orationis Dominicæ, in Semipelagianos stylum convertens, ita de Augustino pronunciat: *Quicumque Apostolo Paulo, idest, oculo Eccle-*

Ecclesiæ, & cum Beato Augustino ejus sequace consonat, in eo ignorantiæ caligo non regnat.

Facundus Hermianensis lib. contra Motianum, Faustum Galliarum Episcopum datâ operâ insectatur, *qui in assertionem sui erroris inducebat incautos; qui tamen a sanctæ memoriæ Fulgentio Ruspensi* Episcopo *detectus, atque convictus est.* Tum *libro* 9. in nonnullos Launojo persimiles, qui Augustinum hæreseos insimulabant, ita invehitur: *Audeant isti, si possunt, hæreticum dicere* (Augustinum) *audeant solita præsumtione damnare. Et tunc verè discent, quæ sit pietas, & constantia Ecclesiæ Latinorum, quam Deus magisterio ejus instituit, atque firmavit: cùm ab omnibus confestim anathematizati fuerint, & tanquam putrida, & morbida membra præcisi.*

Cassiodorus lib. 1. Divinarum Literarum cap. 22. *Ipse etiam Doctor eximius; Beatissimus Augustinus, debellator hæreticorum, defensor fidelium, & famosorum palma certaminum, in quibusdam libris nimia difficultate reconditur; in quibusdam sic est planissimus, ut etiam parvulis probetur acceptus: cujus aperta suavia sunt, obscura verò magnis utilitatibus farcita pinguescunt.* Et Præfatione Commentariorum in Psalmos: *Augustinus literarum omnium Magister egregius, & quod in ubertate rarum est, cautissimus disputator. Decurrit quippe tanquam fons purissimus nulla fæce pollutus, sed in integritate fidei perseverans, nescit hæreticis dare, unde se possint aliqua colluctatione defendere. Totus catholicus, totus orthodoxus invenitur; & in Ecclesia Domini suavissimo nitore resplendens, superni luminis claritate radiatur.* Qua præclara sancti Doctoris commendatione, Launoji criminationes occupavit, sanctum Doctorem; ut incautum disputatorem traducentis, qui nimio in Pelagianos æstu effervescens, integritatem fidei violarit. Sed neque profuso duntaxat in Præsulem Hipponensem elogio, illius se discipulum probavit Cassiodorus, verùm etiam tenaci, atque constanti doctrinæ professione. Id ex ejus in *Psalmum* 50. *Commentariis* perspicuum est, ubi Semipelagianam hæresim, de gratuita ad fidem, & primam gratiam vocatione, confutat ex instituto; Augustinum autem, & Prosperum doctrinæ Magistros amplectitur. *Superest*, inquit, *eorum secunda nequitia: quoniam liberum arbitrium sic in humanis viribus ponunt; ut absque Dei gratia homines putent per seipsos bonum aliquod posse concipere, vel agere. Quod si ita esset, cur Propheta diceret: Deus meus, misericordia ejus præveniet me? Cùm te audis misericordiâ Domini præventum, nihil tuum præcessisse datur intelligi .... Cùm audiatis prævenire, ædificare, dirigere, & erigere Dominum, absolvere, & illuminare, nullis præcedentibus meritis; quid ibi proprium* cæ-

cœpisse cognoscitis, nisi illud tantum, unde pro vestra superbia justè damnemini? Sed dicitis forsitan, Prophetam Isaiam sic liberum arbitrium comprobare: si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Et iterum Ezechiel: facite vobis cor novum, & spiritum novum. Et iterum: hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. Sed hæc, & illis similia, pessima intentione sentitis; ut credatis homines a semetipsis bonæ voluntatis initium sumere, & post, adjutorium divinitatis accipere; ut (quod dici nefas est) nos simus caussa ejus beneficii, non ipse sui .... Sequitur vos alia multò pejor absurditas: Si a nobis esset bonæ voluntatis initium, nos magis poneremus fundamentum, ubi ædificaret Dominus, quod certè nulla potest mentis sanitas approbare. Quapropter desinite asserere, quæ non potestis implere. Illi obedienter audiunt, quos ipse facit audire; illi proficuè cupiunt, qui munus Divinitatis accipiunt. Nam post vitiatam humani generis naturam, liberi arbitrii salutiferam partem, & Dominus tribuit, & operationem ipsius sua pietate concedit. Hæc quidem latiùs Beatus Augustinus, hæc doctissimus Hieronymus, hæc Prosper consensu generalitatis divino munere docuerunt. Quin & ipsam vocationem ad gloriam planè gratuitam statuit in *Psalmum 64.* dictum regii Vatis exponens: *Beatus, quem elegisti, & assumsisti: Vide,* inquit, *quid ait, Elegisti: ut hanc electionem nemo suis meritis applicaret; sicut ipse in Evangelio dicit: non vos me elegistis, sed ego vos elegi.* Assumi, *est autem in æternam requiem collocari, quam Sanctis suis Dominus pius compromittit. Sed quid talibus contingit, ipse subsequitur: inhabitabit in tabernaculis tuis .... Ibi enim habitare, jam præmium est: quia nequeunt illuc introire, nisi quos cælestis misericordia dignatur eligere.*

Sanctus Isidorus Hispalensis, sæculi septimi (ut loquitur Concilium Toletanum VIII.) *Doctor egregius, Ecclesiæ catholicæ novissimum decus, præcedentibus ætate postremus, doctrinæ comparatione non infimus,* Augustinum, quem eleganti elogio celebrat *lib.6. Originum cap.8.* in hac bina de gratia, & prædestinatione sententia, Magistrum amplectitur, libro 2. Sententiarum capit. 5. *Si confessionem,* inquit, *boni operis non in nobis Deus operatur, cur per Prophetam dicitur,* confessio, & magnificentia opus ejus? *Ab illo enim nobis omnia bona, gratiâ præveniente, donantur. Nam nihil boni operis dedimus, per quod confessionem fidei mereamur.* Et *capite 6.* inscrutabile prædestinationis, & reprobationis arcanum, gratiæque efficaciam ab æterno Dei decreto petitam, hisce verbis planè Augustinianis edisserit: *Gemina est prædestinatio, sive electorum ad requiem, sive reproborum ad mortem. Utraque divino agitur judicio, ut semper electos superna, & interiora sequi*


qui

qui faciat; semperque reprobos, ut infimis, & exterioribus delectentur, deserendo permittat ...... Mira dispositio est supernæ distributionis, per quam hic justus ampliùs justificatur, impius ampliùs sordidatur. Malus aliquando ad bonum convertitur: bonus ad malum aliquando reflectitur. Vult quis esse bonus, & non valet: vult alter esse malus, & non permittitur interire. Datur ei, qui vult esse bonus: alius nec vult, nec datur ei, ut sit bonus. Iste nascitur in errore, & moritur: ille in bono, quo cœpit, usque in finem perseverat. Tandiu iste stat quousquè cadat; ille diu male vivendo, in fine salvatur, respectusque convertitur.

Sanctus Ildephonsus Beato Augustino contradicere nefas esse, pronunciat, *Sermone* 2. de Beata Virgine.

Claudet agmen, multis omissis, venerabilis Beda, Augustinianæ de gratia, & prædestinatione doctrinæ analysim complexus, eruditâ Expositione Paulinarum Epistolarum, *ex Opusculis Augustini collecta*: ubi exquisitissima Sancti Doctoris testimonia, ab Launojo in invidiam traducta, exscribit, ac sua facit. Neque verò id mirum, cùm Augustinum *omnium Doctorem eximium Ecclesiarum* vocet, *Libro de sex Ætatibus Mundi*.

Abeat igitur in malam rem Traditionis investigator, qui Augustini doctrinam, cadente Sæculo sexto, *fidelium in se odia concitasse* (*Pag.* 104.) comminiscitur: ejusdemque professores secutis proxime temporibus *pessimè habitos, ora, donec Gotteschalchus erumperet, compressisse*, pari inscitia, atque audacia fabulatur (*Pag.* 106.). Nunc quam fortunam, sæculo nono, girovagi Monachi occasione, sortita sit, perpendamus.



C A P U T XIV.

Gottescalchi caussa, dissidentibus invicem Galliæ Præsulibus, agitata Sæculo nono, Augustini nomen non modò non atterit, ut celebret potiùs.



Augustinum sub Gotteschalchi corio vapulasse, justamque damnationis sententiam subiisse, sæculo nono, Launoji decretum est. Id ut evincat, aut certè otiosis, & ignaris lectoribus venditet, miserum Monachum fidum Hipponensis Episcopi discipulum ponit, qui Magistri doctrinam (*Pag. 106. & 107.*) *puram, atque sinceram*, in Italia, Pannoniâ, Norvegiâ, atque Germaniâ prædicaret: tum illum a Rabano in Synodo Moguntinâ, ab Hincmaro in Synodo Carisiacâ, ac tandem ab Amolone Galliarum Primate damnatum refert; rei patronis, ac defensoribus frustrà reponentibus, nihil illum ab Augustini (*Pag. 111.*) sententiâ distare, unamque utriusque doctrinam esse, contendentibus.

Non hìc ego, ad repellendam Augustiniano nomini illatam injuriam, recentioris ævi scriptores clarissimos advocabo, qui Gottescalchum iniquè, aut certè per obreptionem, & ex facti errore damnatum, eruditis lucubrationibus demonstrarunt. Non ejus, quo tempore lis moveretur, patronos, ac defensores percensebo, numero, eruditione, ac sanctitate superiores; Sanctum Remigium Lugdunensem, Sanctum Prudentium Tricassinum, Florum Diaconum, Ratramum Corbejensem, Lupum Servatum Ferrariensem Abbatem, aliosque non paucos. Non Synodos in caussam ejus ingressas appellabo, Præsulum numero frequentiores, quæ latam in Gottescalchum Moguntiæ, & Carisiaci sententiam resciderunt; Valentinam nimirùm, ex tribus Provinciis Lugdunensi, Viennensi, & Arelatensi congregatam; Lingonensem, atque Tullensem ad Saponarias, duodecim Provinciarum Episcopis constantem, Carolo Calvo, ejusque Nepotibus Lothario, & Carolo Regibus assidentibus. Non demum Nicolai I. Romani Pontificis, quod cæteris præstat, judicium adferam, quo Valentini, ac Lingonensis Concilii Capitula confirmavit, teste sancto Prudentio in Annalibus, ab ipso Hincmaro laudatis *Epistolâ* 24. ad Egilonem: *Nicolaus Papa Pontifex Romanus, de gratia Dei, & libero arbitrio, de veritate geminæ prædestinationis, & de Sanguine Christi, ut pro credentibus omnibus fusus sit, fideliter confirmat, & catholicè decernit:* quod

quod idem in *Annalibus* Bertinianis ad annum 859. legere est. Quibus omnibus planum fieret, Augustini nomen, si quid fortè in Gottescalchi damnatione detrimenti tulisset, multo fœnore, majorique gloriæ cumulo, contrariâ sententiâ resartum esse.

Id unum refellendo Launojo reponere juvat; Ecclesiam Gallicanam, in partes licet discissam occasione Gottescalchi, aliis scilicet adfaventibus, aliis repugnantibus, in Augustini tamen doctrinam conjunctis animis conspirasse, eundemque motæ tunc de divinâ gratiâ controversiæ arbitrum suspexisse. Cùm enim ancipites essent Gotteschalchi assertiones, variisque sensibus obnoxiæ; possentque perinde vel minimo flexu, in Prædestinatianorum blasphemias detorqueri, vel in Augustini sententiam revocari; infelicem Monachum alii damnabant ut hæreticum, alii ut catholicum absolvebant, prout quisque versatilium propositionum sensum figeret: cùm tamen omnes ad unum, quique Gottescalchum judicio persequebantur, Augustini sensum nulli censuræ obnoxium faterentur; reumque absolvendum omninò dicerent, si semotis strophis, atque ambagibus, cum summo divinæ gratiæ Doctore sentiret. Tantùm igitur abest, ut agitata sæculo nono miseri Monachi caussa Augustinianæ doctrinæ labem insusserit, ut potiùs decus attulerit. Quandoquidem Ecclesia Gallicana contrariis studiis agitata, in hoc unum conspiravit universa, ut Augustinus summus divinæ gratiæ controversiarum arbiter haberetur, nullique censuræ censeretur obnoxius, qui doctrinam ejus puram, castamque profiteretur.

Hoc igitur opus, hic labor est, ut rem ita gestam, eoque affectos ánimo Galliæ Præsules, cæterosque in Gotteschalchi caussam ingressos, in præsentiâ demonstremus. Et quidem, cum Augustino planè sensisse, ejusdemque authoritatem in cœlum usque extulisse, quotquot Gottescalcho patrocinabantur, fatetur ultrò Launojus: patet namque res ipsa per sese. Quid enim hoc sancti Prudentii Tricassini monito luculentius, in *Epistola* ad Hincmarum, & Pardulum data? *Hoc primùm præcipueque moneo, & postulo, ut doctrinam Beatissimi Patris Augustini, omnium absque ulla dubitatione undecumque doctissimi, sanctarum scripturarum authoritati in omnibus concordissimam, (quippe nullus Doctorum abstrusa earum scrupulosiùs rimatus sit, diligentiùs exquisierit, veriùs invenerit, veraciùs protulerit, luculentiùs enodaverit, fideliùs tenuerit, robustiùs defenderit, effusiùs disseminaverit) vestri Pontificatus tempore, commento quolibet impugnari non permittatis: quando tanto cœlestis gratiæ munere donata existit, ut nullo cujusquam conamine ullatenus evelli possit: cùm eam, & Apostolicæ Sedis sublimitas, & totius Ecclesiæ catholicæ unitas, authoritate concordissimâ approbarint, ac roborarint; adeò ut nullus ei singulariter, verùm uni-*

universitati Ecclesiæ catholicæ, cum ea, & in ea queat anniti. Quid hac etiam sancti Remigii Lugdunensis Archiepiscopi observatione disertius, *Libro* de tenendâ immobiliter Scripturæ sanctæ veritate, & Sanctorum Orthodoxorum Patrum authoritate fideliter sectanda *cap.* 4. *De Beati Augustini Libris, & scriptis, in quibus ex necessitate novæ, idest Pelagianæ hæresis destruendæ, & fidei catholicæ defendendæ, instantissimâ intentione, de naturâ, & gratiâ, de gratiâ, & libero arbitrio, de correptione, & gratiâ, de prædestinatione Sanctorum, & dono perseverantiæ, ac de Baptismo parvulorum, juxta profunditatem Scripturæ sanctæ, & Evangelicæ, atque Apostolicæ doctrinæ regulam multipliciter disputavit, adhùc ipso vivente, sicut Prosper, & Hilarius ad eundem scribunt, & multò magis post obitum ejus, propter obscuritatem rerum, & tarditatem minùs intelligentium, multiplex querela, maximè intra Gallias exorta est. Sed continuò per divinæ misericordiæ providentiam, & Conciliis, ac statutis Beatissimorum Patrum, & Decretis, atque authoritate Apostolicæ Sedis Pontificum solertissimè sedata, atque sanata, ita ut stultis, & indisciplinatis quæstionibus silentium imponeretur, & sanctissimi, ac sincerissimi Doctoris authoritas, in omnibus Ecclesiis, atque in ipsa Sede Apostolicâ confirmaretur.* Quod ubi Cœlestini Romani Pontificis Epistolis demonstravit, ita demum colligit: *Hunc igitur Beatissimum, & fidelissimum Patrem, semper in communione Sedis Apostolicæ habitum, & ab ejus etiam Pontificibus, inter Magistros fidei doctrinæ venerabiliter receptum, & ab ipsis tam clarè, & honorificè, contra obtrectantes, & obloquentes defensum; ita ut imposito improbis silentio, omnem de eo mussitationem comprimendam, ac repellendam decernerent; etiam nos tota fidei devotione honoremus, toto studio, & intentione pietatis sequamur .... Omninò absit .... ut abjiciamus clarissimæ veritatis dogmata, quæ in verissimis, & probatissimis Libris ejus, non sòlùm in cæteris mundi partibus, sed etiam in ipsa Sede Apostolicâ, omnis catholica suscipit, & servat Ecclesia.* Ita Remigius unà cum celebri Ecclesiâ Lugdunensi: cui per omnia concinunt Lupus Servatus *Quæstione 2. de Prædestinatione*, Florus Diaconus, & Lugdunensis Ecclesiæ Theologus, Ratramus Corbejensis, in adornatis de divinâ prædestinatione eruditis Opusculis.

In eos itaque tota recidit difficultas, qui in Gottescalchum sententiam tulere, Rabanum nimirùm, Amolonem, & Hincmarum; num ii perinde, summâ in Augustinum, ejusque doctrinam religione tenerentur: quippe illos de industriâ, atque ex animo, Augustinum per Gottescalchi latus petiisse, Præsulisque doctrinam rectè perceptam in Monacho condemnasse, contendit audacissimus Crimi-

minator. Verùm illos quoque, in Augustinum ejusque doctrinam bene affectos fuisse, nec aliâ de caussâ in miserum Monachum pronunciasse, quàm quòd illum a sancto Doctore toto ostio aberrasse crederent, certò liquet, ac brevi recensione demonstro.

Rabanus Archiepiscopus Moguntinus, a quo primùm damnatus est Gotteschalchus, in suæ Provinciæ Conventu, Epistolâ ad Heberardum Comitem datâ, sanctissimum gratiæ Defensorem, ab infelici Monacho laudari, in suæ doctrinæ præsidium, molestè fert; quòd ab ejus erroribus procul abesset clarissimus Doctor: *Dicitur enim ipse doctor vester* (Rabani verba sunt) *multa testimonia excerpsisse de Opusculis Beatissimi, & doctissimi Patris Augustini, quibus nititur suam sententiam affirmare: cùm memoratus Pater, & Doctor Catholicus, contra Pelagianos scribens, qui gratiæ Dei contrarii prædicatores fuerunt, defensor ejusdem gratiæ, non destructor rectæ fidei fuerit.* Eodem affectum animo conjicere licet Haymonem Halberstatensem, qui unà cum Rabano damnationis sententiam tulit, in Synodo Moguntinâ. Adornatis enim in Epistolas Divi Pauli eruditissimis Commentariis, Augustinum in exponendo prædestinationis mysterio Magistrum amplectitur, cæterisque Ecclesiæ Doctoribus anteponit: *Secundùm Beatum Augustinum*, inquit in 2. *Epistolam* ad Corinthios *cap.* 12. *adhuc necesse est ad altiora conscendere, & profundiora scrutari, qui in elucidandis quæstionibus, omnes Doctores* post Apostolos præcellit.

Amolo Archiepiscopus Lugdunensis, Gotteschalchi impugnatorum alter, Epistolâ eidem ipsi inscriptâ, id illi vitio vertit, quòd Augustini testimoniis perperam intellectis abuteretur: *Tertio loco displicet valdè nobis, quia, & divinarum Scripturarum testimoniis, & sincerissimis sanctorum Patrum dictis, tam perversè abuteris; ut hæc omnia, quæ manifestissimè adversùs divinam veritatem, & paternam fidem disputas, ex illis non rectè intellectis, multipliciter affirmare contendas.* Nemini verò dubium est, Augustinum præ cæteris, a Gottescalcho laudari solitum fuisse. Tum subindè recensitis Novatoris erroribus, *Obsecro*, inquit, *ubi hæc unquam in Scripturis sacris legisti? Ubi in sanctis, & Catholicis Ecclesiæ Doctoribus invenisti?* Adeò scilicèt Amoloni perspectum erat, nihil ejusmodi quidquam in Augustino reperiri. Ac tandem sub Epistolæ finem, Arausicanæ Synodi Canones, quos ex Augustino delibatos nemo nescit, Gottescalcho ingerit, ut certas de gratia, & prædestinatione fidei regulas: *Ad extremum*, inquit, *breviter tuæ intimo charitati, gestum esse intra Gallias*, (aberrat in notâ temporis) *temporibus penè Beati Papæ Leonis, sive Agapiti, Concilium venerabile, & Ecclesiæ Dei valdè utile, a pluribus Episcopis, quibus præfuit admirandæ sanctitatis, & virtutum*

ac

ac miraculorum, Beatus Cæsarius Arelatensis Episcopus : ubi diligenter de gratiâ Dei, & libero hominis arbitrio, de præscientia, & prædestinatione divina, constat esse definitum, qualiter moderatissimâ, & perpensissimâ ratione, sentiendum, tenendum, & docendum sit.

Idem ille Lugdunensium Archipræsul, *Opusculo 2. de gratia, & libero arbitrio*, non ita pridem a Sirmondo in lucem edito, Augustinum Gottescalcho eripit, summumque post Apostolos Prædestinationis, & gratiæ Magistrum veneratur : *Neque contrarium*, inquit, *putari debet, quod in dictis Sancti Augustini, forsitan, & aliorum Catbolicorum Doctorum, aliquoties inveniri solet, impios quoque ad æternam damnationem, sive ad æternum interitum prædestinatos .... Sed jam audiamus Beatum Augustinum, quomodo & ipse, post Apostolum præcipuus prædestinationis, & gratiæ prædicator, bortetur fideles ad studia pietatis, & instantiam orationis, ut mereantur accipere præmium vocationis.*

Quid plura? Augustinianarum Sententiarum excerptum, singulari Opusculo collegit Amolo, ex iis maximè libris, quos refertos erroribus Launojus obtendit; ut quid de controversiis tunc temporis agitatis senserit, ac docuerit Sanctissimus Doctor, hujus unius verbis patefaceret, ac tanquam certam fidei professionem lectoribus exhiberet. In cujus idcircò Opusculi Præfatione, ita fideles ad Augustinianæ doctrinæ, cujus summam exhibet, studium adhortatur : *Legat*, inquit, *fidelis quisque fideliter subnexas Beati Augustini sententias, quas ex libris ejus studiosè collectas, & eodem Domino adjuvante salubriter ordinatas, in boc libello avidè carpendas, ac dulciter proponimus ruminandas, ut devotus, & simplex lector, ne magnis, & multiplicibus prædicti Patris disputationibus fatigetur, vel etiam profunditate, ac perplexitate tantarum quæstionum deterreatur, aut perturbetur, brevi compendio discat, unde fidem suam fideliter ædificet, & actionem salubriter informet ..... Audiamus itaque fideliter, & diligentissimè discamus, in bis brevissimis, & suavissimis Beatissimi Patris dictis, videlicet quid sentiendum, & tenendum sit, juxta certissimam fidei Catbolicæ regulam, de originali delicto ex Adam in omne bumanum genus transfuso; de libero arbitrio in Adam vitiato, & per Christum sanando; de gratia Dei, quâ genus salvatur bumanum, de modo justitiæ fidelium in bac vitâ, de utilitate correptionis, & exhortationis, de prædestinatione, electione, & vocatione Sanctorum, de dono perseverantiæ usque in finem, quo pervenitur ad bonum, quod non babet finem.* Hæc Amolo, Gottescalchi oppugnatorum, ac damnatorum unus, dignitate, atque authoritate præcipuus. Et hic verò Augustini authoritatem nihili fecisse, eundem-

demque consultò in Gottescalcho damnasse putandus erit? Dicat Launojus, si potis est.

Hincmarus ipse, qui acriùs præ cæteris in Gottescalchum efferbuit, ejusque defensores mordacioribus scriptis insectatus est, Augustini authoritatem nihilofeciùs agnovit, eumque pendentis controversiæ judicem veneratus est: nec ob aliud miserum Monachum inclementiùs habuit, quàm quòd versatiles, ac translatitias assertiones ejus, mitiorem in sensum a cæteris accipi solitas, in blasphemam, atque ab Augustino exorbitantem significationem inflecteret; integram reo indulgentiam concessurus, si bona fide ad sanctissimi Doctoris sententiam accederet. Videas id toto passim Opere de Prædestinatione, quod integrum extat. Augustini Libros eo de argumento, ac de dono perseverantiæ, miris laudibus effert, iisque per omnia standum decernit; quòd cæteris omnibus majori cura, ac diligentia concinnati sint. Quin etiam *Fidem Orthodoxorum de Prædestinatione Sanctorum*, (*de præd. c.* 17. *&* 18.) hac Augustini sententia contineri ait: *Hæc est immobilis veritas prædestinationis, & gratiæ*, velut Apostolus ait: Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, *prædestinans, nos in adoptionem filiorum, non quia per nos sancti, & immaculati futuri essemus, sed elegit, prædestinavitque ut essemus. Fecit autem hoc secundùm placitum voluntatis suæ, ut nemo de sua, sed de illius erga se voluntate glorietur. Fecit hoc secundùm divitias gloriæ suæ, secundùm bonam voluntatem suam, quam proposuit in dilecto filio suo, in quo sortem consecuti sumus, prædestinati secundùm propositum, non nostrum, sed ejus, qui universa operatur, usque adeo, ut ipse in nobis operetur, & velle. Operatur autem secundùm consilium voluntatis suæ, ut simus in laudem gloriæ ejus*. Quibus nihil luculentiùs, ad gratuitæ prædestinationis, gratiæque se ipsa victricis commendationem, desiderari a quoquam potest.

Non absimiliter Epistola Gottescalcho data, quo tempore carcere teneretur, ut illum ad meliorem frugem revocaret, sanctorum Patrum, ac præsertim Augustini, & Prosperi testimonia congerit longè multa, ut mystèrium illi prædestinationis, & reprobationis aperiat, atque ut illi subscribat, vehementer hortatur.

Quid tandem? Ut cœpit ad exitum vergere Gottescalchus, fidei formulam, Prædestinatianorum erroribus contrariam submisit Hincmarus, eumque obtestatus est, ut sincera subscriptione pravas opiniones ejuraret; communione alioquin etiam in obitu, & sepultura Ecclesiastica post obitum privandus, ni prono animo morem gereret. Inter cætera porro, quæ postrema illa fidei professione amplectenda, atque credenda ingerebat eruditissimus Archipræsul, primum istud erat: *Sic crede de prædestinatione a Deo* ele-

electorum, & relictione reproborum : & quia Deus vult omnes homines salvos fieri, licet non omnes salventur ; ut qui salvantur, salvantis sit donum ; & qui pereunt, pereuntium sit meritum. Et quia Deus & Dominus noster Jesus Christus pro omnibus passus sit, cujus sanguis totius mundi est pretium, a quo extranei sunt, qui aut delectati captivitate redimi noluerunt, aut post redemtionem peccando, & in peccatis corde impœnitente perseverando, ad eandem sunt servitutem reversi. Et de gratia, & libero arbitrio, sicut Sanctus Augustinus docet in his Libris suis, idest de correptione, & gratia, de prædestinatione Sanctorum, de dono perseverantiæ &c. Quia Sedes Apostolica, & Sancta Ecclesia Catholica, & nos sic credimus, & tenemus. Ita refert Hincmarus ipse Libro *de non trina Deitate*.

Et erit modò, qui dicat Remensem Archipræsulem, Augustini authoritatem despexisse, gratuitamque prædestinationem, gratiamque se ipsa victricem, de industria, atque ex certa sententia in Gotescalcho damnasse? Non dicet profectò Launojus, si frontem habet. Mihi quidem nec libet nec lubet investigare, num is in Gotescalcho exagitando humani quidpiam passus sit ; num occultas cum illius patronis, ac defensoribus gesserit simultates ; num ejus propositionum sensum minùs attigerit, aut certè minùs attingere simularit, ut illum per recti speciem Ecclesiastico judicio persequeretur. Imò rectam-ne Augustini intelligentiam assecutus sit, non expendo. Id mihi satis ad institutum superque fuerit ostendisse, Hincmarum, quique illi in urgenda lite Præsules aderant, Augustini sententiam catholicæ fidei tesseram posuisse, ab Apostolica Sede, totaque Ecclesia catholica constitutam. Hoc uno semel posito, ac demonstrato, tota Launojus formula cadit.



C A.

CAPUT XV.

Augustini Doctrina, post judicatam Gottescalchi caussam, summo in Ecclesia cultu excepta est, ad Sæculum usque decimum quartum; Vvitkleffo, aliisque novatoribus opposita.



Istoricam narrationem, seu veriùs fabularum congeriem prosequitur Traditionis investigator, brevique pagellæ quingentorum annorum spatium decurrit; a damnato scilicet Gottescalcho, ad Joannem Vvitkleffum, alterum, si penes illum fides est, Augustini discipulum. Qua fiducia gratiæ Doctorem per Gottescalchi latus petitum effutierat superiori capite, (*Pag.* 113. & 114.) eadem planè discipulos ejus, malè mulctato Magistro, ne mutire quidem, ac mussitare ausos, trecentorum annorum spatio, in præsentia comminiscitur: *neminemque inventum* ait, *toto illo temporis tractu, qui puram, atque sinceram doctrinam ejus in scholas inveheret; donec duodecimo, ac decimo tertio sæculo audaciores nonnulli suborti sint, qui liberum arbitrium nullum esse dicerent, humanamque voluntatem necessitate duci prædicarent.* Nempè putidissimos errores, certam Augustini doctrinam pro more dictitat. (*Pag.* 115.) Tum ad Vvitkleffum accedens, *cujus horridas blasphemias nihil ab Augustini dogmatibus distare* pro certo habet, hunc in Concilio Constantiensi damnatum observat, *tametsi Hipponensis Episcopi nomen usurparet, hujusque se clientem, atque discipulum profiteretur.*

Totum id insulsitatis, & calumniæ plenum nullo negotio revincitur. Quod primum attinet, Augustinianos annis a damnato Gottesalcho trecentos, ne mutire quidem ausos, quòd Magistrum in Monacho damnatum certò scirent, ex parte jam confutavimus; qui sartam, tectamque, imò triumphantem in Gottescalchi caussa Augustini doctrinam, superiori capite demonstravimus, nullamque idcircò servandi silentii caussam ostendimus. Sed & quod illis affingitur trecentorum annorum silentium, perinde a vero abest. Equidem toto sæculo decimo, Gottescalchi scenam proximè secuto, ac etiam undecimo ineunte, neminem, quod sciam, reperire est, qui Augustini doctrinam publica scriptione, ac data opera propugnarit. At istud negantis argumenti genus lubricum est: namque neminem vicissim invenire licet, qui eam vel obiter, atque aliud agendo, vellicarit. Id ergo non sinistræ, quæ eruditorum animis insideret,

fideret, de Augustini dogmatibus opinioni tribuendum; sed uni temporum conditioni, quæ nullam ventilandarum de gratia, & prædestinatione quæstionum præbuerit occasionem, adscribendum esse, inde maximè liquet; quòd maximæ apud eruditos, ipsosque summos Pontifices æstimationis esset ea ætate temporum Augustinus, ejusque doctrina solenni Ecclesiæ judicio probata, ac veluti consecrata censeretur. Hinc Remigius Antisiodorensis in *Commentariis* Paulinarum Epistolarum, quos illi Codices MSS. Romani, Cassinenses, & Regii tribuunt, ad 2. *Epistolam* ad Corinthios: *Beatus Augustinus*, inquit, *rerum obscurarum subtilissimus indagator, inter ardua sine offensione decurrens. Alii Doctores comparantur stellis, Augustinus Soli: nam sicut stellæ lumen a Sole recipiunt, sic omnes Doctores lumen recipiunt ab Augustino*. Hermannus Contractus in *Chronico* ad annum 430. *Sanctus Augustinus Hipponensis Episcopus, Ecclesiæ Christi, & Catholicæ fidei propugnator, & defensor invictissimus*. Leo IX. *Epistola* 1. ad Michaelem Patriarcham Constantinopolitanum: *Beatus, & Catholicus Doctor Augustinus, in Latinaque Ecclesiâ clarissimus*. (apud Labbæum Tom. 11. pag. 1332.) Gregorius VII. in Decr. ad capit. *6*. Gelasii Romani Pontificis, Sanctorum Patrum scripta recognoscentis, ac probantis Decretum commendat, quo videlicet Augustinus inter eos Ecclesiæ Magistros percenseretur, *qui nec in fide, nec in prædicatione a Sanctâ Romanâ Ecclesiâ deviarunt*. Et in Apologetico pro Decretis, illustre Cœlestini I. de Augustino elogium ex integro refert, suoque calculo probat. *Vir omnium virtutum*, inquit, *Augustinus, Hipponensis Episcopus, quem & Cœlestinus vir Apostolicus in Decretis suis ita nobis commendat: Augustinum*, inquit, *sanctæ recordationis virum &c*. (apud Labb. Tom. 12. pag. 554.) Bertoldus Constantiensis ad Rhenum Presbyter, Gregorii VII. adversus Schismaticos defensor egregius, *Libro de vitanda excommunicatorum societate: Nos*, inquit, *absque scrupulo Sancti Augustini egregii Doctoris assertioni acquiescere debemus, quem, & Romani Pontifices, juxta attestationem Sancti Cœlestini Papæ, inter Magistros optimos, cùm viveret, habuere: cujus & Opuscula post mortem ejus pro authenticis suscipienda Synodali judicio decrevere*. Ita illorum temporum Romæ Pontifices, ita Præsules, ita Scriptores insignes de Augustino, ejusque doctrina, magnificè sentiebant. Quis ergo non videat, eam illos citra dubium amplexuros, probaturos, tradituros, si de divinâ gratiâ, & prædestinatione disputandi occasio data esset?

Hæc omnium primo Anselmo se obtulit, Cantuariensi Archiepiscopo, qui Libros integros *de libero arbitrio*, ac *de concordiâ præscientiæ, prædestinationis, & gratiæ cum libero arbitrio* concinnavit,

navit, cadente sæculo undecimo, & duodecimo ineunte. Is autem in omnibus, ac per omnia Augustinianus est: ut hinc Launoji figmentum, de Augustini discipulis, per annos a Gottescalcho damnato trecentos mutire non ausis, magis probes. An non enim Augustiniana vox illa est, *Libro de concordia capite* 3. *Quamvis non omnibus det* (gratiam) quoniam cui vult miseretur, & quem vult, indurat: *nulli tamen dat pro aliquo præcedenti merito, quoniam quis prior Deo dedit, & retribuetur ei? Si autem voluntas per liberum servando arbitrium quod accepit; meretur aut augmentum acceptæ justitiæ, aut etiam potestatem pro bona voluntate, aut præmium aliquod. Hæc omnia fructus sunt primæ gratiæ, & gratia pro gratia, & ideo totum imputandum est gratiæ, quia neque volentis est quòd vult: neque currentis est, quòd currit, sed miserentis est Dei. Omnibus enim, excepto solo Deo, dicitur: Quid habes, quod non accepisti? Quid gloriaris quasi non acceperis?* Annon, & illud Augustinianum, quod habet *capite* 1. ubi falli nescium divinæ præscientiæ lumen, ejusdemque cum humanâ libertate concordiam repetit ex summa, quam Deus obtinet in omnes homines, potestate, supremoque in eorum voluntates imperio? Quod certè nuspiam nisi in hypothesi gratiæ se ipsa victricis accidere potest: *Quoniam enim Deus, quod vult,* D. Anselmi verba sunt, *non potest non esse: cùm vult hominis voluntatem nulla cogi, vel prohiberi necessitate ad volendum, vel ad non volendum, & vult effectum sequi voluntatem, tunc necesse est voluntatem esse liberam, & esse, quod vult.*

Hunc non longo secutus est intervallo D. Bernardus, annis a Gottescalcho damnato trecentis nondùm elapsis, in has de divinâ gratiâ controversias ingressus, edito singulari tractatu de gratiâ, & libero arbitrio. Quam indivulse hæserit Augustino, disertè significavit *Epistola* 77. seu *Tractatu* ad Hugonem Victorinum *cap.* 2. *Ab iis duabus columnis, Augustinum loquor, & Ambrosium, crede mihi, difficile avellor. Cum iis me, aut errare, aut sapere fateor.* Ecquo verò pacto ab Augustino avelli se passus esset, quem uti Ecclesiæ catholicæ linguam venerabatur? *Sermone* de sancto Stephano: *Recolitis quid illa Ecclesiæ lingua, Augustinum loquor, de hoc Martyre senserit.* Nuspiam autem Magistro tenaciùs hæsit mellifluus Doctor, quàm in agitatis ex instituto de divinâ gratiâ controversiis. Quod ne prolixa locorum recensione planum faciam, eo me levavit onere Ranutius Higatus Monachus Cisterciensis, eximio opere, cui titulum fecit: *Divi Bernardi Tractatus de gratia, & libero arbitrio Commentariis illustratus, Sancto Augustino primario Ecclesiæ christianæ propugnatori consonus demonstratus, atque a filiorum alienorum depravationibus vindicatus.* Nonnulla tamen

tamen ad promulsidem dabo, ex *capite* ultimo; ubi nonnullis Apostoli oraculis recensitis, ad gratiæ efficaciam demonstrandam, ita demum colligit Sanctissimus Abbas: *Verba sunt non mea, sed Apostoli, qui omne, quod boni esse potest, id est, cogitare, & velle, & perficere pro bona voluntate, attribuit Deo, non suo arbitrio. Si ergo Deus tria hæc, hoc est, bonum cogitare, velle, perficere, operatur in nobis: primum profectò sine nobis; secundum, nobiscum, tertium, per nos facit. Siquidem immittendo bonam cogitationem, nos prævenit; immutando etiam malam voluntatem, sibi per consensum jungit: ministrando, & consensui facultatem, foris per apertum opus nostrum internus opifex innotescit......... Ipsa (Gratia) liberum excitat arbitrium, cum seminat cogitatum; sanat, cùm immutat affectum; roborat, ut perducat ad actum; servat, ne sentiat defectum. Sic autem ista cum libero arbitrio operatur, ut tantùm illud in primo præveniat, in cæteris comitetur; ad hoc utique præveniens, ut jam sibi deinceps cooperetur. Ita tamen quod a solâ gratiâ cœptum est, pariter ab utroque perficitur: ut mixtim, non sigillatim; simul, non vicissim, per singulos profectus operentur. Non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere individuo peragunt. Totum quidem hoc, & totum illa, sed ut totum in illo, sic totum ex illa... Dei promissum (Apostolus) suum appellat depositum, & quia credidit promittenti, fidenter promissum repetit. Promissum quidem ex misericordiâ, sed jam ex justitiâ persolvendum. Est ergo, quam Paulus expectat, corona justitiæ, sed justitiæ Dei, non suæ. Justum quippè est, ut reddat, quod debet: debet autem, quod pollicitus est .... Cujus tamen suæ justitiæ ipsum Deus voluit habere consortem, ut & coronæ faceret promeritorem. In eo enim sibi justitiæ consortem, & coronæ statuit promeritorem, cùm operum, quibus erat illa repromissa corona, habere dignatus est coadjutorem. Porrò coadjutorem fecit, cùm fecit volentem, hoc est, suæ voluntati consentientem. Itaque voluntas in auxilium, auxilium reputatur in meritum. Si ergo à Deo voluntas est; & meritum. Nec dubium quin a Deo sit, & velle, & perficere pro bona voluntate. Deus igitur author est meriti, qui & voluntatem applicat operi, & opus explicat voluntati. Alioquin si propriè appellentur ea, quæ dicimus nostra merita; spei quædam sunt seminaria, charitatis incentiva, occultæ prædestinationis indicia, futuræ felicitatis præsagia, via regni, non caussa regnandi.* Hæc ibi. De *prædestinatione* verò disserens *Sermone* 4. de verbis Isaiæ, hanc solius divinæ gratiæ opus esse docet. Illud quippe ad Romanos 8. recolens, quos præscivit, & prædestinavit ..... hæc habet: *Initium meum solius gratiæ est, & non habeo quid mihi in prædestinatione attribuam,*

sive

sive vocatione. Non sic sanè ab opere justificationis alienus sum: operatur, & illud gratia, sed planè mecum .... Consummatio quidem & ipsa solius gratiæ est, nec est mihi in hac parte, vel cum ea, sive in ea gloriari, quasi coadjutor videar, aut cooperator .... In quorum electorum numero indignos nos servos nominis sui ipsa, de qua locuti sumus, constituere dignetur misericordia, quæ ab æterno est, & usque in æternum super electos, in medio quidem aliquatenùs ostendens liberum arbitrium, meriti gratia; principium verò, & finem omninò soli vindicans sibi. Quas omnes mellifluі Patris loquendi formulas, erroris notavit in Augustino audacissimus Censor.

Bernardo coævus, ac familiaris Hugo Victorinus pari Augustinum veneratione coluit, pari religione sectatus est; ac tanta nominis fama, ut *alter Augustinus*, si Tritemio fidem damus, ætate sua sit appellatus. Suam in sectando Magistro fidem testatur *Sermone 99.* cæterosque ut idem præstent, adhortatur: *Lingua ejus* Augustini *calamus scribæ velociter scribentis extitit: quia Spiritu sancto docente, ac ducente, verbum Dei elegantissimè dispensavit. Unde, & de ipso in hac ejus solemnitate canimus: quod Prophetarum, & Apostolorum plenus spiritu, quæ prædixerunt mystica, fecit nobis pervia, post quos secunda dispensandi verbi Dei primus refulsit gratia .... Non solum autem quæ in regula ejus continentur, verùm et cætera, quæ Sacram Scripturam exponendo, tractando, exhortando scripsit, credendo, amando, operando teneamus, ut superna præmia consequamur.* Nec satis suam in Augustinum religionem testari fuit; exolvit planè, atque tum maximè, ubi de prædestinatione, & gratia disputavit. In Summa Sententiarum, *Tractatu* 1. *capite* 12. *Cùm prædestinatio divina sit electio, juxtà illud Apostoli, quos elegit ante mundi constitutionem: solet quæri, quare hunc elegerit Deus, magis quàm illum, ut de Jacob, et Esau? Quidam dicunt, hunc elegit, quia talem futurum eum esse præscivit, qui in eum crederet, et serviret ei. Sed hoc Augustinus retractat in Libro Retractationum, planè ostendens, quod si propter opera futura electus esset, jam non ex gratiâ electio esset*: Si enim ex operibus, *ut ait Apostolus*, jam non est gratia. Idem in *Libro de prædestinatione. Non quia futuros tales nos esse præscivit, ideo elegit; sed ut essemus tales, per ipsam electionem gratiæ suæ, qua gratificavit nos in dilecto filio suo.* Et in *Annotationibus elucidatoriis Quæstionum* circa Epistolam D. Pauli ad Romanos, *Quæstione* 235. *Quæritur autem, quare potiùs elegerit Jacob, quam Esau? Similiter de quolibet electo, & reprobo idem potest quæri. Non enim potest dici, quod propter futura merita bona, vel mala, alter sit electus, & alter*

alter reprobatus : sic enim, quod est temporale, caussa esset ejus, quod est æternum. Item si dicatur, quod Jacob solâ gratiâ sit electus, Esau propter originale peccatum sit reprobatus ; quæritur, quare propter idem peccatum Jacob non sit reprobatus, vel quare Esau ex eadem gratiâ non sit electus? Solutio ; si tamen solutio debeat dici ; ostendere aliquid esse insolubile. Dicunt sic factum esse; quia Deus voluit fieri : Si autem quæratur, quare sic voluit? stulta est quæstio ; quia divinæ voluntatis quæritur caussa, cujus nulla est; imò ipsa omnium est caussa prima, & principalis. Sed Beatus Hieronymus dicit, quod Deus nihil fecit quia vult, sed quia ratio est sic fieri. Ideoque non incongruè potest sic quæri: cur hoc voluerit, & responderi : quia judicia Dei abyssus multa. Possumus tamen dicere, salvâ secretorum reverentiâ, & absque supercilio assertionis ; quod ideo potiùs elegit Jacob, quàm Esau, quia præscivit majorem utilitatem provenire bono universitatis, ex electione Jacob, quàm Esau. Quodnam autem sit illud majus communitatis bonum, exponit *quæstione* proximè sequenti : *Sed iterum quæritur, cur major utilitas provenit ex electione Jacob, quàm Esau? Solutio : quia magis commendatur gratia ex electione Jacob, quàm Esau. Item quæritur, quare magis commendatur ex electione Jacob, quam Esau? Solutio : quia minor erat natu; si enim major natu eligeretur, videretur, quòd privilegio nativitatis hoc fieret.* Eò itaque, ex Hugonis sententia, recidunt universa, ut quavis eliminata præscientia meritorum, in Dei nutum, ejusque gratiæ commendationem referantur.

Rupertus Tuitiensis Abbas, Augustinianæ doctrinæ admirator, & vindex, hac ipsa ætate, ac nondum elapso post Gottescalchi tragædiam sæculo tertio, liberam de Augustino vocem emisit. Hoc elogio doctrinam ejus celebrat Libro 7. de Operibus Spiritus sancti cap. 19. *Unum tantùm ex eis, (nimirum Doctoribus) contingimus, in quo iste Spiritus manifestè operatus est, quod se dignum fecit ad laudem suam, ad Ecclesiæ suæ defensionem, catholicæque fidei, perpetuamque munitionem. Iste est Augustinus, columna, & firmamentum veritatis, et verè columna nubis, in qua thronum suum posuit sapientia Dei, cujus ex ore distillare non cessavit pluvia salutaris, imò fluere impetus fluminis contra flumen illud hæreticorum, quod, ut superiùs diximus, post mulierem, idest, Ecclesiam, de ore suo draco diabolus emisit.* Et cùm multa de ejus ingenii sublimitate dixisset, ita demum concludit : *Hoc est, in quo jure sanctum scientiæ Spiritum laudamus, quia virum talem, et sic foris præparatum reddidit, et sic intùs eo dignatus est uti, ut contra omnes hæreses tota vita sua depugnans, voce, et literis tanta scriberet, quanta nemo in vita sua legere sufficit : Unde, & qui-*

quidam non inaniter dixisse fertur: mentitur, qui se totum legisse fatetur Augustinum. Doctrinam porro insigni illo elogio commendatam compendio digessit, concinnatis in Joannis Evangelium *Commentariis*: ubi multa de gratia, prædestinatione, reprobatione, ex Augustini sententia disputat, ut vel ex ipso proludio notum est: *Alta mysteria*, inquit modestissimus Abbas, *quæ in hoc splendore Evangelii, velut grandis aquila pervolavit magnus Doctor Augustinus, nos eadem quidem viâ, sed non omninò iisdem vestigiis subsequi enitemur. Nam ille quidem alta montium pervolat cacumina; nos interdum, & circa radices imas occupabimur. Ille præcelsæ arboris superiora quæque poma carpere festinat; nos terræ quoque proximos, quos parvulis reliquit, attingere conabimur Evangelicæ literæ ramusculos. Ut quia grandioribus, in alta Mysteriorum explanatione satisfactum est, nunc parvulis, idest, nostri similibus, continuatio quoque literæ subveniat*.

Petrus Lombardus Episcopus Parisiensis, Sententiarum Magister, laudatis Scriptoribus suppar, Augustinum, quem doctrinæ ducem in cæteris quibusque Theologicis tractationibus æmulatus est, in his de divina gratia, & prædestinatione controversiis ad verbum exscripsit, Librosque ab eo ultimò editos penè ex integro defloravit, *Libro* 1. *Sententiarum Distinctionibus* 40. & 41. & *Libro* 2. *dist.* 26. 27. 28. & 29. ex quibus aliqua tantùm decerpere, causæ, quam hìc agimus, jactura esset; ea autem referre ex integro, inutile, ac supervacaneum existimamus.

Gillebertus Svinshetensis Abbas, Sancti Bernardi, quo vivente Monachum induerat, religiosus, & eruditus æmulator, in Sermonibus super Cantica, quos elegantissimè concinnavit, ibi incipiens, ubi pius parens scribendi simul, & vivendi finem fecerat, eadem illa doctrinæ capita ponit, brevibus quidem, sed eliquatissimis verbis, *Sermone* 30. *Novit dominus, qui sunt ejus .... Ideo moveri non possunt ad fremitum Leonis, quia immobili divinæ notitiæ continentur signaculo. Bonum enim signaculum notitia Dei. Notitia, quæ secundùm propositum est, secundùm quod vocati sunt sancti. Firmum est signaculum hoc notitiæ ejus, quia nihil ei deperit. Non tantùm non deperit ei nihil; sed ipsa salvandos parit, ipsa prædestinat, ipsa signat, quos suos esse velit*. Quibus verbis divinæ prædestinationis firmitatem ex divino proposito repetit, quo quos suos velit esse, ex æternitate definivit. Tum ex ea gratuitæ prædestinationis firmitate, divinique beneplaciti immobilitate, gratiam ex tempore conferendam, & liberi arbitrii cooperationem, tanquàm a prima radice repetendam decernit: *Geminum signaculum*, inquit, *divinum propositum, & humanum studium: divina providentia, & humana diligentia. .... Vide duas*

hujus signaculi partes; unam divinæ tantùm gratiæ, alteram, & gratiæ, & libertatis: Illam propositi, hanc adjutorii. Secunda hæc pars libertatis nostræ infirmum arbitrium dirigit: nam prima prædestinando disponit. In prima, qui sunt ejus, Dominus prævidendo novit; in secunda nobis innotescit. Illa caussa, hæc est illius effectus. Illud signaculum immobile est; hoc probabile. Illud signaculum est, istud signaculi signum. Illa radix est, hic fructus ...... nam ipse in beneplacito suo novit, qui sunt ejus, & ponit eos ut fructum hunc plurimum afferant.

Ælredus Abbas Rievallensis, eodem vertente sæculo, Augustinianam de gratia victrice, gratuitaque prædestinatione doctrinam fusè tradit *Libro* I. *Speculi charitatis*, a *capite* 10. *ad* 15. multa de divini auxilii efficacia, de ejusdem cum humana libertate concordia, de illius gratuita, & liberali largitione, de gratia electis peculiari, de differentia hominis stantis, & lapsi, de discretione prædestinatorum a massa perditionis sola Dei bonitate facta, juxta Augustini principia disserens. Ex multis unum, alterumve centonem exhibeo, ut fidelissimum Sancti Doctoris discipulum noris: *Ut opus*, (inquit *capite* 11.) *quod in nobis, sive per nos operatur, etiam nostrum sit, inclinat voluntatem, ut consentiamus; sicque ex ejus gratia merces sit nostra .... Ut autem sim volens in bono opere, Deus est, qui operatur, & velle, ipse deinde voluntatem excitans ad petendum, ad quærendum, ad pulsandum, dat gratiam pro gratia, perficere scilicet pro bona voluntate. Postremò, quia vita æterna bonorum operum merces est, ipsam dans coronat dona sua, quæ voluit esse merita nostra.* Capite verò 15. de gratuita prædestinatione quorumdam, cæterorumque desertione sermonem instituens hæc habet. *Si ergo homo ex vasis, quæ facit, quæ voluerit deputat honori, quæ voluerit exponit contumeliæ, nec quisquam est, qui causetur injustum; tu calumniaris, si Deus ex vasis omnibus justissimæ contumeliæ expositis, quæ voluerit, assumat, quæ voluerit, relinquat, quæ voluerit, in pristinum reformet honorem, quibus voluerit, debitam inferat damnationem? Si, inquam, figulus in vasis, quæ de eodem luto compingit, discernendis, ipsa ejus voluntas justitia est; quomodo non multò magis in omnibus, quæ ex nihilo creavit omnipotens, discernendis, ordinandis, sumendis, deserendis, salvandis, damnandis, ipsa ejus voluntas summa justitia sit? Ergo miseretur cui voluerit, & misericordiam præstat in quem sibi placuerit, & quem vult, obdurat justissimè deserendo, & quem vult, emollit piissimè miserendo; & quidquid vult, facit, nec injustum aliquid facit, quandoquidem inter justum, & injustum sola ejus discernit voluntas, quæ non est aliud, quàm ipsa æquitas: nec ejus voluntas ex alia pendet*

det lege justitiæ, sed lex justitiæ ex ejus utique pendet voluntate.

Dicat modo Launojus, quo ex tripode revelatum acceperit, Augustini discipulos, per annos a Gottescalcho damnato trecentos, Magistri doctrinam puram, atque sinceram vulgare minimè ausos: cùm hæc illi, vulgatis per universam Galliam, Angliam, Germaniam scriptionibus, publicarent? Verùm est illa Launoji perversitas, ut non aliam Augustini doctrinam norit, nisi putidas hæreticorum blasphemias, ab ipsomet data opera confutatas, queis, & excisum liberum arbitrium, & humanam voluntatem necessitate ductam vociferantur. Ecquis enim nesciat, in iis refellendis, magnam studii partem posuisse Præsulem Hipponensem, non modò ante subortam hæresim Pelagianam, dum in Manichæos signa conferret, verùm etiam quo ex tempore, adversùs divinæ gratiæ hostes aciem movit? Legatur *Liber* 1. *de Peccatorum meritis*, & *remissione capit.* 2. *Liber* de *Gratia* Christi cap. 32. *Liber* de *Spiritu*, & *litera capp.* 33., & 34. Liber de *Gratia*, & *libero arbitrio capp.* 2. 15., & 18. *Liber* de *Natura*, & *Gratia capp.* 32. 43. 64. 65. 67.

(*Pag.* 114.) Equidem instauratas a multis, undecimo cadente sæculo, ac duodecimo ineunte, illas ipsas de excisa hominis libertate blasphemias, haud infideliter notat Launojus, ex Divo Anselmo, & Divo Thoma, (quamvis neutrius, pro more suo, loca indigitet); id enim Archiepiscopus Cantuariensis *Libro* de *Concordia cap.* 3. & Doctor Angelicus *Quæst.* 6. *de Malo articulo* 1. profitentur: at eas ex Augustini principiis fluere, quod unum quæritur in præsentia, tantum abest, ut vel obiter innuant, ut illas potiùs ex Augustini principiis confutent: *Sunt nostro tempore multi*, inquit Sanctus Anselmus, *qui liberum arbitrium esse aliquid penitus desperant. In hac itaque quæstione, hæc erit intentio, ut liberum arbitrium simul esse cum gratia, & cum ea operari in multis monstremus*. Ita porrò demonstrat *cap.* 1. *Quoniam enim, quod vult Deus, non potest non esse; cùm vult hominis voluntatem nulla cogi, vel probiberi necessitate ad volendum, vel non volendum, & vult effectum sequi voluntatem, tunc necesse est voluntatem esse liberam, & esse, quod vult*. Annon verò id ex Augustino delibatum, *Libro de Gratia, & libero arbitrio capite* 21.? *Agit omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat, quod nos agere ipse voluerit; qui omnino injustè aliquid velle non potest*. Doctor autem Angelicus ita eundem errorem percenset, ac confutat: *Quidam posuerunt, quod voluntas hominis ex necessitate movetur ad aliquid eligendum: nec tamen ponebant, quod voluntas cogeretur. Non enim omne necessa-*

rium est violentum .... Hæc autem opinio est hæretica : tollit enim rationem meriti, & demeriti in humanis actibus. Non enim videtur esse meritorium, vel demeritorium, quod aliquis sic ex necessitate agit, quod vitari non possit. Nunquid, & istud petitum ex Augustino Lib. *de lib. arbit. cap.* 18., & *lib. de Nat., & Grat. cap. 67. Quis peccat in eo, quod nullo modo caveri potest? Peccatur autem: caveri igitur potest.*

(*Pag.* 115.) Clamat Launojus, Joannem Vvitkleffum harum blasphemiarum, aliarumque inde fluentium, sæculo decimoquarto instauratorem, Augustini nomen jactasse, nec tamen Synodi Constantiensis damnationem evasisse. Bellum profectò! Augustini nomen jactabat ille : at jactabat, & Pauli : an ergo blasphemum dicemus Apostolum? Ut quid itaque blasphemiæ reum habebimus Augustinum, quòd ejus patrocinium Vvitkleffus obtenderit? Synodi Constantiensis censuram novator subiit, tametsi gratiæ Vindicis jactaret nomen. Ita sane : at non idcircò, quòd Sanctissimum Doctorem damnationi obnoxium existimaret sacra Synodus, eundemque pari cum novatore censura petitum vellet; sed quòd stultam novatoris jactantiam certò sciret. Certè quàm altè Patrum Constantiensium animis defixa esset, Augustini de gratia victrice sententia, compertum satis ex solenni precatione, quam singulis Sessionibus præmittebant; quamque secutis inde temporibus, Clemens VIII. ejusdem doctrinæ studiosissimus, flexis genibus fundere solitus erat, dum celebres de divinis auxiliis congressus haberentur. Sic illa se habet : *Adesto nobis, quæsumus, Domine sancte Spiritus, peccati quidem immanitate detentis, sed in nomine tuo specialiter congregatis. Veni ad nos, & dignare illabi cordibus nostris : doce nos, quid agamus, quo gradiamur, ostende, quid efficiamus, operare : esto salus, & suggestor, & effector judiciorum nostrorum, qui solus cum Deo Patre, & ejus Filio nomen possides gloriosum. Non nos patiaris perturbatores esse justitiæ, qui summæ veritatis diligis æquitatem; ut in sinistrum non nos ignorantia trahat, non favor inflectat, non acceptio muneris, vel personæ corrumpat; sed* JUNGE NOS TIBI EFFICACITER SOLIUS TUÆ GATIÆ DONO; *ut simus in te unum, & in nullo deviemus a vero : quatenus in nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus, cum moderamine pietatis, justitiam, ut & hìc a te in nullo dissentiat sententia nostra, & in futuro pro bene gestis consequamur præmia sempiterna. Per Dominum nostrum, &c.*

CA-

CAPUT XVI.

Augustinus a Lutheri, & Calvini erroribus remotissimus, summa veneratione a Tridentinæ Synodi Patribus exceptus.



UOD unum Launoji petulantiæ addi posse videbatur, ut Lutherus ipse, atque Calvinus Augustini discipulis adjungerentur, id demùm ad mensuræ cumulum accessit. (*Pag.* 116.) Hos ex Augustini schola prodiisse, ut in humanæ libertatis excidium conspirarent, fidenter pronunciat audacissimus blatero: ac ne summæ impudentiæ summa quoque deesset inscitia, Zuinglium, quem purum putumque Pelagianum nemo nescit, Luthero, & Calvino, ad horrida Hipponensis dogmata diffundenda, comitem adjungit. Equidem ad minuendam utcumque audacissimæ assertionis invidiam, illos Magistri doctrinam latiùs quàm par esset protendisse, statim innuit: verùm imprudenter omninò, & contra deductas subinde consecutiones. (*Pag.* 117.) Namque subjungit e vestigio, Augustinum Lutheranis, & Calvinistis, tanquàm illorum erroribus propitium dimitti oportere: imò nonnullos Tehologiæ polemicæ Tractatores producit, laudat, amplectitur, qui eundem illis liberè concessere: quod certè iniqui consilii fuit, si Augustini decreta, ultrà quàm fas esset, protenderunt postremæ ætatis heterodoxi. Ea etiam Lutheranæ, & Calvinianæ doctrinæ capita repræsentat tetricus Censor, iis planè gemina, quæ Prædestinatianorum, & Vvitkleffi nomine superioribus capitibus recensuerat: ut hinc nemo non videat, illum æquo jure Lutherum, atque Calvinum, non qualescumque, sed fidos planè Augustini discipulos dicere debuisse, qui Prædestinatianos, & Vvitkleffum ipsum eo titulo cohonestat.

Sed age videamus, quo demùm momento nixus, Augustinum Luthero, & Calvino propitium dicat, eundemque illis concedendum pronunciet. Non ille Sancti Doctoris testimonia congerit, non loca recenset, quibus nostrorum temporum erroribus patrocinium impenderit; sed quatuor duntaxat Theologiæ polemicæ (*Pag.* 118. & 119.) Tractatores producit, Claudium Sanctesium, Ambrosium Catharinum, Petrum Auratum, Albertum Pighium, qui Augustinum novæ sectæ principibus concesserunt, tanquàm illis plus nimio adfavisset. Quid istud, amabo? Sexcentos, & eo ampliùs Romanæ Communionis Scriptores numerare liceat, qui stylum in Lutherum atque

atque Calvinum acuerunt : iis potissima cura incumbit, Augustinum non modò heterodoxis eripiendi, verùm etiam utì potissimum catholicæ fidei defensorem iisdem objiciendi : arma, queis errorem confodiant, ex Sancto Doctore mutuantur : responsa, quibus adversæ partis tela elidant, eidem accepta referunt : argumentorum robur, momenta rationum, interpretamenta Scripturarum, Ecclesiasticæ Traditionis intelligentiam, ex ejus operibus repetunt ; ut planè in sacro bello gerendo, unus illis, & vallum, & fossa sit Augustinus. Hos surdâ aure Launojus præterit, ut tres, quatuorve in Augustinianâ doctrinâ minùs versatos Theologos audiat ; qui vel ut operæ parcerent, vel ut importunis errantium, de Augustini patrocinio sibi temerè blandientium, vocibus aliquid cederent, uni gratiæ Doctori minimè standum reposuere, si fortè in Pelagianâ hæresi debellandâ modum excessit, nimioque vindicandæ gratiæ studio, libertatis jura violavit. Imprudenter omninò, Launoj. Quis enim communem Ecclesiæ sensum, ex trium quatuorve privatorum Theologorum judicio potiùs, quàm ex publicâ cæterorum omnium professione internoscendum existimet ? Quis raucas illas oscitantium Scriptorum voces, de Augustino debitos fines prætergresso, tot Romanorum Pontificum oraculis anteponat ; qui eundem catholicum per omnia Magistrum, in nullo a Romanæ Ecclesiæ prædicatione deviantem, nullius unquàm erroris suspicione aspersum, necessarium in hæreticis debellandis modum minimè prætergressum, cujus doctrinam Romana sequitur, & servat Ecclesia, datis Diplomatibus pronunciarunt?

Quàm gravis, ex inconsultâ illâ, præcipitique censurâ, in Ecclesiam Catholicam redundet injuria, nemo non videt. Si enim (ut a nonnullis observatum est) a Lutheri, & Calvini erroribus Augustini doctrina vindicari non potest, gravissimè profectò & a Sede Apostolica, & a cæteris Ecclesiæ proceribus peccatum est, qui Beati Augustini vigilias, labores, atque doctrinam, quoad illas maximè de divina gratia quæstiones, tam magnificè prædicarunt; cùm tanquàm periculosam, perniciosam, & hæreticam arguere potiùs damnareque debuerint. Quid etiam Ecclesiæ Dei calamitosius, luctuosiusque accidere queat, quid verò hæreticis gratius, jucundius, aut optabilius, quàm ut adversus Catholicos, in his de gratia, & prædestinatione dogmatibus, stare pro ipsis, etiam nostra confessione, tantopere laudatus Augustinus existimetur ? Nam hoc concesso, quis non intelligat, quanta illi virium accessione firmentur, Catholici verò quanta præsidii jactura debilitentur ? Prement nos illi authoritate Viri hujus, quæ in Ecclesia Dei maxima semper hactenùs fuit : hanc tamen adversus eos, qua nos fronte vel in cæteris opponemus, quando tam gravi ac indi-

indigno errore, tam infirma, imò fracta, & vilis effecta sit?

Abeant itaque sui illi, quos nobis calumniæ suæ authores Launojus advocat, *fidei defensores*. Proditores, eo saltem in capite, veriùs dicat, qui tradito Lutheranis, & Calvinianis Augustino, Ecclesiæ caussam, per speciem tuendæ fidei, prodiderunt. Quàm gravem illi a cæteris Romanarum partium Theologis animadversionem subierint, Launojum ignorasse non puto.

Ambrosius Catharinus, ob id maximè non externorum duntaxat, verùm etiam domesticorum, ac sodalium censuris inustus est. Dominicum Bannesium, primariæ cathedræ in Academia Salmanticensi Moderatorem, Ordinis Prædicatorum, audire juvat, de Catharini Libellis, quibus Augustinum iniquè depressit, ita pronunciantem 1. *Parte Quæst.* 23. *Art.* 7. *Edidit tres Libellos de prædestinatione, in quibus nihil est eruditionis, sed plurimum erroris*. Judicium nihilo mitius tulit Dominicus Soto, alter ejusdem instituti professor, in *cap.* 9. *Epistolæ* ad Romanos, Catharini audaciam ita perstringens: *Non erat ergo cur iste Reverendus Pater Episcopus in proloquio sui libelli tot verbis pollicendo diceret, punctum se prædestinationis vera ratione attigisse, quæ Augustinum, ac cæteros antea Patres celata semper fuisset*. In Apologia verò de certitudine gratiæ, subitarium ex Jurisconsulto Theologum ridet: *Ab ipso enim statim tempore, quo jam ætate provectus*, inquit, *ex Jurisconsulto Theologus derepente prodiisti, simul, & audire cæpisti in scholis, & contra egregios scholarum Doctores scribere*. Scilicèt Catharinus, transacta in juris Scholis ætate, multorum annorum factus, Prædicatorum Ordini nomen dedit, quo primùm tempore Theologos lectitare cœpit. Quare pristinæ professionis amantior, & Theologicis institutionibus leviter tinctus, de divina prædestinatione, non tam ex sensu Patrum, quàm ex Digestis, & Codice disputavit.

Claudius Sanctesius, vel ipsius Antonini Moraines, larvati Scriptoris, virgam expertus est, quòd Augustinum in statuenda sententia varium dixerit: *Consultiùs fecisset, tantique Doctoris authoritati convenientiùs, si semper, & constanter quæcumque dixit Augustinus, in sensum illum commodum exposuisset, & non tantam in opinando inconstantiam ei tribuisset. Disput.* 9. Anti-Jansenii N. 57. Vapulat, & ea de caussa, apud Norisium in *Vindiciis Augustinianis cap.* 4.

Albertum Pighium ab eruditissimis Theologis notari, quòd Augustini, seu veriùs Ecclesiæ, de peccato originali, de prædestinatione, de gratia Redemtoris doctrinam deseruerit, author est Joannes Molanus; cui calculum adjiciunt Albertus Miræus, & Possevinus. Nec injuria, quippè qui a Cardinali Polo, Sedis Apostolicæ

ſtolicæ Legato, & Concilii Tridentini Præſide notatus eſt, (*Palla. Hiſtor. Concil. Trid. Lib.* 8. *cap.* 2.) *quòd in articulo de originaria noxâ, dum univerſam Lutheranorum doctrinam rejicere conatur, prope in Pelagianorum errorem prolapſus ſit* : a Lovanienſibus autem, *uti liberioris ingenii, & inverecundæ audaciæ* Theologus ſugillatur. Quin & ejuſdem conſilium, quo monebat, ad veram de libero arbitrio doctrinam percipiendam, legendos eſſe potiùs Auguſtini Libros ad Catholicos datos, quàm reliquos contra Pelagianos, eorumque reliquias ſcriptos, ut *ineptum, & ſtultum* ridet Cardinalis Noriſius, in Vindiciis *capite* 5. §. 4.

Quamquàm quid juvat privatorum teſtimonia congerere, qui eam trium, quatuorve Polemiſtarum audaciam repreſſerunt? Ipſa Synodus Tridentina Lutherum, & Calvinum, in materiâ prædeſtinationis, & gratiæ, ab Auguſtino toto oſtio aberraſſe, ſatis ſuperque ſignificavit, dum eâ ipſâ *Seſſione 6. de Juſtificatione*, quâ pſeudoreformatorum errores proſcripſit, Auguſtini eodem de argumento ſententiam conſecravit. De gratuita prædeſtinatione res plana eſt *capite 16.* ubi ita decernitur : *Bene operantibus uſque in finem, & in Deo ſperantibus proponenda eſt vita æterna, & tanquàm gratia Filiis Dei, per Chriſtum Jeſum miſericorditer promiſſa, & tanquàm merces, ex ipſius Dei promiſſione, bonis ipſorum operibus, & meritis fideliter reddenda.* Quid enim gratiæ, & promiſſionis miſericorditer factæ nomine venit in mentem, niſi decretum gratuitum, quo Deus, nullis meritis in anteceſſum exploratis, filios deſtinat ad regnum? Quid etiam, quod ſacra Synodus, de promiſſionis executione, quæ electorum tandem glorificatione perficitur, ſermonem habens, bona quidem juſtorum opera, ac merita memorat, queis tanquàm merces a Deo rependitur; nulla tamen, ubi de æternâ promiſſione ſermo incidit, niſi Chriſti Domini merita innuit, totumque miſericordiæ, & gratiæ deputat : niſi ut electionem æternam gratuitam ſtatuat, ſolam, quæ tempore fit, executionem meritis juſtorum adſcribat? De gratiâ efficaci, ac ſe ipſa victrice haud minùs explicata ſacræ Synodi mens, ut editum nuperrimè, fœtu poſthumo, Antonini Reginaldi ſpiſſum opus, ſexcentis momentis evincit.

Iniquior tamen memoratis Polemiſtis Launojus, & doctrinæ in Synodo Tridentinâ ſancitæ præ illis ignarus, qui nonnullos pſeudoreformatorum errores Auguſtino affingit, quos hæc ipſa Synodus, diſtinctis Auguſtini verbis confodit : ut eſt ille de mandatorum implendorum impotentiâ, *capite* 11. *de Juſtificatione* confixus, præclara illa ſententiâ ex Sancto Doctore petitâ *Libro de Natura, & Gratia capite* 43. *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere, quod poſſis, & petere, quod non poſſis.* Et ille alius

alius de gratia justis sublata, ut obedire desistant, mutuatis ejusdem Doctoris verbis inustus: *Deus suâ gratiâ semel justificatos non deserit, nisi priùs ab eis deseratur*. Nonnullas vice versa Sancti Doctoris sententias erroris insimulat, quas Tridentini Patres fidei capitibus inseruere, ut est illa *Epistolæ* 105. ad Sixtum: *Cùm Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat nisi munera sua*; quam *capite* 16. *de Justificatione* in fidei regulam transtulerunt. Nonnullas tandem assertiones versatiles, ac variis sensibus obnoxias, præposterè, & contra Sancti Doctoris mentem detorquet, ut illis hæreseos notam inurat; quas germano sensu acceptas, inter orthodoxa dogmata numeravit laudata Synodus. Talis est illa capitis 3. *de Justificatione*: *Etsi* (Christus) *pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt; sed ii duntaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur*: quæ in tritam illam, vulgatamque distinctionem recidit, qua pugnantia in speciem Augustini testimonia conciliantur: Christum nimirùm pro omnibus mortuum sufficienter; pro solis tamen fidelibus, oppetitæ mortis, & effusi sanguinis beneficium recipientibus, efficaciter.

Parcam hoc de argumento plura adjicere, & Augustinum a Luthero, & Calvino remotissimum, congestis testimoniis, collatisque doctrinæ principiis, demonstrare; quòd eam provinciam infiniti propemodum scriptores obierint, otiosique jam hominis videatur, in ea re diutiùs immorari. Legatur, si per otium licet, Franciscus Orantius Episcopi Placentini in Synodo Tridentina Procurator, idemque Theologus præstantissimus *Lib.* 1. de *Justificatione* contra Calvinum *capite* 51., ubi post recitata bene multa Sancti Doctoris oracula, Calvini erroribus adversa, suam, totiusque Ecclesiæ, in Augustini doctrinam, venerationem profitetur his verbis: *Hanc Augustini doctrinam, tanquàm e cœlo lapsam suscipimus, & sanctam veneramur, uti fidei nostræ regulæ conformem amplexamur, & ut antiquæ Patrum Traditioni satis conformem, modisque omnibus veritati consentaneam, & convenientem retinemus.*



CAPUT XVII.

Augustini doctrina a Leonardo Utinensi ex sacro suggestu tradita, & ab Aquilejensi Patriarcha probata, Tridentinæ Synodi judicio confirmatur. Facti narratio a Launojo corrupta, ac depravata, ex legitimis documentis restituitur.



Utatam hîc scenam video, haud tamen mutatum actoris animum. Hactenùs professos hæreticos, impiarumque sectarum principes, Augustini discipulos mentitus est; ut quæ in illos verè sententia lata fuit, in Augustini caput recideret: nunc religiosissimum Præsulem, verumque Augustinianæ doctrinæ professorem in scenam inducit, at latam in eum sententiam comminiscitur, ut, & hoc pacto damnationi subjaceat Augustinus. Tria portentosa mendacia brevi pagella fabricatur. (*Pag.* 120. & 121.) Cives Utinenses Patriarcham Aquilejensem, *tanquàm hæreticum traduxisse, & ad Tridentinam Synodum provocasse* fabulatur, ob vindicatas apologetico scripto geminas Divi Augustini assertiones. Hoc primum. Subjungit, Agri Foro-Juliensis incolas, *eo Patriarchæ Aquilejensis scripto graviter offensos*, Legatos ad Serenissimam Rempublicam Venetam destinasse, *ut creatam ab eo offensionem cohiberi provideret*. Hoc alterum. Tum demùm, judices ab Synodo Tridentina delegatos, *doctrinam Patriarchæ scripto contentam, minimè prædicandam* censuisse, ait; tametsi quo sensu ab eo tradebatur, nec hæresim præ se ferret, nec offensioni cuiquam esse posset. Hoc ultimum. Ea scilicet est scriptoris præfidentis audacia, ut compertissima quæque vitiet, depravet, adulteret, ipsosque Augustinianæ doctrinæ triumphos in dedecus vertat.

Nos integram Patriarchæ Aquilejensis Historiam dedimus, Paragrapho 13. Præfationis nostræ ad Historias Congregationum de Auxiliis divinæ gratiæ: cuncta ad probatissimorum Scriptorum fidem exegimus; integra facti celeberrimi documenta repræsentavimus in Appendice; planumque fecimus, hoc maximè rerum concursu Augustini doctrinam; de æmulis quibusque obtrectatoribus triumphasse. Quæ sanè si commentitiæ Traditionis novissimus editor vel leviter evolvisset, nunquam Launoji sui famam ita in orbe literario commisisset, ut confutatas in antecessum fabulas evulgaret. Pauca ex multis, quæ eo loco diximus, delibamus; ne sua penes audacem interpolatorem putidorum mendaciorum stet usura.

Pa-

Patriarchatum Aquilejensem ab annis circiter quatuor occupabat Joannes Grimani, Patritius Venetus, vir ingentium virtutum, antiquitatis diligens investigator, literarum amans, & literatorum Mecænas beneficentissimus; ex inclyta Grimanorum gente originem ducens, quæ tot Aquilejæ Patriarchas, tot Ecclesiæ Romanæ purpuratos Principes, tot Reipublicæ Venetæ Serenissimos Duces dedit. Venetiis agebat ille anno 1549. cum ab suo Vicario generali Utinensi literas accepit, quibus significabat, Leonardum Utinensem, Prædicatorum Ordinis Professorem, nonnullas inter concionandum propositiones de divina prædestinatione protulisse, quæ plebem, totumque consessum non mediocriter offendissent. De duabus præsertim ortam offensionem inquiebat; prima, *Prædestinatus a Deo nullo modo damnari potest; quia quantumvis in peccata labatur, Deus eum ita eripit, quòd illum salutem tandem consequi necesse sit*. Altera, *Electio, ac prædestinatio ita sunt necessariæ, ut in voluntate, & arbitrio nostro, neque salus, neque damnatio posita sit*.

Re, quantum per temporis angustias licuit, probè discussa, rescripsit Patriarcha Aquilejensis prolixam satis Epistolam die 17. Aprilis, qua Prædicatoris in hæreseos suspicionem vocati partem suscipiens, abstrusiora divinæ prædestinationis arcana fusiùs exposuit; quòd id sedandis motibus, & erudiendæ plebi necessarium existimaret. Tractatum etiam hoc de argumento paulò explicatiorem concinnavit post menses aliquot, quo doctrinam in Epistola contentam cumulatiùs exponeret, variisque Scripturarum, Conciliorum, ac Patrum testimoniis confirmaret. Nemo fuit, qui per annos circiter duodecim adversùs Epistolam, ejusve Tractatum mussitarit; tametsi per universum Patriarchatum, instar documenti pastoralis, utraque lucubratio vulgata esset. Cœpit anno duntaxat 1560. excitari tempestas ab invidis, corruptisque tenebrionibus, quos sua illi virtus, infractusque animi vigor in regenda plebe concitaverant. Cùm enim grassante tunc in Germania hæresi Lutherana, & latè finitima quæque loca depascente, servando pecori studiosiùs incumberet, & ad severitatem pro restituenda disciplina Ecclesiastica, pronior foret, nonnullorum e clero invidiam subiit, quorum castigandis, ac perpoliendis obsoletis moribus studium impenderat. Opportunum ulciscendi tempus arripuere pravi homines, statim atque Pius IV. Pontificatum auspicatus, sacrum Cardinalium Collegium viris pietate, religione, ac rerum usu insignibus, qui laboranti Ecclesiæ turbulentissimis temporibus opem ferrent, augendum ratus, Patriarcham meritissimum adlegere meditabatur. Consepultam Epistolam, ac penè vetustate temporis exesam, e cineribus dolo malo excitatam, ad sacrum Romanæ Inquisitionis Tribunal detulere, tan-

quam, quæ Lutheranos, & Calvinianos errores complecteretur; ut eo objecto probro Patriarcham denigrarent, Pontificemque a conferenda purpura dimoverent.

Versabatur ille tunc Romæ, dum hæc in eum tempestas sæviit: pro viribus adniti cœpit, ut depulsis objectæ criminationis nebulis, religionem suam, ac fidem in aperto poneret. Ad Pontificis pedes vocatus, Epistolæ suæ doctrinam profluentibus ubertim lacrymis exposuit, editumque a se sub idem pene tempus Tractatum obtulit, in quo, quid de prædestinatione sentiret, distinctiùs exposuerat, omnesque tum hoc de argumento, tum de aliis quibuscumque sensus suos Apostolicæ Sedis judicio subjecerat. Fluctuare ad hæc aliquantulum cœpit Pontifex Maximus, qui Patriarcham nova quidem dignitate auctum vellet, ut Serenissimæ Reipublicæ votis, ejusque meritis responderet: at virum de hæresi nuper accusatum sacris Vaticani infulis induere pudor erat. Sacræ Inquisitionis consessum in Consistorii pervigilio festinanter indixit, ut præsens ipse Patriarcha Epistolam in jus vocatam, fidemque suam exponeret. Dixit ergo imparatus licet, atque ex tempore, de variis Epistolæ suæ propositionibus in suspicionem adductis: sed fidem suam non ita in aperto posuit, ut omnem prorsùs nebulam depelleret. Quare illo posthabito, destinatos viros purpura induit Pius IV. die *26.* Februarii *1561.* quos inter, ne invisam sibi Rempublicam faceret, quæ pro Grimani purpura ardentiùs supplicaverat, duos adlegit Patritios Venetos, Bernardum Navagerium ex inclyto Sapientum ordine, & Antonium Amulium apud Sedem Apostolicam Oratorem; spopon ditque altiori se Grimani fortunæ provisurum, cùm primùm eliquata caussa, omnem fidei suæ offusam nebulam depulisset.

Casum hunc magno animo tulit Joannes Grimanus. Romæ substitit aliquandiù, caussamque suam judicio maturavit. Epistolæ suæ doctrinam scripto defendit mense Augusto, sententiamque ex Pontificis oraculo ferri petiit: at supremæ Inquisitionis Tribunali commissa res est. De septem propositionibus, quæstio fuit, ex variis Epistolæ locis compendio deductis. Prima erat: *Prædestinatio a solo Deo est*. Secunda: *Prædestinatio duntaxat pendet a liberis Dei promissionibus*. Tertia: *Prædestinatus damnari non potest; nec reprobus salvari*. Quarta: *Reprobos nunquam Deus intuetur oculis misericordiæ suæ*. Quinta: *Diabolus prævalere non potest contra determinatum numerum electorum*. Sexta: *In salutis negotio totum Deo tribuendum est*. Septima: *In reprobis nihil valet liberum arbitrium ad salutem obtinendam*.

Ea de re Congregatio haberi cœpit die *11.* Decembris *1561.* Ex objectis propositionibus tres unanimi quidem suffragio; quatuor

tuor pro majori duntaxat votorum parte probatæ sunt : nonnullis scilicet Consultoribus erroris suspicionem opponentibus. Hos inter fuisse fertur Felix Perettus Montaltius, qui postmodum sub Sixti V. nomine Pontificatum obtinuit; cujus etiam suffragium censorium in publicis generalis Inquisitionis tabulis legitur.

Eo se judicio absolutum Grimanus existimabat, quòd ita Judiciorum forma postulare videretur. Verùm fecit æmulorum authoritas, aut etiam, (quod æstimare pronum est) conditio temporum, quæ vel minimam Calviniani erroris suspicionem in Ecclesiæ Principe pati nollet, ut caussam maturiori examine limari voluerit Pius IV. Sustinuit itaque Grimanus menses aliquot, candidiorem Romæ solem brevi oriturum sperans : caussam, conjunctis cum Oratore Veneto supplicationibus, eliquari petiit multis admodum vicibus ; donec tædio solutus, quòd rem suam plus nimio procrastinari cerneret, Roma secessit Neapolim versùs, animum magnis, longisque curis defatigatum levaturus : quamquàm Roma per multa milliaria jam absens, accepto nuncio, quo ab Augustissimo Senatu vocabatur, viam, quæ Lauretum ducit, arripiens, citatis equis Venetias contenderit. Sui tamen, quantùm licuit officii memor fuit : Oratorem literis rogavit, ut inopinati itineris rationes Pontifici significaret; quas etiam (ut ex rescripto didicit) benignissimus Pater ratas habuit.

Fugæ instar ab æmulis discessus est habitus, quasi caussæ meritis diffisus Grimanus maturiori examini se negasset. Fuere, qui illum ea mente aufugisse dicerent, ut caussam judicio Pontificio eriperet, & ad Synodum Tridentinam deferret, quæ magno tunc Ecclesiæ emolumento celebrabatur. Quare Pius Legatos suos confestim literis monuit, ne Grimani caussam, coram Romana Inquisitione, ac ipsa etiam Apostolica Sede pendentem, acciperent; eidemque significarent, non Tridenti comparendum, sed Romæ; ubi litem in integro, si reus mallet, Consistorio, brevi dirimeret. Non iis ille hortamentis eguit, qui licet caussam suam ab œcumenica Synodo cognosci maluisset, hanc tamen voluntatem, hortante Senatu Veneto, deposuerat, ne reluctantem Pontificem offenderet.

Grimanum tamen denuo Romæ sisti Senatus noluit, quòd Cardinalium quorumdam Inquisitorum Generalium aversum ab illo animum existimaret : sed qua valuit apud Pontificem gratia, petiit, ut caussam ipsemet Concilio committeret ; Apostolicæ Sedis authoritatem nequaquam imminutum, ac læsum iri arbitratus, si caussam ab ipso jam cognitam, ipso quidem volente, atque mandante, Synodus absolveret.

Inter hæc subintrarunt in caussam Civitas Utinensis, ubi jam tunc

tunc sedem fixerat Patriarcha Aquilejensis, totaque, quâ ejus ditio diffunditur, Provincia Fori-Julii. Præsulis ab æmulis iniquè traducti pietatem, religionem, innocentiam omnibus exploratam, Serenissimæ Reipublicæ Venetæ, per Legatos, & literas commendarunt; ut rem totam Tridentinæ Synodi judicio finiri provideret. Quin etiam Leonardi concionatoris, cujus occasione infaustus ille in Patriarcham turbo detonuerat, famam, eruditionem, cæterasque animi dotes non mediocriter extulere: quò faciliùs intelligeret Senatus Augustus, non nisi malevolorum invidia conflatam esse, quæ dudum vulgabatur, violatæ fidei criminationem. *Revocamus*, inquiebant, *in memoriam humillimè Serenitati Vestræ, quòd in Ecclesiâ Utinensi, jam tredecim anni sunt, ex quo dum concionaretur Magister Leonardus Utinensis Ordinis Sancti Dominici, qui ab omnibus existimabatur, & habebatur doctissimus, & catholicissimus Prædicator, atque in suo Ordine in variis honorum, ac dignitatum gradibus vitam transegerat, aptè ad propositum suum in concionibus suis, quædam dixit de præscientiâ, & prædestinatione, quæ postmodùm a Vicario, qui tunc curam Ecclesiæ gerebat, ad Reverendissimum Patriarcham scripta sunt: qui juxta morem veterum Patrum, ac Pastorum, eidem Vicario, & Ecclesiæ rescripsit ea de re Homiliam; arbitratus fore, ut ampliùs satisfieret, & ut quietarentur animi, tum Vicarii, tum omnium, qui a Concionatore dicta audierant. Homilia hæc promulgata est, atque in tabularium publicum Serenitatis Vestræ in Civitate Utinensi relata, & passim vulgata. Ex hoc Reverendissimi Domini Patriarchæ officio, per totum hoc tempus intermedium, inter nos huc usque nullum auditum est murmur, nulla perturbatio exorta, nisi hæc quam modò audimus, & experimur gravissimam, ac magni momenti. Quia verò his diebus elapsis ortus est rumor, quem novit Serenitas Vestra, occasione præfatæ Homiliæ, qui ipsi Reverendissimo Patriarchæ est famæ decremento, imò totali authoritatis excidio, ac maximæ molestiæ, & dolori infinito, nobis verò, nostrisque conscientiis scandalo, confusioni, & damno, digno sanè cui remedium adhibeatur: visum est toti isti fidelissimæ patriæ, inobedientiæ, & ingratitudinis magnæ fore indicium, si in tam longa oppressione amantissimi sui Prælati, & Pastoris (ut enim re ipsa nos innocentissimum ipsum arbitramur, ita, & omnes ipsum habent, æstimant, & prædicant) non exhiberemus Serenitati Vestræ solidum indicium nostræ bonæ voluntatis, & officii nostri, erga Serenitatem vestram, & totum mundum; tum ob afflictionem, quam sentimus, ex illa, quam patitur Dominus Patriarcha, tum etiam, quod majoris est momenti, ob jacturam, quam certò incurremus, in prosecutione, ac continuatione scandali imminentis, in his miseris, atque infelicibus*

secu-

sæculis, in quibus omnia tumultu, ac confusione replentur. Hoc nos movit, ut vobis &c.

Excepta Foro-Julienfium Legatione, Aquilejensis Patriarchæ caussam Synodi judicio committi denuò supplicarunt Veneti Patres. Pronus quidem erat ad assensum Pontificis animus; at repugnante, ut ferebatur, Inquisitorum consilio, diu hæsit; donec sedatis animis, instantis Reipublicæ votis omninò respondit. Caussæ instrumenta Cardinalibus Morono, & Navagerio, quos novos Tridentum Legatos mittebat, tradi jussit: quibus, uti, & Reipublicæ Oratori significavit, assentiri se perlubenter, atque etiam omninò velle, ut caussam totam, & integram Synodus cognosceret. Quapropter ex Pontificis nutu Tridentum contendit Joannes Grimani mense Junio 1563. Magno viginti circiter Prælatorum comitatu cinctus Legatos adjit, quæ res nonnullis stomacho fuit. Judicium festinari rogarunt Reipublicæ Oratores; at nonnulla mora præter expectationem injecta est. Quamquam enim Pontificis assensum, Navagerii, ac Moroni Cardinalium fide nossent Tridentini Patres; operi tamen manum admovere detrectarunt, donec misso Romam cursore, Pontificis voluntatem proprio Rescripto, atque etiam forma Brevis, testatam haberent. Rescripsit non sine sensu Pius IV. die 1. Julii privata Epistola, tum subinde die 3. forma Brevis, nihil ultra Navagerii, & Moroni fidem, pro internoscenda Sanctitatis suæ voluntate desiderari debuisse: assentiri se perlubenter, ac etiam omninò velle, ut caussa Patriarchæ Aquilejensis Synodi judicio finiretur: optionem demùm Venetis Oratoribus dari oportere, num caussam Patrum omnium suffragiis committi vellent, an delegandorum ab universo cœtu Deputatorum votis: quamquàm ipse hoc ultimum probaret magis, modò peritiores omnium Nationum Theologi, (Venetis, aliisve, qui caussam Romæ judicassent duntaxat exceptis) assumerentur.

Hæc ultima, conspirantibus universis, judicii forma servata est. Adlecti die 20. Julii ab universa Synodo, Ecclesiastici in primis omnium Nationum Oratores, Archiepiscopi, Episcopi, altioris famæ Theologi, Itali, Hispani, Galli, Germani, Belgæ, omnes numero viginti quinque, quibus, instante Grimano ipso, ac Venetis Oratoribus, duo Cardinales adjecti sunt. Horum hæc nomina erant, uno quod intercidit, duntaxat excepto. Cardinales Lotharingus, & Madrutius: Oratores, Pragensis, Quinqu' Ecclesiensis, Præmiliensis, & Augustensis: Archiepiscopi, Granatensis, Bracarensis, & Rheginus: Episcopi, Ebroicensis, Sagiensis, Conimbricensis, Segoviensis, Mutinensis, Leriensis, Atrebatensis, Campaniensis, Theanensis, Iprensis, Namurcensis, Legionensis, Dertusensis: Abbates, Clarævallensis, Augustinus Hispanus, Euthicius Flandrus,

drus : Generalis Augustinianus. Totius œcumenicæ Synodi nomine, Grimani Epistolam hæreseos insimulatam, ejusdemque scripta apologetica, quibus objectas erroris accusationes ante diluerat, per dies viginti quatuor privatim examinarunt, ac cum aliis etiam, ultra deputatos, Theologis contulere. Post privata cujusque studia, publicæ omnium collationi indicta dies est, decima tertia Augusti; ubi collatis, per horas sex, suffragiis universis, concordi, unanimique consilio, ne uno quidem ex deputatis dissentiente, in hanc sententiam itum fuit, quam sacræ Synodi Legati Sancto Carolo Borromæo, sequenti Epistola significarunt.

ILLUSTRISSIME, AC REVERENDISSIME DOMINE OBSERVANDISSIME.

Episcopo Dertusensi, uno ex Deputatis in negotio Patriarchæ Aquilejensis, Mediolanum hinc discessuro, ut invisat Ducem de Sessa, Oratores Veneti curarunt, ut ante ipsius discessum Deputati supradicti referrent, ac dicerent sententias suas. Quare, ut dictis Oratoribus gratum faceremus, coacti sumus intermittere Congregationem generalem postmeridianam, & huic privatæ incumbere, quæ protracta est ab hora decima octava ad vigesimam quartam. Huic adfuere omnes Deputati, quorum nomina jam Illustrissimæ, & Reverendissimæ Dominationi Vestræ scripta sunt, cum adjuncta Illustrissimorum Lotharingi, & Madrutii; excepto Oratore Polono, qui absens ob infirmam valetudinem interesse non potuit. Dixerunt omnes, & singuli per ordinem, juxta loca sua, sententias. Unanimi voto censuerunt omnes, in illa Epistola Patriarchæ non esse verbum ullum hæreticum, & quod in Sancto Augustino, in Sancto Prospero, in Sancto Bernardo, in Sancto Thoma, & in aliis Sanctis Doctoribus non inveniatur. Quare judicarunt omnes absolvendum a calumnia ipsi imposita : asserentes illum nedum proprium, verùm etiam suæ Nationis Theologorum, quibuscum totum negotium priùs diligentissimè contulerant, sensum esse. Granatensis duntaxat, & Segoviensis, tantisper cum aliquo moderamine, visi sunt opinari, dicentes, se hactenus modo suo non plenè discussisse negotium, sed secundùm, quod eo usque perspexerant, judicabant Patriarcham absolvendum; reservantes sibi liberam facultatem, aliàs dicendi securiùs sententias suas, & volentes priùs videre vota huc Roma transmissa, quæ ad hunc finem ipsis fuere exhibita. Aliqui etiam dixere Authorem hujus Epistolæ in scholasticis minùs exercitatum sese exhibuisse; sed in Apologia rem totam ita luculenter elucidasse, ut nullus superesset scrupulus. Ubi omnes dixere sententiam, rogavimus, ut dignaretur eorum quilibet votum suum scripto compendiosè tradere, ut his attentiùs discussis, ferre sententiam, & judicium possemus : omnes libenter se

id

id præstituros polliciti sunt. Nunc vestra Illustrissima Dominatio videt, quo caussa Patriarchæ sit in statu; poteritque Sanctissimo Domino nostro referre: cumque præsens ad aliud non sit, osculamur manus, & humillimè nos commendamus. Tridenti 14. Augusti 1563.

Vestræ Illustrissimæ, & Reverendissimæ Dominationis humillimi Servi.

Cardinalis MORONUS.
LUDOVICUS *Cardinalis Simoneta.*
STANISLAUS *Cardinalis Varmiensis.*
Cardinalis NAVAGERIUS.


Hoc idem Pio IV. Pontifici Maximo denunciavit Cardinalis Lotharingus, deputatorum Censorum Proto-præses: utque Patriarcham Aquilejensem, unanimi suffragio purgatum, in gratiam reciperet, ac destinata purpura ornaret, vehementer est adhortatus, data Epistola 16. Augusti.

Demùm die 18. Septembris, pronunciati judicii instrumentum in publicas tabulas relatum est, in hæc verba: *Domini nostri Jesu Christi nomine invocato, solum Deum præ oculis habentes, & de aliorum in Theologia peritorum consilio, & assensu, judicamus, attestamur, & pronunciamus, prædictas Literas prædicti Reverendissimi Domini Joannis Grimani, Patriarchæ Aquilejensis, cum Apologia junctas, non esse hæreticas, seu de hæresi suspectas, neque sic declaratas, esse scandalosas: non tamen divulgandas, propter nonnulla difficilia minus exactè in eis tractata, & explicata. Ita dicimus, declaramus, pronuntiamus, sententiamus omni meliori modo.*

Ex ea totius facti narratione, ex Ughellio in Italia sacra, Andrea Mauroceno in Historia Veneta, Tyberio Deciano in Responso 9., Pallavicino in Historia Concilii Tridentini, summatim excerpta, Launojum putidissimorum mendaciorum reum habemus. Falsum quippe, Cives Utinenses Joannem Grimanum tamquam hæreticum traduxisse, & ad Tridentinam Synodum provocasse: cùm contra, adversùs æmulos Criminatores, eruditissimo piissimoque Præsuli, omni pietatis, & humanitatis officio jungerentur. Falsum, Provinciam Fori-Julii, ex Grimani scriptis offensionem aliquam passam esse; cùm potius illum doctrinæ integrum, errorisque purum haberet. Falsum tandem, Judices a Tridentina Synodo delegatos, doctrinam Grimani scripto contentam, minimè prædicandam censuisse, qui doctrinam ipsam, ab omni erroris suspicione liberam, communi calculo pronunciarunt; solamque scriptio-

nem, *propter nonnulla difficilia minus exactè tractata, & explicata*, minimè vulgandam existimarunt. Aliud quippe est doctrinæ summa, aliud scribendi formula; aliud rei caput, aliud accessio.

Imò ex hac una rerum Tridenti gestarum narratione, tota quanta quanta est, calumniæ revincitur Launojana Traditio; atque eo potissimum capite, quo Augustini doctrinam Prædestinatianorum erroribus planè geminam, Vvitkleffi blasphemiis indivulsam, Lutheri, & Calvini hæresibus propitiam, atque finitimam dicere non erubuit. Ex quo enim Joannem Grimanum, in materia prædestinationis, & gratiæ, hæreseos insimulatum, eo maximè nomine absolvendum censuere Sacrosanctæ Synodi Patres, quod ne verbum, quidem unum protulisset, quod in Augustino, ejusque discipulis, Prospero, Bernardo, Thoma Aquinate, cæterisque non haberetur; (sic enim Legati per epistolas Sanctum Carolum monuere) eodem judicio significarunt, Augustini hoc de argumento doctrinam, ab omni hæreseos suspicione liberam esse; eandemque instar lydii lapidis in Ecclesia servari, cujus attactu, sententias omni labe puras probare soleat,



C A-

CAPUT XVIII.

Augustini doctrina non modò nihil, ex Baji, Janseniique damnatione, detrimenti cepit, verùm etiam multò majorem in Ecclesia authoritatem obtinuit.



Icubi unquam, hac maximè pseudo-Traditionis parte, Scriptoris ingenium demirari licet; qui cùm tam multas a viris eruditis Commentationes editas norit, quibus Augustinus a damnatis in Bajo, & Jansenio propositionibus alienissimus demonstratur, eos tamen errores eidem audacissime tribuit, nulla data probatione, nulloque producto momento: (*Pag.* 123. *& seq.*) quasi ea in Republica Literaria valeret authoritate, ut verbo temere, inaniterque jactato, fidem integram faceret. Undè tibi, Launoj, tantum authoritatis, & gratiæ? Nobis longe aliter persuasum: ac donec producta a viris eruditis momenta retuderis, oppositaque, si potis es, in medium attuleris, quibus calumnias illas tuas assimulatæ saltem veritatis specie cohonestes; nobis haud ita vilis est jactura temporis, ut in eadem retexenda tela perituram operam impendamus.

His ergo missis sanctissimi Doctoris testimoniis, quibus hæreticum famosarum propositionum sensum, ab Augustiniano toto cœlo distare, tam multi hactenùs demonstrarunt; quod erit hujus instituti maximè proprium, huic insistam uni; brevique rerum subindè gestarum narratione, planum faciam, Augustini doctrinam non modò nihil, ex Baji, Janseniique damnatione, detrimenti cepisse, verùm etiam multò majorem exindè in Ecclesia catholica authoritatem obtinuisse.

Gregorius XIII. a quo primùm Pii V. in Bajanas assertiones Diploma Pontificium, ex sacris Vaticani tabulis erutum, publici juris factum est, de Augustini fama piè sollicitus, obscurum Sancti Doctoris obtrectatorem æterno silentio damnavit. Testes mihi Theologi Lovanienses *parte* 2. *Defensionis*, non longè a fine: *Rectè*, inquiunt, *prudenterque nuper a Gregorio XIII. factum; quòd uti a viro quodam fide digno accepimus, Cœlestinum imitatus, Scriptori cuidam, cujus nomini parcendum putamus, inverecundiùs adversùs Augustinum agenti, pluraque bujus generis pollicenti, silentium indixerit, atque a scribendo in posterum abstinere jusserit.*

Clemens VIII. ortas ætate sua de divinis auxiliis controversias sedaturus, institutis ad examen congressibus primariam legem edixit, ut cuncta ad Sancti Augustini mentem exigerentur: qui honor nemini Patrum contigisse legitur. *Quamvis*, inquit ille in Prolusione Congregationum, *nemini nisi Deo rationem reddere debeam mearum actionum; dicam tamen in præsentiarum rationes, propter quas adstringere statui totam hanc disputationem ad normam doctrinæ Sancti Augustini de gratiâ. Prima est, quod si, teste Beato Prospero, ferè initio* Libri *contra Collatorem*, *viginti annorum spatio, Ecclesiæ Catholicæ acies itâ dimicavit pro gratiâ, contra Pelagianos, ut tandem Augustino duce vicerit; oportet etiam, ut in caussa consimili eundem ducem agnoscamus, & sequamur. Secunda est, quòd idem Sanctus nihil videtur præteriisse eorum, quæ ad præsentes controversias pertinent. Quandoquidem si agitur de necessitate gratiæ, eam describit dicens, esse necesse, ut nos præveniat, comitetur, & sequatur. Si de vi, asserit vires efficacissimas præbere voluntati. Si de effectu, testatur facere ex nolente volentem. Si de modo, asserit Deum id facere omnipotentissima facilitate. Denique sic dissolvit objectiones, ut doceat liberum abitrium, non tantùm bene cum illa gratiâ, quam defendit, cohærere; sed etiam fieri liberius, quando ab illa fuerit liberatum. Tertia tandem ratio est, quòd cùm multi Pontifices, & prædecessores nostri doctrinæ Sancti Augustini tam acres fuerint assertores, ac vindices, ut quasi hæreditario jure eam in Ecclesiâ relinqui voluerint; æquum non est, ut patiar illam ea hæreditate privari*. An ita porrò dirimendæ de divinis Auxiliis controversiæ normam dedisset Ecclesiæ Pontifex illum ipsum, quem ante annos triginta in Bajo damnatum existimasset, Prædestinatianis, Lutheranis, Calvinianis erroribus tinctum; imò quem, vel levi violati arbitrii suspicione laborantem credidisset? Id si dicat Launojus, sanandus helleboro potiùs, quàm rationibus refellendus est.

Innocentius X., a quo primùm quinque Jansenii propositiones inustæ sunt, haud semel pendente caussa professus est, Augustini doctrinam de gratiâ se ipsa efficaci in vado esse, atque in nullum damnationis discrimen adduci, sed sartam, tectamque manere. Idemque lato demum judicio, quorumdam Gallorum Episcoporum delegatis Theologis significavit, dum se illis in alloquium dedit. Quod ut est Urbi, & Orbi notissimum, Launojum haud arbitror latuisse. Vulgata enim jam dudùm est Domini *de Valencey* pro Rege Christianissimo, apud Innocentium X. Oratoris Epistola, ad Comitem *de Brienne* sanctioris Consilii Commentariensem, data Romæ die *6.* Junii *1653.* locupletissimam Oraculi Pontificii fidem faciens; cujus fragmentum ex Gallico idiomate Latinis verbis reddo:

reddo : *Die Jovis ultima, summo Pontifici dixi, Doctores, qui vulgo Sancti Augustini defensores dicuntur, pergratum habituros, si proxime discessuri ad pedum oscula admitterentur, & Apostolicâ benedictione donarentur. Respondit Sanctitas sua, se illos die sequenti, quibuscumque tandem negotiis distringeretur, ad audientiam accepturos. Nec verò promisso defuit. Honorificentissimis verbis Doctores istos prosecuta est : dixitque se intactam penitùs reliquisse Divi Augustini, ac Divi Thomæ doctrinam, de gratiâ se ipsa efficaci; illudque dogma, ac totam ea de re controversiam, eodem loco stare velle, quo fuerant a Clemente VIII., & Paulo V. constituta. Verùm quinque Propositiones damnari, ut erroneas, ac temerarias oportuisse; cùm, vel ipsis etiam fatentibus, triplicem sensum paterentur, Calvinianum unum, Pelagianum alterum, tertium demùm Catholicum; sensumque idcircò aliquem hæreticum, præ se ferrent. Nulla siquidem propositio, cui venenum subesse potest, fidelibus tradi debet : utì nec in pascua ducuntur oves, quibus salubres promiscuè, ac veneno infectæ herbæ liberè crescunt, ne fortè toxico pereant, quæ bonum a malo secernere plerumque nesciunt &c.* Quamquàm quid juvat Pontificiæ voluntatis testes proferre, quam ipsemet Orbi catholico, solemni Decreto testatam reliquit, die 23. Aprilis anno 1654. quo verbis conceptissimis profitetur, *super quæstione* de divinis Auxiliis, *observanda esse Decreta Pauli V. & Urbani VIII. suorum Prædecessorum* : eodemque idcircò loco esse, quo, solutis celeberrimis Congressibus, ea de re habitis, ab Apostolica Sede relicta sunt.

Alexander VII. cujus est altera, in quinque famosas propositiones, Apostolica Constitutio, Augustini doctrinam, non modò districtis censuris securam dixit, verùm etiam inconcussam, tutissimamque pronunciavit; & catholicos Professores, ut eidem hærerent firmiter, vehementer est adhortatus; ejus ope adversus quascumque hæreses feliciter certaturos. Cùm enim Jansenianâ hæresi ab æmulis insimulati Theologi Lovanienses, fidem suam Apostolicæ Sedi solemniter testaturi, datis Epistolis significassent, se in materiâ prædestinationis, & gratiæ, Divi Augustini, ac Divi Thomæ doctrinam profiteri, hoc ab laudato Pontifice Responsum accepere die 7. Augusti 1660. *Non dubitamus, quin vos pro singulari scientiæ, pietatisque studio, sanam, & incorruptam, qualem tot Apostolicæ Sedis declarationes, & sanctorum Patrum traditiones requirunt, doctrinam semper amplexuri, & adversus orthodoxæ Religionis hostes defensuri sitis, necnon præclarissimorum Ecclesiæ Catholicæ Doctorum, Augustini, & Thomæ Aquinatis inconcussa tutissimaque dogmata sequi semper, ut asseritis, & impensè revereri velitis : Quorum profectò sanctissimorum virorum, penes*

Catho-

Catholicos universos, ingentia, & omnem laudem supergressa nomina, novi praeconii commendatione non egent. Quo nullum illustrius prisci Pontifices sancto Doctori elogium cecinere: ut prorsus auctam, Jansenianarum rixarum occasione, Augustinianæ doctrinæ famam, existimationemque videamus.

Alexandro VII. succinit Clemens X. Brevi Apostolico die 18. Decembris 1671. quo universis Christi fidelibus, festa Sancti Augustini die, templa Augustiniensis Ordinis adeuntibus, ibique pie supplicantibus, plenam indulgentiam impertit. Decessoris verba æmulatus, aliaque de suo adjiciens hanc Doctori sanctissimo lauream circumponit: *Eximia, omnisque humanæ laudis præconium longe supergressa Sancti Augustini Episcopi, & Confessoris, Ecclesiæ Doctoris præcellentissimi, qui spiritu Dei plenus, hæresum, errorumque tenebras, tanquàm fulgentissimum Christianæ eruditionis jubar, profundissimis, simulque Sole clarioribus scriptis profligavit; & hominum corda eo, quo ipse ardentissime flagrabat, charitatis igne succendit, decora grato, devotoque mentis affectu recolentes, &c.*

Succedit Innocentius XII. Rescripto ad Academiam Lovaniensem dato, die 6. Februarii 1694. Ubi veterum Pontificum de Augustino elogia recolens eundem saniòris doctrinæ Magistrum proponit, quo duce certum illis, de orthodoxæ fidei hostibus, triumphum spondet: *Apostolica vos primùm authoritate monemus, ut sublatis contentionibus, sapientiæ, quæ desursum, atque pacifica est, vacetis; profitentes, sicut asseritis, doctrinam præclarissimorum Doctorum Augustini, & Thomæ: quorum ille tantæ scientiæ fuit, ut inter Magistros optimos, etiam a nostris Prædecessoribus haberetur, & cujus doctrinam, secundùm eorumdem Prædecessorum statuta, Romana sequitur, & servat Ecclesia: alter verò mira eruditione eandem Dei Ecclesiam clarificat, & sancta operatione fœcundat. Hos dum Universitas vestra doctrinæ duces secuta fuerit, securè pugnabit contra hostes orthodoxæ fidei, in Ecclesiæ gloriam, & ædificationem; excitabitque in dies hanc Apostolicam Sedem, ut cumulatiùs ei præstet paternæ charitatis officia.*

Cui ergo integram fidem dabimus, ut Romanorum Pontificum Jansenianam hæresim proscribentium mentem perspectam habeamus? Launojo, Augustinum in Jansenio damnatum pro arbitrio effutienti: an ipsis summis Ecclesiæ Hierarchis, Augustini de gratia doctrinam; quo ex tempore sententia in Jansenium lata est, commendantibus; certamque emergentium hoc de argumento controversiarum regulam præfigentibus?

Secundùm hæc Romanorum Pontificum oracula, Eminentissimorum Cardinalium Senatus de tuenda fide, Augustini doctrinam ab omni

omni Bajanæ, & Jansenianæ hæreseos suspicione liberam dixit; quique secus obliquè saltem statuerent, repetitis edictis coercuit, & ad palinodiam adegit. Hinc anno 1691. Religiosi cujuspiam instituti Decretum in generalibus Comitiis die 28. Junii, a Definitoribus conditum rescidit, & a domesticis Ordinis tabulis expungi jussit, quo statuerant boni Patres, *ut, ad evitandas quasdam doctrinas, quæ quandam affinitatem cum propositionibus jam olim, contra Bajum, Jansenium, aut similes, per summos Ecclesiæ Pastores damnatis, habere videntur;* gratia congrua, & prædestinatio meritis nixa, a suis Belgii Professoribus docerentur. Iniquum scilicèt reputavit sacer Consessus, ut gratia se ipsa efficax, gratuitaque prædestinatio damnatis erroribus tantillum affines dicerentur. Hinc, & anno proximè secuto, cùm quidam Adrianus Van-vvick, vulgatà per Hollandiam Epistolà, gemina illa Augustinianæ doctrinæ capita, Calvinianæ, ac Jansenianæ hæreseos nota inussisset; re ad idem Eminentissimorum fidei Quæsitorum tribunal delata, dedit sacer Ordo Theologos viros, qui de vulgata Epistola sententiam dicerent. Sic illi dato suffragio censuerunt: *Nos infrascripti attentè consideravimus translationem latinam Epistolæ Adriani Van-vvick Presbyteri, Belgico sermone impressa die 27. Augusti 1692., & unanimi voto judicavimus, illam esse manifestè transgressivam Decretorum Sedis Apostolicæ, gravissimè censurando sententiam communem Sanctorum Patrum, & Theologorum de gratuita prædestinatione, & gratiâ per se efficaci: atque ex isto capite, nec non ex audaci, & injurioso modo procedendi, turbando unionem, & pacem inter Missionarios Catholicos, existentes in partibus hæreticorum, censemus esse valdè seditiosam, & scandalosam, atque adeò prohibendam.* Delegatorum Censorum suffragium probarunt supremi fidei Quæsitores: imperata Adriano palinodia; quam, cùm ille refugeret, porrectoque Libello supplici, varia causaretur, meruit fulmen secundum: iterato mandato, per Apostolicum Belgii Internuncium denunciato, jussum illi, ut colla submitteret, porrectusque Libellus, die 19. Maji, publico Decreto inustus est.

Hæc Romæ gesta, in Orbis videlicet theatro, in humani generis conventu. Haud minori pietatis, ac religionis studio inflammata Hispaniarum Inquisitio Vallisoletana, Augustini nomen variis injuriis, & calumniis appetitum vindicavit: iniquos obtrectatores, quorum audaciam æmulatus est, ac etiam superavit insulsus Traditionis investigator, edicto repressit: subjectas propositiones, quas imprudens Calvini, & Baji confutandi zelus Theologis nonnullis exciverat, confixit die 28. Martii 1650. uti *respectivè falsas, improbabiles, absurdas, malè sonantes, piarum aurium offensivas, temerarias, erroneas, sapientes hæresim, & graviter injuriosas*

ſas ſanctitati, pietati, & doctrinæ glorioſiſſimi Patris Sancti Auguſtini, unius ex Eccleſiæ columnis. His porrò verbis efferebantur.

1. *Auguſtini quædam dogmata, ab Apoſtolica Sede in terminis damnata ſunt.*

2. *Miſera foret Eccleſia, ſi Auguſtini placitis obſtricta maneret.*

3. *Eccleſia a tutela, & pædagogia Auguſtini vindicanda eſt.*

4. *Auguſtini autboritas non plus valet, quàm rationes, quas allegat, evincant.*

5. *Auguſtinus Doctor fuit, perindè, ac alius quiſque, etiam modernorum.*

6. *Auguſtini dotes, ſeu naturales, ſeu infuſæ, non fuere altioris ordinis, quàm aliorum Doctorum, etiam ſcholaſticorum.*

7. *Si poſt Auguſtinum nihil chriſtianæ eruditioni acceſſerit, ſcholaſtica Theologia penitus rejicienda foret.*

8. *Auguſtini autboritatem interponentibus reſpondendum eſt, Eccleſiam in ſuis filiis uſque hodie creſcere, etiam eruditione.*

9. *Auguſtinus Juliani Pelagiani argumentis non ſatisfecit.*

10. *Si triumphus Eccleſiæ de Pelagianis niteretur poſterioribus Auguſtini ſcriptis, immeritò de iis illa triumphaſſet.*

11. *Volens ſuſtinere partes Juliani, non poteſt rationibus convinci.*

12. *Auguſtini Theologia, de originalis peccati traduce, ruſticana eſt.*

13. *Ex Auguſtini opinione de peccato originis, cogimur incidere in ſententiam Pelagii.*

14. *Auguſtinus ſacrarum Literarum autboritatem ſua expoſitione enervat, & ludibrio infidelium exponit.*

15. *Auguſtinus, quaſi ſub caligine conſtitutus, ad veritatem a recentioribus inventam non attendit.*

16. *Auguſtini ſententia fidelium non paucos turbavit, ejuſque autboritate percuſſi in Pelagianiſmum declinarunt.*

17. *Auguſtini ſententiam a multis duram nimis, indignamque divina bonitate, ac clementia judicari, non mirum.*

18. *Ab Auguſtino, aliiſque idem ſentientibus peti poteſt, undenam ſuæ ſententiæ certitudinem hauſerint?*

19. *Auguſtini veſtigiis non eſt inſiſtendum, ſed aliter philoſophandum.*

20. *Auguſtini locutiones, quamvis aliquo ſenſu veræ, impropriæ tamen ſunt, nec paſſim frequentandæ.*

21. *Utrùm Auguſtinus, contra quod ſentimus, ſentiat, non admodum refert.*

22. *Non rectè dicitur, illud ſaltem neceſſariò ab omnibus eſſe tenendum, quod Auguſtinus aſſeruit, nec retractavit.*

Te ne verò indictam prætermittam, Ecclesia Gallicana, cui Augustinianæ doctrinæ tuendæ cura jam tùm a primis sæculis, ab Apostolica Sede imposita est? Hæc ut Jansenii damnationem apud Innocentium X., & Alexandrum VII. prosecuta est, illorumque Constitutiones prono, ac reverenti excepit animo; ita Augustini doctrinam a Janseniana planè diversam declaravit sæpè numero; ne eo, quæ a nonnullis jactabatur inter utramque consonantiæ, obtentu, fideles a præstanda in integrum obedientia, absterrerentur.

Primum publicæ hujus professionis instrumentum extat in Actis Comitiorum generalium anni 1655. pag. 705. ubi cùm de publicanda Innocentii X. Constitutione ageretur, hæc publicis tabulis inscripsit, queis suam in Augustinum venerationem, cultumque testata est. *E re præsenti visum est, istud maximi momenti caput dilucidiùs aperire, ad fidelium solatium, qui summa, ut par est, in Augustini doctrinam religione ducuntur; verenturque, ne quid ex Apostolica Constitutione nocumenti passa sit. Verùm spes nobis est, fore, ut subtimidi illi, qui ea de re non tam studio, & ingenio, quàm auribus judicant, Cleri Gallicani judicio potiùs cessuri sint, quàm privatorum quorumdam sermonibus; quorum perspicacia cum totius Ecclesiæ Gallicanæ eruditione conferenda non est, multò minùs cum totius Ecclesiæ catbolicæ doctrina, quæ in hanc publicam professionem conjunctis nobiscum animis, studiisque conspirat, Jansenii nempè doctrinam ab Augustiniana longè distare.*

Alterum videre est, in celebri illa fidei formula, quam ab omnibus Ecclesiastici Ordinis viris, ac etiam Monialibus, & Ludimagistris, in suspicionem adductis, subscribendam edixit. Quamquàm enim sæpiùs ad incudem revocata fuerit, annis 1655., 1656., & 1657., donec ultimam formam acciperet; hanc tamen clausulam initio positam constantissimè tenuit, qua nimirum fideles profiteri tenentur; *Quinque famosas propositiones a Summis Pontificibus, & Episcopis damnatas, ex Augustini sententia non esse, quam Jansenius perperam, & contra germanum sanctissimi Doctoris sensum exposuit.*

Tertium legitur in Actis Comitiorum generalium anni 1660. pag. 533. memoratæ clausulæ occasione, cujus hæc ad Augustini gloriam ratio redditur: *Adnexa formulæ clausula, qua Divi Augustini mentio fit, post decreta fidei, instar documenti pastoralis adjecta est, ex universalis Ecclesiæ sententia, quæ Jansenii doctrinam hæresis notat, simulque Augustini doctrinam approbat.*

Extremum tandem iteratæ professionis instrumentum habetur

tur in Cenſura, ſeu Declaratione Conventus generalis Cleri Gallicani in Palatio San-Germano celebrati anno 1700., qua, pari omnino ſtudio, in eos virgam exercet, qui aut Pontificias in Janſenium Conſtitutiones minùs reverenter exciperent, aut ab Auguſtini doctrina, quaſi minùs tuta deflecterent: *Nec interim* (Præfationis verba ſunt) *oblivisci par eſt doctrinæ adversùs Semipelagianos a Sancto Auguſtino traditæ, quam & Eccleſia Romana ſuam fecit, & Eccleſiæ Gallicanæ jam inde ab initio commendavit*.

Tam diſerta, tamque multiplici Romanorum Pontificum, ſupremorum fidei Quæſitorum, Gallorumque Præſulum teſtificatione, totâ Launojus formulâ cadit. Nec modo, qua parte Auguſtinum in Bajo, Janſenioque damnatum effutit, attonſus eſt, verùm etiam totâ, qua latè patet, malè nata ſcriptione; qua eundem violatæ veterum Traditionis, inductæ novitatis, & erroris inſimulat: niſi eò fortè deſipiat, ut Eccleſiam qu que ſuſceptæ ex eo novitatis, ebibitique erroris incuſet; quæ doctrinam ejus, laudatorum Pontificum, Præſulumque judicio, tanquam hæreditariam dotem accepit, fecitque ſuam.


Verùm, quid iſta congerimus, Launojùmque ad Conciliorum, Pontificum, Epiſcoporum, Doctorumque judicia, prolixa hac noſtra ſcriptione provocamus? Suo ipſe judicio cadit, qui ſuum tandem in caput omnium diſertiſſimè pronunciat; totamque calumniis, mendaciiſque infartam ſcriptiunculam, unica ſub finem periodo ſubvertit: Deo ita providente, ut quod de Pelagio ſua ipſius profeſſione damnato, cecinit Divus Proſper, de Pelagii quoque adſtipulatore caneremus.

Ore malam extinguens ſobolem, quam protulit ore.

Pagina ſiquidem 126., qua ultimam commentitiæ Traditioni manum imponit, ita Janſenii periclitationem narrat: *Tametſi contenderet Janſenius, doctrinam Auguſtinianæ contrariam, a quinque duntaxat ſæculis in Eccleſiam inductam eſſe; nihilque eam quingentorum annorum poſſeſſionem obeſſe debere, ne inducta adversùs Auguſtinum novitas proſcribatur: quamquàm etiam affirmaret, Auguſtini doctrinam, & antiquam, & catholicam eſſe; iiſque duntaxat novam videri, quibus ignota antiquitas eſt*: EAQUE OMNIA JANSENIUS LUCULENTISSIMIS ARGUMENTIS EVINCERET; *non auditus quidem eſt, uti nec alii, qui hoc idem ante tentarunt*. Benè profectò, Launoj, benè prorsùs. At interim dic, ama-

amabò, qua fronte Auguſtinum toto paſſim Libello novitatis inſimulas, erroris arceſſis, violatæ priorum ſæculorum Traditionis accuſas : ſiquidem, ipſo te judice, doctrinæ ejus antiquitatem, orthodoxiam, ſummam cum veteribus conſenſionem, luculentiſſimis argumentis Janſenius evicit ; oppoſitamque ſententiam, a quinque duntaxat ſæculis inductam, apertiſſimè demonſtravit ? De te igitur actum ; ore tuo decreta ſententia. Malè natam ſcriptiunculam longa dele litura:

Frange leves calamos, & ſcinde Thalia Libellum.



CAPUT XIX.

Launoji, de violata ab Augustino priorum sæculorum Traditione, criminatio, ex dictis eliditur; eademque ab omni veri specie remotissima demonstratur.



Onsutata Launoji historica narratione, de adversa, ut contendebat, Augustinianæ doctrinæ fortuna, quam, ex quo tempore vulgata ab ipso est, ad nostra usque tempora passa fuerit; reliquum est, ut quam ad ravim usque ingerit, de violata ab Sancto Doctore superiorum sæculorum Traditione, criminationem repellamus. In qua quidem obeunda provincia, media subeundi oneris parte levati sumus: ea, quippe statuimus, ac probavimus hactenus, quæ insulsam criminationem elevent, ac falsi revincant.

Et quidem, hoc idem a Massiliensibus quondam objectum, ex Prospero discimus, data ad Augustinum *Epistola*: *Multi ergo servorum Christi, qui in Massiliensi Urbe consistunt, in Sanctitatis tuæ scriptis, quæ adversùs Pelagianos hæreticos condidisti, contrarium putant Patrum opinioni, & Ecclesiastico sensui, quidquid in eis de vocatione electorum, secundùm Dei propositum, disputasti.* Et paulò infra: *Et cùm contra eos scripta Beatitudinis tuæ validissimis, & innumeris testimoniis divinarum Scripturarum instructa proferimus, ac secundùm formam disputationum tuarum, aliquid etiam ipsi, quo concludantur, adstruimus; obstinationem suam vetustate defendunt: & ea, quæ de Epistola Pauli Romanis scribentis, ad manifestationem divinæ gratiæ prævenientis electorum merita proferuntur, a nullo unquam Ecclesiasticorum ita esse intellecta, ut nunc sentiuntur, affirmant.* Ac tandem multis interjectis: *Illud etiam qualiter diluatur, quæsumus, patienter insipientiam nostram ferendo, demonstres, quod retractatis priorum hac de re opinionibus, penè omnium par invenitur, & una sententia, qua propositum, & prædestinationem Dei secundùm præscientiam receperunt.*

Hac illos Augustinum objectione pulsasse, nil mirum; cùm ea ætate temporum degerent, qua communem Ecclesiæ sensum persentire non vacabat: verùm ad præsens excusationem objectio ista non habet, ex quo catholici orbis mentem internoscere licuit. Cùm enim, ut ex dictis compertum arbitror, Apostolica Sedes,

facra Concilia, utriufque Ecclefiæ, cùm latinæ, tùm græcæ Patres, Auguftini doctrinam, ex quo primùm vulgata eft, ad hanc ufque diem exceperint, coluerint, propugnarint; eam certè priorum fæculorum Traditioni confentaneam fateri neceffe eft, nondum licet excuffis veterum monumentis; ne univerfam cum Auguftino erraffe Ecclefiam, & a Majorum Traditione exorbitaffe concedamus. Si enim contrariam antiquis Patribus Auguftini doctrinam putavit Ecclefia, cur eam probavit, fecitque fuam? Si contrariam non cenfuit, imo confentaneam prorfus agnovit; quâ fronte, quave audaciâ, ab Launojo contraria prædicatur?

Ad hæc, Pontifices, Concilia, Patres, quorum hactenùs fententias recitavimus, eo maximè titulo geminis illis Auguftinianæ doctrinæ capitibus, ab tetrico Cenfore in invidiam traductis calculum adjecere, quòd illa antiquitatis jure potiora, & veterum inftitutionibus confentanea effe exiftimarent. Cœleftinus I. datâ ad Gallos Epiftolâ, *definat*, inquit, *inceffere novitas vetuftatem*: (apud Labb. Tom. 3. pag. 470.) nempè Maffilienfium placita, in quibus delicias facit Launojus, novitatis infimulat; Auguftini verò decreta, quæ morofo Cenfori dividiæ funt, antiquitatis titulo cohoneftat. Bonifacius II. in Refcripto ad Cæfarium Arelatenfem: *Cùm hac de re multi Patres, & præ cæteris beatæ recordationis Auguftinus Epifcopus, fed & Majores noftri Apoftolicæ fedis Antiftites, ita ratione probentur differuiffe latiffimâ &c........ Confeffionem veftram confentaneam catholicis Patrum regulis approbamus*. (apud Labb. Tom. 5. pag. 831.) Viden ut Auguftinum prifcis Ecclefiæ Patribus, ac fummis Ecclefiæ Hierarchis doctrinæ focium adjungit? Concilium Araufícanum II. Canones fuos, ex ejus Libris fyllabatim expreffos, *definitionem antiquorum Patrum* non femel appellat (apud Labb. Tom. 5. pag. 814.) Africanæ Ecclefiæ Præfules, ob catholicæ fidei profeffionem, ab impio Rege in exilium acti, Faufti Rejenfis Epifcopi Libros, queis Auguftinum refellendum fibi fumferat, *præcedentium Patrum confonâ prorfus atteftatione confutatos* fignificant, *Epiftola* Synodicâ Scythis Monachis deftinatâ. (apud Labb. Tom. 5. pag. 740.) Hanc ipfam Hipponenfis Epifcopi doctrinam, in Synodo Valentina, adverfus novos obtrectatores, a fancto Cypriano Tolonenfi Epifcopo vindicatam prodit Hiftoria, *ex antiquiffimis Patrum Inftitutionibus*. (apud Labb. Tom. 5. pag. 819.) Quæ ergo nunc audacia, quæ temeritas eft, novitatis notam objicere, & a primis Ecclefiæ Patribus diffonantiam?

Certè fi ab antiquis Ecclefiæ Patribus abfceffit Auguftinus, maximè a Græcis; qui ut molliùs de gratiæ efficaciâ, deque gratuitâ prædeftinatione locuti videntur, ita fæpiùs ab Auguftini æmulis obji-

objiciuntur. At eam a Majoribus suis dissonantiam ne ipsi quidem Græci deprehenderunt: quippè qui ab Augustini partibus, jam inde ab initio, ac deinceps, stetere firmiter, non modò in Pelagianos, verùm etiam in Massilienses, queis Launojus patrocinium impendit. Non hanc utique deprehenderant Scythæ Monachi, qui Maxentio duce, Fausto, ejusque gregalibus, tota virium contentione restiterunt. Non deprehenderant secundæ Constantinopolitanæ Synodi Patres, qui ea omnia se suscipere declararunt, quæ Augustinus *de recta fide, & condemnatione hæreticorum exposuit*. (apud Labb. Tom. *6.* pag. 42.) Non deprehenderat Photius, qui Romanæ Ecclesiæ licèt infensus, nobile tamen Cœlestini Rescriptum, quo Augustinus miris laudibus fertur, exscribit, ac probat; Prosperumque doctrinæ illius, adversus Massiliensium obtrectationes, strenuum defensorem, (*Cod.* 54.) *Virum planè divinum* appellat, eidemque triumphatum Semipelagianismum gratulatur. Non deprehenderant, uno verbo dicam, totius Orientis Episcopi, qui unanimi cum Occidentis Præsulibus consensione, Augustini de gratuita prædestinatione sententiam receperunt: de quibus Divus Fulgentius *Libro 2. de Veritate prædestinationis, & gratiæ capite* 18. scribit: *Hæc itaque Catholicorum Patrum Apostolicis institutionibus tradita permanet in Ecclesiis, sine aliqua dubitatione, doctrina, quam Græci, Latinique Pontifices, sancti Spiritus infusione firmati, uno, atque indissonabili semper tenuere consensu*. Nemo enim in animum inducat, Græcos homines, Ecclesiæ suæ dignitatis, atque honoris retinentissimos, in Augustini sententiam facilè concessuros, si eam a Majorum suorum placitis exorbitantem judicassent.

At vide criminatorum ingenium. Massilienses, qui primi eo inductæ novitatis probro sanctissimum Præsulem onerarunt, ut ad veteres provocarent, ne ipsis quidem veteribus standum opinabantur; illorumque decreta, non secùs ac Augustini, fastidiebant. A Prospero siquidem, & Hilario appellati, de proferendâ, quam sequi mallent, veterum opinione, cuncta pari supercilio despiciebant; nihilque a se tandem inventum, quod palato saperet, respondebant. Ita Magistrum per Epistolas monuit doctissimus Aquitanus, qui totam illam scenam oculis bibit: *Ea, quæ de Epistola Apostoli Pauli Romanis scribentis, ad manifestationem divinæ gratiæ prævenientis electorum merita, proferuntur, a nullo unquam Ecclesiasticorum ita esse intellecta, ut nunc sentiuntur, affirmant. Cumque, ut ipsi ea exponant, secundùm quorum velint sensa, deposcimus, nihil se profitentur invenisse quod placeat, & de his taceri exigunt, quorum altitudinem nullus attigerit*. Nulla ergo inconditæ accusationis habenda ratio, quam qui primò conflaverant, tam miserè sustinebant.

Sed

Sed, & qui Augustini genium noverint, quàm scilicet aversum ab omni novandi prurigine animum gereret, quantâ in priscos Ecclesiæ Patres religione teneretur, quàm arctè veterum decretis, in sacris Literis exponendis, standum ediceret; satis opinor intelligent, ne veri quidem specie obductam esse futilem illam, & inconditam, de violatâ veterum Traditione, criminationem. Pelagianis id vitio dare solitus erat sanctissimus Doctor, quod a Majorum doctrinâ deflecterent: *Lib. 2. Operis imperfecti contra Julianum cap. 37. Si in Concilio, cujus videris desiderare judicium, sederent Cyprianus, Hilarius, Ambrosius, Gregorius, Basilius, Joannes Constantinopolitanus, ut alios taceam; nunquid doctiores, prudentiores, veraciores judices quærere auderes? Ipsi contra dogmata vestra clamant, ipsi scriptis suis scripta vestra condemnant. Lib. 2. alterius Operis cap. 8. Itane in corde vestro dicere audetis, quod cùm vos audiunt, accenduntur homines ad virtutem, cùm autem istos audiunt, tantos, ac tales viros, Cyprianum, Hilarium, Gregorium, Ambrosium, cæterosque Sacerdotes Domini, desperatione franguntur, ac renunciant studiis perfectionis? Hæccine monstra cogitationum ascendunt in cor vestrum, & non elidunt faciem vestram?* Et *capite* 10. *Propter quam catholicam veritatem, sancti, ac beati, & in divinorum eloquiorum pertractatione clarissimi Sacerdotes, Irenæus, Cyprianus, Reticius, Olympius, Hilarius, Ambrosius, Gregorius, Innocentius, Joannes, Basilius, quibus addo Presbyterum, velis nolis, Hieronymum, ut omittam eos, qui nondum dormierunt, adversus vos proferunt, de omnium hominum peccato originali obnoxia successione, sententiam; unde nemo eruit, nisi quem, sine lege peccati repugnante legi mentis, Virgo concepit.* Qui itaque fieri potuit, ut quod aliis vitio vertebat, id volens ipse lubensque admitteret, novis de divinæ gratiæ efficacia, gratuitaque prædestinatione procusis opinationibus, veterum Patrum traditione neglecta, & conculcata? Alterum Pelagianis crimini dabat Hipponensis Antistes, nempè, quòd rectam Scripturarum intelligentiam, non ad Patrum calculos exigerent, sed ex privato sensu metirentur. *Libro de Gratia Christi cap.* 42. *Quia eas* Scripturas Sanctas *secundùm suum sensum legunt, profectò in illis, nec apertè contuentur. Utinam ergo saltem in catholicorum virorum scriptis, a quibus eas rectè intellectas esse non dubitant, quid sit de adjutorio divinæ gratiæ sentiendum, non negligenter attenderent, nec suæ sententiæ amore nimio præterirent.* Quis ergo id eum sibi sumpsisse putet, ut in cudendo prædestinationis, & gratiæ systemate, sacras Literas ad arbitrium exponeret, flecteretque in sensus antiquis Ecclesiæ Patribus inauditos?

Aliud certè Augustino in animo erat, qui Patribus non univer-

sis

ſis tantùm, aut numero pluribus, ſed ſingulis etiam aſſurgendum, ſubſcribendumque putabat; unum interdùm Ambroſium, aut Chryſoſtomum, ut ineluctabilem obicem Pelagianis opponens. Quod ſanè nec tam ſæpè, nec tam fidenter attentaſſet, ſi, & ipſe in conjunctiſſimis, graviſſimiſque quæſtionibus, ſpreta veterum Traditione, novellas opiniunculas, ignotaſque ſacrorum Librorum explanationes obtruſiſſet. Imò ea religione veterum dictatis hærebat, ſuorumque præceptorum ſententiis ſtabat, ut hoc illi exprobrarent Pelagiani, quorum convicia non modò æquo ferebat animo, verùm etiam lucro vertebat. *Libro 1. Operis imperfecti contra Julianum Pelagianum capite 86. Nobis ineſſe conviciaris impietatem veterem, quoniam dogmata antiqua Catholica, quæ docuerunt, qui Eccleſiam Chriſti ante nos, in ejus gratia vera pietate rexerunt, contra perverſitatem veſtram novitiam, quantulocumque labore defendimus. In te igitur agnoſce ſtultitiam, in te impudentiam, in te impietatem, non veterem ſanè, ſed novam.* Et *Libro 6. capite 21. Magnam te mihi putas invidiam comparare, cùm dicis, nihil me a meo præceptore differre: at ego in laudem meam tua ſumo convicia .... Gaudeo prorſus, in hac, quæ inter nos vertitur, quæſtione, me nihil a meo præceptore differre .... Præceptores etiam meos negare non debeo, qui me ad hoc intelligendum ſuo literario labore juverunt. Meus præceptor eſt Cyprianus .... Meus eſt præceptor Ambroſius, cujus non ſolùm libros legi, ſed verba etiam loquentis audivi, & per eum lavacrum regenerationis accepi. Longè ſum quidem impar meritis ejus: ſed confiteor, & profiteor, me in hac cauſſa nihil ab hoc meo præceptore differre .... Ego itaque adversùs te, & meam defendo, & illorum fidem, quos palam times habere inimicos, & invitus pateris judices.* Haud itaque veroſimile eſt, ſanctiſſimum Præſulem, hujus ſuæ profeſſionis immemorem, novam in Pelagianis exagitandis viam calcaſſe, impervios præceptoribus calles aperuiſſe, ignotaque Majoribus Paulinarum Epiſtolarum interpretamenta commentum eſſe, ut ſingulares ingenii partus effunderet.

Et quidem ut primùm hanc ſibi a Maſſilienſibus ſtructam calumniam, ex binis Diſcipulorum ſuorum Epiſtolis, intellexit; nulla interpoſita mora, omnem a ſe inductæ novitatis invidiam amovit. Doctrinæ antiquitatem ternis præſertim argumentis aſſeruit. Primùm, ex mira cum Apoſtolo conſenſione, cujus oracula fermè ſexcenta, ex variis ejuſdem Epiſtolis, atque ex illa præſertim, quæ ad Romanos ſcripta eſt, defloravit, Libris de dono perſeverantiæ, deque prædeſtinatione Sanctorum. Hac

Hac portò Apostoli suffragatione haud temere gloriatum Augustinum, pronunciavit Hormisdas Romanus Pontifex, data ad Possessorem *Epistola*: *De arbitrio tamen libero*, inquit, *& gratia Dei, quod Romana (hoc est catholica) sequatur, & asseveret Ecclesia, licèt in variis libris Beati Augustini, & maximè ad Hilarium, & Prosperum, possit cognosci, tamen in Ecclesiasticis scriniis expressa Capitula continentur, quæ si tibi desunt, & necessaria credis, destinabimus, quamquàm qui diligenter Apostoli dicta considerat, quid sequi debeat, evidenter cognoscat*: Eo brevi verbo satis innuens, Augustinianæ hoc de argumento doctrinæ summam, Paulinis Epistolis contineri.

Secundò, ex fusis omni retrò ætate Ecclesiæ precibus, de quibus hæc habet *capite* 23. *Libri de dono perseverantiæ*: *Utinam tardi corde, & infirmi, qui non possunt, vel nondùm possunt Scripturas, vel earum expositiones intelligere, sic audirent, vel non audirent in hac quæstione disputationes nostras, ut magis intuerentur orationes suas, quas semper habuit, & habebit Ecclesia ab exordiis suis, donec finiatur hoc sæculum. De hac enim re, quam nunc adversus novos hæreticos, non commemorare tantùm, sed planè tueri, & defensare compellimur, nunquàm tacuit in precibus suis, etsi aliquando in sermonibus exerendam nullo urgente adversario non putavit. Quandò enim non oratum est in Ecclesia pro infidelibus, atque inimicis ejus, ut crederent? Quando fidelis quisquam amicum, proximum, conjugem habuit infidelem; & non ei petivit a Domino mentem obedientem in Christianam fidem? Quis autem sibi unquàm non oravit, ut in Domino permaneret? Aut quis Sacerdotem super fideles Dominum invocantem, si quando dixit*: Da illis Domine, in te perseverare usque in finem, *non solùm voce ausus est, sed saltem cogitatione reprehendere; ac non potiùs super ejus talem benedictionem, & corde credente, & ore confitente respondit, amen: cùm aliud in ipsa oratione dominica non orent fideles, dicentes maximè illud*, ne nos inferas in tentationem; *nisi ut in sancta obedientia perseverent? Sicut ergo in his orationibus, ita, & in hac fide nata est, & crescit, & crevit Ecclesia, qua fide creditur, gratiam Dei non secundùm merita accipientium dari. Quandoquidem non oraret Ecclesia, ut daretur infidelibus fides, nisi Deum crederet, & aversas, & adversas hominum ad se convertere voluntates: nec oraret Ecclesia, ut perseveraret in fide Christi, non decepta, vel victa tentationibus mundi, nisi crederet, Dominum sic in potestate habere cor* no-

nostrum, ut bonum, quod non tenemus nisi propria voluntate, non tamen teneamus, nisi ipse in nobis operetur, & velle .... Ille itaque dicat Ecclesiam aliquando in fide sua non habuisse veritatem prædestinationis hujus, & gratiæ, quæ nunc contra novos hæreticos, cura diligentiore defenditur : ille, inquam, hoc dicat, qui dicere audet aliquando eam non orasse, vel non veraciter orasse, sive ut crederent infideles, sive ut perseverarent fideles. Quæ bona si semper oravit, semper ea Dei dona esse utique credidit; nec ab illo esse præcognita unquam ei negare fas fuit. Ac per hoc prædestinationis hujus fidem, quæ contra novos hæreticos, nova sollicitudine nunc defenditur, nunquàm Ecclesia Christi non habuit.

Hujus argumenti vim, quam, productis Ecclesiæ Latinæ documentis, a Launoji technis defendimus *capite* septimo, exploratam perindè habuit Ecclesia Græca; quæ profligatos dudùm Semipelagianos errores, ex hac Divi Basilii precatione demonstravit, quam in altaris sacrificio universus penè Oriens frequentabat : *Dona Domine virtutem, ac tutamentum; malos, quæsumus, bonos facito; bonos in bonitate conserva : omnia enim potes, & non est, qui contradicat tibi : cùm enim volueris, salvas, & nullus resistit voluntati tuæ.* Qua recensita supplicatione, ita colligit Petrus Diaconus, Orientalium Legatorum unus, Libro de Incarnatione, & gratia Christi *capite* 8. *Ecce quàm breviter, quamque succinctè Doctor egregius olim huic controversiæ* (a Massiliensibus motæ, & a Launojo denuò excitatæ) *finem posuit, docens per hanc precem, non a se ipsis, sed a Deo malos homines bonos fieri; non sua virtute, sed divinæ gratiæ adjutorio in ipsa bonitate perseverare.*

Tertiò, doctrinæ antiquitatem veterum testimoniis confirmavit, quos in ea tradenda præceptores, atque magistros habuisse gloriatur, *capite* 19. laudati *Libri de dono perseverantiæ* : *Hoc scio*, inquit, *neminem contra istam prædestinationem, quam secundùm Scripturas Sanctas defendimus, nisi errando disputare potuisse. Puto tamen eis, qui de hac re sententias Tractatorum requirunt, sanctos, & in fide, atque doctrina christiana laudabiliter usquequaque diffamatos viros, Cyprianum, & Ambrosium, quorum tam clara testimonia posuimus, debere sufficere.* Tum recitatis eorum testimoniis, quæ nos subjectis capitibus ex ordine temporum repræsentabimus, ita subjungit : *sed his duobus, qui sufficere debuerunt, sanctum Gregorium addamus, & tertium;* nimirùm Nazianzenum, cujus

jus perinde fragmentum oculis subjicit, ex Oratione in Pentecosten. 44.

Bina tandèm responsa subjunxit sanctissimus Præsul, queis repugnantes in speciem Ecclesiæ Patres faciiè conciliantur: ii nempè, qui aut vocationem non immoto Dei decreto, sed præscientiæ duntaxat innixam posuisse ferebantur; aut molliùs æquo, minusque limate, ante subortam hæresim Pelagianam de divina gratia pronunciarant: *Prædestinasse*, inquit *capite* 18., & 19. *Libri* laudati, *est hoc præscjisse, quod fuerat ipse facturus. Quid ergo nos probibet, quando apud aliquos verbi Dei Tractatores legimus Dei præscientiam, & agitur de vocatione electorum, eandem prædestinationem intelligere? Magis enim fortasse voluerunt hoc verbo in ea re uti, quod, & faciliùs intelligitur, & non repugnat, imò & congruit veritati, quæ de prædestinatione gratiæ prædicatur*. Hoc primum, cujus veritatem probabimus capite ultimo. Et *Libro de prædestinatione Sanctorum capite* 14. *Quid igitur opus est, ut eorum scrutemur Opuscula, qui priusquàm ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem, in hac difficili ad solvendum quæstione versari? quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur. Unde factum est, ut de gratia Dei quid sentirent, breviter quibusdam Scriptorum suorum locis, & transeunter attingerent; immorarentur vero in eis, quæ adversus inimicos Ecclesiæ disputabant, & in exbortationibus ad quasque virtutes, quibus Deo vivo, & vero, pro adipiscenda vita æterna, & vera felicitate servitur. Frequentationibus autem orationum simpliciter apparebat Dei gratia quid valeret: non enim poscerentur de Deo, quæ præcipit fieri, nisi ab illo donarentur, ut fierent*. Hoc alterum Augustini ad objecta responsum.

Verùm quia Patres ab Augustino perperam, temereque laudatos contendit novissimus Criminator, contrariamque superioris ævi Traditionem, tumultuaria veterum Scriptorum recensione, fabricatur, quæ libet, lubetque verba illis affingens, nullumque distinctè locum appellans: operæ prætium erit, in has veterum Patrum sententias inquirere; quò sua Doctori maximo stet fides integra; spuriaque Traditio ab Launojo consarcinata, plena levitatis, atque invidiæ demonstretur. Hoc unum in antecessum admoneo, si Launojo libuisset de originalis peccati dogmate litem intendere; illudque, & priscis Ecclesiæ Patribus ignoratum, & primùm ab Augustino in Ecclesiam inductum fabulari; perindè illi videri potuisse, laudata ab Sancto Doctore, ad illud constabiliendum, veterum testimonia minùs explicata esse; eidemque multa alia illorum oracula re-

pugnare. Haud enim clariori luce refplendet, eorum in fcriptis, originalis peccati confeffio, quàm gratuitæ prædeftinationis, & efficacis gratiæ prædicatio. Procul igitur hinc audax illa tricandi libido, quæ de rebus omnium compertiffimis contentionis funem ducere geftit. Huic fi liber datur aditus, univerfa Patrum Theologia labefactabitur, & protervæ ingeniorum licentiæ committetur.



C A-

CAPUT XX.

Augustinianæ doctrinæ capita a Launojo erroris insimulata, priorum sæculorum Traditione consentanea probantur. Primi alteriusque sæculi Patres expenduntur.



Uperiorum Augustino sæculorum Traditionem adornaturo, non id est animo constitutum, ut superioris ævi Patres, pari omninò verborum vi, accuratisque ex æquo, & exquisitis dicendi rationibus, divinæ vocationis liberalitatem, gratiæque potestatem docuisse ostendam; quales postmodum Augustinus, quique illi in confutandis Pelagianis, ac Massiliensibus aderant, usurparunt. Ecquis enim id expectet a me, cùm ne quidem in primis fidei capitibus, queis stat Christiana Religio, limatas perinde, & castigatas priorum Ecclesiæ Patrum sententias habeamus, quales subindè, emergentium hæresum occasione, cautiores posteri tradiderunt? Hoc igitur unum in animo est palam facere, priscos Ecclesiæ Patres hæc ipsa gratuitæ vocationis, gratiæque suaptè vi efficacis principia posuisse, eandemque iis in capitibus doctrinæ summam, ac formam ex sacris Literis delibasse, tradidisse, propugnasse, quam exortis postmodum Pelagianis, eorumque reliquiis, distinctiùs, accuratiùs, luculentiùs exposuit Augustinus.

Accedit alterum observatione dignissimum: tribus prioribus Ecclesiæ sæculis, perpaucos libris conscribendis operam dedisse; ac neque ea ipsa, quæ tum edidere Christiani, tametsi paucæ, ad nos pervenisse: sed partem illorum maximam intercidisse, vel injuria temporum, vel hominum in abolendis, quæ ad palatum non sapiebant audacium, fraude, atque nequitia: quod ex tam multis illorum monumentis perspectum est, quorum nuda nomina, aut levia interdum apud Eusebium, & Hieronymum fragmenta supersunt. Insuper quæ e tribus prioribus sæculis ad nos usque scripta pervenere, ab hodiernis de gratia, & prædestinatione quæstionibus, pleraque remotissima sunt. Illorum etenim temporum Tractatores, pro ævi sui ratione, vel Christianam Religionem criminationibus, quibus per calumniam gravabatur, suis lucubrationibus purgant; vel insulsa, & impia ethnicorum sacra exagitant, vel obduratam Judæorum pervicaciam coarguunt, vel portentosa hæreticorum illius ætatis deliria confutant, vel fideles ad patientiam, & Christi fidem fortiter profitendam hortantur, vel quosdam

dam ex occasione Scripturæ locos interpretantur : adeoque de gratia, & prædestinatione, nonnisi obiter, atque aliud agendo, disseruisse perhibentur. Maximè cùm nulli ea ætate temporum hæretici fuerint, qui gratiæ necessitati, ac potestati bellum intulerint; non pauci verò, Simoniani, Marcionitæ, Manichæi liberum arbitrium extinctum irent : quæ res priscos Ecclesiæ Magistros, queis tuendæ fidei cura erat, ad libertatis commendationem compulit potiùs, quàm ad celebrandam divinæ gratiæ potestatem. Quæ omnia non ea mente, eoque consilio notantur a me, quo sunt a Dallæo, cæterisque Traditionis oppugnatoribus observata; ut nihil ex trium priorum sæculorum Patribus exculpi posse significem, quo illorum hoc de argumento sententia dignoscatur : sed ut intelligat spuriæ Traditionis consarcinator, aut certè illius Editor, nec tam multa, nec tam diserta illorum expectari oportere testimonia, quæ omnem prorsùs emergentium hodie quæstionum difficultatem, amoveant ; nisi cum reliquis posteriorum, a nata Pelagiana hæresi, temporum documentis, maximè Romanorum Pontificum, Conciliorumque definitionibus conferantur.

Porrò dum priscos illos doctrinæ Magistros, gratuitæ prædestinationi, gratiæque suapte natura victrici adstipulatos contendo, Launojum, cum quo mihi res est, præsertim in oculis habeo. Idcircò gratuitam prædestinationem in primis intelligo, qualem is intellexit, & ab antiquis Patribus negatam obtendit; electorum scilicet vocationem ad gratiam simul, & gloriam, ex uno Dei proposito derivatam, nullis in antecessum humanæ voluntatis meritis, conatibus, dispositionibus exploratis; ac ne ipsius, quidem boni gratiæ usus, e naturæ penu profecturi, habita ratione. Cùm enim Semipelagianæ sectæ systema vindicandum sibi sumat, ipsumque etiam Augustinum, qui fidem prævijs conatibus dari, ante adeptum Episcopatum existimaverat, ab antiqua demum (*Pag.* 72. 73.) Traditione aberrasse dicat, dum ea exuta opinatione, fidem quoque ex Dei dono esse subindè professus est; liquet planè, Launojum, vocationem etiam ad primam gratiam, seù fidem, minimè gratuitam posuisse; eamque Semipelagianæ sectæ sententiam priscis Ecclesiæ Patribus tribuisse : quod hìc erit peculiari studio refellendum. Quamquàm, & hoc alterum haud levibus momentis indidem ostensuri sumus, ipsam quoque destinationem ad gloriam, gratiæ conferendæ consilium antevertere; ut idcircò Deus electis sit merita collaturus, quia illos destinavit ad gloriam; non contra destinet illos ad gloriam, quòd sit illis merita collaturus. Gratiam pariter se ipsa victricem intelligo, qualem Launojus intelligendam existimavit; vim scilicet suam omnem, ex Dei in hominum voluntates imperio repetentem; veris illis, legitimisque consectariis, & ap-

& appendicibus stipatam, de quibus capite 2. sermo fuit, quæque ille erroris in Augustino audacter insimulavit. Quæ omnia superiorum sæculorum Patribus, non secùs, ac Augustino, explorata probataque fuisse, sequenti recensione demonstramus; qua veram, atque germanam priorum sæculorum Traditionem, Launojanæ, hoc est, spuriæ, & commentitiæ directò oppositam damus; omnesque loquendi formulas, queis divinæ vocationis, & gratiæ liberalitatem, efficaciam, potestatem expressit sanctissimus Doctor, a priscis Ecclesiæ Magistris delibatas ostendimus.

A Patribus exordium ducere convenit, Divi Pauli, cæterorumque novi Instrumenti Scriptorum sententiis prætermissis: quippè, qui eas *capite* 2. ad singulas fermè propositiones Augustinianas, ab Launojo iniquè traductas, ex sacris Literis confirmandas, aut etiam exponendas, repræsentavimus.

Et primò, quidem Clementem Romanum producimus, Petri, post Linum, & Cletum, in Sede Apostolica successorem, Pauli discipulum, & Evangelicæ prædicationis socium, de quo ipse ad Philippenses *capite* 4. v. 3. *Etiam rogo, & te Germane compar, adjuva illas, quæ mecum laboraverunt in Evangelio cum Clemente, & cæteris adjutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitæ*. Is enim gratiæ doctrinam, Romanis ab Apostolo maximè commendatam (*ut inde se prædicatio ejus, velut a capite toto Orbe diffunderet* uti loquitur Augustinus) (*Epist.* 186.) propalavit Ep. 1. data ad Corinthiorum Ecclesiam; cujus authentiam evincunt Irenæi, Origenis, Clementis Alexandrini, Eusebii, Epiphanii, Hieronymi disertissima testimonia: *Labor omnis*, inquit ille, *& contentio vestra diù, noctuque pro universa fraternitate erat, ut numerus electorum ejus cum commiseratione, & conscientia salvaretur*. En jam certum electorum numerum præfinitum, ad vitam ex Dei misericordia obtinendam, peculiari quadam ratione destinatum. Pergit autem: *Volens igitur omnes dilectos suos pœnitentiæ participes fieri, omnipotente sua voluntate stabilivit: quare magnificæ ejus, & gloriosæ voluntati obsequamur, & suppliciter misericordiam, & benignitatem ejus implorantes, relictis vanis operibus, contentione, & æmulatione, quæ ad mortem ducit, ad miserationes ejus advolvamur, & convertamur*. En gratiam pœnitentiæ, stabilitatem suam, ac firmitatem, ex omnipotenti Dei voluntate repetentem; veramque conversionem, ex divinæ misericordiæ, atque benignitatis fonte promanantem. Subjungit verò, multis interjectis: *Castas, & puras manus elevantes, & benignum, & misericordem patrem nostrum diligentes, in sanctitate cordis accedamus ad ipsum, qui nos sibi ipsi electionis sortem fecit*. En planè electionem sortitione, benignitate, misericordia factam: ut quem-

quemadmodum quæ forte nobis obveniunt, nulla meritorum ratione habita, nobis dicuntur obtingere; ita felicitatem æternam, nondum exploratis meritis, nobis a Deo destinari intelligamus. Tum demùm ad gratiæ merita omnia, conatus, & opera prævenientis, commendationem converso sermone, gratuitam justificationem ex gratuita vocatione derivat: *Omnes igitur*, inquit, *glorificati, & magnificati sunt, non per se ipsos, aut eorum opera, aut justas actiones, quas patrarunt, sed per voluntatem ejus. Sic, & nos ex voluntate ejus in Christo Jesu vocati, non per nos ipsos justificamur, neque per sapientiam nostram, intelligentiam, pietatem, vel opera, quæ in puritate cordis, & sanctimonia operati sumus; sed per fidem, per quam omnipotens Deus omnes ab initio justificavit .... Consideremus igitur, fratres, ex qua materia facti simus, qui, & quales mundum tamquam ex sepulchro, & tenebris ingressi simus: qui nos fecit, & condidit præparatis priùs benefactis suis, antequam nasceremur, in mundum suum introduxit*; (apud Labb. Tom. 1. pag. 123. 127. 142. 143., & 147.) Annon, quæso, iis principiis tota nititur Augustini doctrina? Annon iis fundamentis incumbit tota de gratia præveniente, atque victrice, deque gratuita vocatione, superstructa moles?

Id ne Launojum, quidem negaturum existimassem; quippè qui iis ipsis Clementis assertionibus, ab Augustino postmodum usurpatis, nigrum theta præfixit sæpè numero, quasi errorem patentissimum præ se ferrent. At contra res habet: Clementem objicit Augustino; eumque, una cum pseudo Dionysio Areopagita, primi Ecclesiæ sæculi testem conducit, qui contrariæ Augustino Traditioni suffragentur. Hunc ex illo centonem ambitiosiùs ostentat, nullo, pro more, loco indigitato, ac ne verbis quidem distinctè notatis, sed summatim duntaxat excerptis, ut nostram in evolvendis veterum monumentis diligentiam exerceat: *Ab initio duo regna statuit Deus, & potestatem dedit unicuique hominum, ut illius regni fiat portio, cui se ad obediendum ipse subjecerit* .... Et paulò antè: *Hæc via est vitam volentibus ingredi, & summum iter bonorum operum, pergentibus ad civitatem salutis. Si quis sanè audiens sermonem veri Prophetæ, velit recipere aut nolit, & amplecti onus ejus, idest, mandata vitæ, habet in sua potestate; liberi enim sumus*. Quid ea lacinia sibi velit spuriæ Traditionis consarcinator, haud satis capio. (*Vide supra Cap.* 15.) Aut enim id unum extundere vult, stare penes unumquemque liberum arbitrium, ut salutem, opitulante gratia, adipisci queat; a quo tantum abest, ut abhorreat Augustinus, ut potiùs dedita opera propugnarit. Aut hoc alterum eruere sibi putat, ad implenda mandata, viamque salutis ineundam, liberum arbitrium satis esse: quod ne

Pe-

Pelagiani quidem, ultima saltem erroris sui periodo, delirarunt. Tametsi nil juvat in reconditiorem objectæ laciniæ sensum inquirere; quæ ex apocryphorum somniis, ex tertia nimirum pseudepigrapha ad Joannem Christi Domini fratrem Epistola, excerpta est; quam nemo non obæsæ omninò naris, primo oculorum conjectu, spuriam esse non videt.

Sed neque feliciori cynosura istud Ecclesiasticæ Traditionis mare enavigandum ingreditur, dum suum illum Dionysium Areopagitam Clementi Romano, cæterisque Patribus in Augustinum, ut ipse, quidem autumat, pronunciantibus, antesignanum præmittit; quòd Deum, omni delectu posthabito, suam in omnes homines benignitatem exercere dixerit; eo planè modo, quo suam Sol in omnes lucem diffundit, omni semoto discrimine. *In caput* 4. Libri *de divinis nominibus* intendisse Launojum, haud dubium est, cujus sunt hæc ipsa verba, juxta Joachimi Perionii versionem: *Lucis nomine ipsum bonum celebratur, quasi in imagine primum exemplar expressum. Ut enim divinitatis omnia superantis bonitas, a summis, dignissimisque naturis ad ultimas pertinet, atque etiam omnibus præstat, ita ut, nec superiores ad ejus præstantiam perveniant, nec inferiores complexum transeant, sed, & omnia, quæ possunt, illustrat, & efficit, & vivificat, & continet, & perficit, estque eorum, quæ sunt, & mensura, & æternitas, & numerus, & ordo, & complexus, & caussa, & finis: sic etiam, qui clara expressaque divinæ bonitatis imago est magnus hic Sol, totus lucens, ac semper splendidus, pro minima ipsius boni similitudine, omnibus etiam, qui ejus lucem capere possunt, collucet, habetque lumen per omnia diffusum, in omnem hunc mundum, quem cernimus, radiorum suorum splendorem explicans, & sursum, & deorsum: ac si quid est, quod eo non participet, id ejus luminis diffusi tenuitati, aut parvitati non est tribuendum, sed iis, quæ, quia apta non sunt ad capiendum lumen, ad illud capiendum non explicantur.* Verùm quì, quæso, isthæc in Augustinum regeruntur, qui eadem prorsùs habet, cum alibi sæpè, tum maximè *Tractatu* 1. in Joannem? *Non ideo cogitent*, inquit, *quasi absentem esse lucem, quia eam videre non possunt: ipsi enim propter peccata tenebræ sunt. Et* lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. *Ergo, Fratres, quomodo homo positus in sole cæcus, præsens est illi sol, sed ipse soli absens est: sic omnis stultus, omnis iniquus, omnis impius cæcus est corde. Præsens est sapientia, sed cùm cæco præsens est, oculis ejus absens est: non quia ipsa illi absens est, sed quia ipse ab illa absens est.* Quem ergo sensum præ se ferant familiares illæ Augustino, cæterisque Patribus assertiones, quove pacto vindicatis hactenus dogmatibus

 nihil

nihil officiant, postremo capite planum fiet. Interea notare hic satis fuerit, Librum de divinis nominibus, cæterosque de Cœlesti, & Ecclesiastica Hierarchia, deque mystica Theologia, Dionysii Areopagitæ nomen præferentes, recentioris Augustino Græculi fœtum esse; quem in texenda priorum sæculorum Traditione laudare, eo minus Launojo fas erat, quòd is Libros illos pseudepigraphos, & magno Areopagitæ falsò suppositos, prolixa commentatione demonstraverit. Neque tamen, si ita Launojo decretum est, ab illius scriptoris judicio resilimus, sed stamus maximè, qui Augustinianæ doctrinæ summam, Platonicæ scholæ, ut illi moris est, loquendi formulis expressit, hoc ipso laudato *Libro de divinis nominibus capite* 5. *Exemplaria autem esse dicimus*, inquit, *in Deo existentium rationes substantificas*, *& singulariter præexistentes*, *quas Theologia prædefinitiones vocat*, *& divinas*, *& bonas voluntates existentium prædeterminativas*, *& effectivas*, *secundùm quas substantialis essentia omnia prædefinivit*, *atque produxit*. Quo loco non nudas divinæ mentis ideas intelligit Platonicus Scriptor in mera contemplatione positas, queis nimirum rerum merè possibilium informationes animo inseruntur; sed practicas, ut schola loquitur, quibus rerum futurarum, & existentium formæ mente signantur, divinum propositum, decretumque efficax præferentes, quo solo res prædeterminantur, prædefiniuntur, & fiunt. Et *capite* 11. *Cum Angelis divina secundùm virtutem operabimur*, *secundùm providentiam Jesu*, *omnia in nobis cooperantis*, *sed & facientis pacem ineffabilem*, *& ex sæculo prædefinitam*, *& reconciliantis nos sibi ipsi in spiritu*, *& per ipsum*, *& in ipso*, *Patri*. Sed redeamus in viam, & Traditionis seriem resumamus.

Clementi Romano in confitenda Christi gratiâ, succedit S. Ignatius in *Epistolâ* ad Smyrnæos, non illa quidem interpolata, ut aliàs circumferebatur, sed genuina prorsùs, & integra, quam cum sex aliis Usserius Armacanus ex codicibus Anglicanis, & Isaacus Vossius, ex Bibliothecæ Mediceæ codice, publici juris fecerunt: *Oratio vestra*, inquit sanctissimus Martyr, *pervenit ad Ecclesiam*, *quæ est in Antiochia Syriæ*. *Unde ligatus Deo decentissimis vinculis omnes saluto*, *non existens dignus esse extremus ipsorum*: *secundùm autem voluntatem Dei*, *dignus factus sum*, *non ex conscientia*, *sed ex gratia Dei*: *quam oro perfectam mihi dari*, *ut in oratione vestra Deo potiar*. Viden ut indignum se reputet, qui fidelium numero censeatur; sed eam se dignitatem adeptum fateatur, ex Dei gratiâ, & libera voluntate, non ex conscientia bonorum operum?

Iis robur addit Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone Judæo, illud *Psalmi* 21. recolens, *Deus meus*, *es tu*, *ne discesseris a me*;

me; quod hac brevi commentatione illuſtrans ait : *Omnem hominem debere ſpem ſuam in ſolo Deo ponere, & ab eo ſalutem, auxiliumque petere; non, ut ſolent cæteri, fiducia generis, aut opum, aut virium, aut ſapientiæ ſibi polliceri; quemadmodum, & vos ſemper feciſtis. Nam ſi videmus, nec Filium Dei viribus ſuis, aut ſapientiæ ferre acceptam ſalutem, cùm ſit innocentiſſimus, ac ne verbo quidem peccarit; nec putare, ſe poſſe ſine Deo ſalvum evadere : quì fieri poteſt, ut nos, & alii quicumque ſine hac ſpe ſalutem expectant, non ſe ipſos decipiant?* Qui præviis libertatis humanæ conatibus vocationem ad fidem adſcribunt, iinè ſpem ſuam omnem in Deo collocant; ac non veriùs ſalutem ſuam viribus ſuis, ac ſapientiæ, ex parte ſaltem, acceptam ferunt?

Et hìc rursùs ex adverſo obſtrepit commentitiæ Traditionis fabricator, Juſtinum Martyrem ſuum inclamans, quòd ſcripſerit : *Non Deus, ut boni, vel mali ſimus, ſed arbitrium noſtrum cauſſa eſt*. Et iterum : *In nobis eſt, ut caſti ſimus, aut fornicatores. Itaque coronamur, aut punimur de eo, quod in nobis eſt. Nam ad quæ nos arbitrium perducit, propterea vel coronamur, vel punimur. Et nobis Deus vires dedit ad faciendum, verùm eas poteſtati ſubjecit arbitrii*. Tam diſerta in ſpeciem Juſtini Martyris teſtimonia, in germanis, legitimiſque, ut par erat, ejuſdem lucubrationibus, quæſita diù, in ſpuriis tandem, ac nothis invenimus; (*Quæſt.* 82. 86. 127.) in Quæſtionibus, inquam, & Reſponſionibus ad Orthodoxos, quarum ſuppoſitio, vel mediocriter tinctis illicò ſubolet : cùm, & in iis Irenæus, & Origenes, Juſtini ætate poſteriores, perſæpè laudentur; & Manichæa hæreſis, elapſo ſubindè ſæculo excitata, deditâ operâ confutetur. Quis non hìc animo pendeat, dum ſpuria veterum monumenta, ab Launojo in Patrum lectione exercitatiſſimo, indeſinenter obtrudi videt? Nos nihil iſta miramur, quibus ſatis perſpectum eſt, ſpuriam Traditionem, qualem profectò texere inſtituit, ex ſpuriis præſertim veterum monumentis erui debuiſſe.

Laudatorum Patrum ſententiæ adſtipulatur Irenæus, gratiæque triumphis applaudit multò luculentiùs, *Libris adverſus hæreſes* adornatis. Et certè *capite* 10. *Libri* primi, quorumdam præ cæteris electionem ita in Dei beneplacitum refundit, ut ab hominum intelligentia, ſenſuque disjunctam quæſtionem fateatur, cur alii præ cæteris eligantur : *Quare deſperatas gentes*, inquit, *cohæredes, & concorporatas, & participes ſanctorum fecit Deus ..... Cur factus ſit*, qui non erat populus, populus; & non dilecta, dilecta .... *In talibus, & in ſimilibus eis exclamavit Apoſtolus* : O altitudo divitiarum, & ſapientiæ, & agnitionis Dei! quam inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! Annon hæc gratuitæ prædeſtina-

tionis, & vocationis aperta testificatio? Idem *Libro* 3. *capite* 16. Pueros Innocentes sortitione quadam, hoc est, delectu Dei merè gratuito, Martyrii palmam, æternamque felicitatem adeptos scribit : *Propter, quod*, inquit, *& pueros eripiebat, qui erant in domo David, bene sortiti illo tempore nasci, ut eos præmitteret in regnum suum; ipse infans cùm esset, infantes hominum Martyres parans, propter Christum*. Disertiùs verò *capite* 23. non modò gratuitam, & ex mera Dei voluntate profectam vocationem inculcat, verùm etiam usurpatam toties ab Augustino rationem ingerit, ex omnipotentia Dei petitam, qua hominum voluntates, quas voluerit, ubi voluerit, quando voluerit, pro nutu flectit, adeo ut nulla humani cordis duritie, atque protervia superetur : *Omnis dispositio salutis*, sanctissimi Martyris verba sunt, *quæ circa hominem fuit, secundùm placitum Patris fiebat, ut non vinceretur Deus, neque infirmaretur ars ejus. Si enim, qui factus fuerat homo a Deo, ut viveret, hic amittens vitam, læsus a serpente, qui depravaverat eum, jam non reverteretur ad vitam, sed in totum projectus esset morti; victus esset Deus, & superasset serpentis nequitia voluntatem Dei. Sed quoniam Deus invictus, & magnanimus est, magnanimum quidem se exhibuit ad correctionem hominis, & probationem omnium, quemadmodum prædiximus : per secundùm autem hominem alligavit fortem, & diripuit vasa ejus, & evacuavit mortem, vivificans eum hominem, qui fuerat mortificatus*. Quid plura? Traditum non semel ab Augustino, misericordiam inter, & judicium, discrimen ingens, quo tota de prædestinatione, atque reprobatione doctrina nititur, paucis quidem, sed disertissimis verbis instituit *capite* 36. *Libri* 4. *Est autem hic Pater Domini nostri, cujus providentia constant omnia ...... & gratuitò quidem donat in quos oportet; secundùm autem meritum dignissimè distribuit adversùs ingratos, & non sentientes benignitatem ejus, justissimus retributor*.

Nihil ista moratus Launojus, latam ab Irenæo in Augustinum sententiam obtendit, nullum distinctè locum appellans, sed sparsa ejusdem verba congerens. Extant illa partim *capite* 37. Libri 4. partim *capite* 38. Priori loco sic legimus : *Vis enim a Deo non fit, sed bona sententia adest illi semper. Et propter hoc consilium quidem, bonum dat omnibus. Posuit autem in homine potestatem electionis, quemadmodum & in Angelis ..... Qui autem non obediunt, justè non inveniuntur cum bonis, & meritam pœnam percipient ..... Dedit ergo Deus bonum, quemadmodum & Apostolus testificatur in eadem Epistola, & qui operantur quidem illud, gloriam, & honorem percipient, quoniam operati sunt bonum, cùm possint non operari illud; hi autem, qui illud non operantur, judicium*

dicium justum excipient Dei, quoniam non sunt operati bonum, cùm possint operari illud. Altero verò hæc habentur: *Secundùm enim benignitatem suam bene dedit bonum, & similes sibi suæ potestatis homines fecit: secundùm autem providentiam scivit hominum infirmitatem, & quæ ventura essent ex ea; secundùm autem dilectionem, & virtutem vincet factæ naturæ substantiam.* Quo titulo isthæc in Augustinum detorqueat ineptissimus osor, minùs capio, nisi, quòd structæ toto Libello in Augustinum calumniæ immotus hæreat, qua negatum ab eo liberum arbitrium comminiscitur, ac sublatam penitùs eligendi, ac dissentiendi facultatem effutit. In hanc enim Manichæorum hæresim unicè disputat Irenæus, a qua procul abiit Hipponensis Antistes. Cætera ex eodem sanctissimo Martyre ab tetrico Censore laudata de varia Jacob, & Esau sorte, secundùm Dei præscientiam definità, in Augustinum detorqueri utcumque possent, modò facti veritate niterentur. At fidem in Censore desidero: hujusmodi quippè nihil Irenæum lectitanti occurrit. Utcumque tamen se res habeat, hujuscemodi loquendi formulæ priscis Ecclesiæ Patribus familiaris, a qua nec prorsùs abhorruit Augustinus, rectam intelligentiam dabimus loco suo, & cum statutis hactenùs dogmatibus conciliabimus.



CA.

ses, quòd id adstruerent, impugnavit. Tota de medio, quo isthæc præscirentur, quæstio vertebatur. In ipso divinæ voluntatis decreto, futura merita, bonasque qualitates operante, pervideri, contendebat gratiæ Vindex, diffitebantur Massilienses: qua de re, altum in Minutio Felice silentium est. Ad hæc, de pœnarum, suppliciorumque destinatione unicè loquitur eruditus christianæ contra Paganos caussæ Defensor, cujus suffragium Launojus ostentat: *Nec de fato*, inquit, *quisquam, aut solatium captet, aut excuset. Eventum sit sortis fortunæ, mens tamen libera est: & ideo actus hominis, non dignitas judicatur. Quid enim aliud est fatum, quàm quod de unoquoque nostrum Deus fatus est? Qui cùm possit præscire materiam pro meritis, & qualitatibus singulorum, etiam facta determinat. Ita in nobis non genitura plectitur, sed ingenii natura punitur.* Porrò reproborum damnationem, nonnisi ex notitia malorum operum, a Deo sanciri liquet, quia justus est: tametsi bonorum electio, nondùm exploratis pietatis operibus, intendatur, quia bonus est: juxta Synodi Valentinæ III., ex tribus Galliarum Provinciis conflatæ, celebre pronunciatum *can.* 3. *Fidenter fatemur prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem: in electione tamen salvandorum, misericordiam Dei præcedere meritum bonum: in damnatione autem periturorum, meritum malum præcedere justum Dei judicium.* (apud Labb. Tom. 9. pag. 1151.)

Prodeat jam ex Africa Tertullianus, Minutio ætate suppar, eruditionis gloria major; & quid nostri de geminis illis Augustinianæ doctrinæ capitibus, in ore ferrent, non ex æmulorum criminationibus prodat, sed ex certa sententia definiat. Hic *Libro de Patientia*, statim ab initio: *Bonorum quorumdam*, inquit, *sicut, & malorum intolerabilis magnitudo est: ut ad capienda, & præstanda ea, sola gratia divinæ inspirationis operetur. Nam quod maxime bonum, id maxime penes Deum, nec alius id, quàm qui possidet, dispensat, ut cuique dignatur.* Et *Libro de Anima capite* 21. *Lapides filii Abrabam fient, si in fidem Abrabæ formentur. Et genimina viperarum fructum pœnitentiæ facient, si venena malignitatis expuerint. Hæc erit vis divinæ gratiæ, potentior utique naturâ, habens in nobis subjacentem sibi liberam arbitrii potestatem; (quod autexusion dicitur) quæ cùm sit, & ipsa naturalis, atque mutabilis, quoquò vertitur, natura convertitur.* Quot apices, tot sententiæ; quot verba, tot oracula. Gratia, auctore Tertulliano, ex Dei nutu, ac dignatione liberè dispensatur; hujus unius operatione, atque virtute, bona exeruntur a nobis, humanæ voluntatis arbitrium imperio suo subdit; naturà ipsà potentior est, eamque, quocumque vertitur, sui pedissequam facit. Hæc verò

verò quid, nisi se ipsa victrix, se ipsa efficax, qualem tradidit Augustinus? Sed, & hujus summam ad quoslibet actus necessitatem, & efficaciam colligit, ex septem Orationis dominicæ petitionibus, quarum explicationem singulari Libello, *de Oratione* nuncupato, adornavit, Augustinianæ doctrinæ principiis, ab Launojo distinctè sugillatis, per omnia consentientem: *Cùm dicimus*, (*inquit*) sanctificetur nomen tuum, *id petimus, ut sanctificetur in nobis, qui in illo sumus: simul, & in cæteris, quos adhuc gratia Dei expectat, ut, & huic præcepto pareamus, orando pro omnibus, etiam pro inimicis nostris .... Secundùm hanc formam subjungimus*: fiat voluntas tua in cœlo, & in terra: *non quòd aliquis obsistat, quominùs voluntas Dei fiat, & ei successum voluntatis suæ oremus; sed in omnibus petimus fieri voluntatem ejus ..... Petimus ergo, ut substantiam, & facultatem voluntatis suæ subministret nobis, ut salvi simus, & in cœlis, & in terris; quia summa est voluntatis ejus, salus eorum, quos adoptavit .....* Veniat *quoque* regnum tuum: *Ad id pertinet, quod*, & fiat voluntas tua, *in nobis scilicet. Nam Deus quando non regnat, in cujus manu cor omnium Regum est? Sed quidquid nobis optamus, in illum auguramur, & illi deputamus, quod ab illo expectamus... Petendo* panem nostrum quotidianum, *perpetuitatem postulamus in Christo, & individuitatem a corpore ejus .... Docet, petamus* dimitti nobis debita nostra. *Exomologesis est petitio veniæ, quia qui petit veniam, delictum confitetur .... Non de remittendis tantùm, sed etiam de avertendis in totum delictis supplicaremus*: ne nos inducas in tentationem: *id est, ne nos patiaris induci ab eo utique, qui tentat. Cæterum absit, ut Dominus tentare videatur; quasi aut ignoret fidem cujusque, aut dejicere sit consentiens. Diaboli est, & infirmitas, & malitia.* Quis hæc ex Augustini calamo fluxisse non putet, gravissima, ex hac ipsa Oratione dominica, argumenta identidem exerentis, ut bona quæque ex Dei misericordia manare probet, a quo cuncta petuntur?

Reclamat spuriæ Traditionis consarcinator; a Terulliano quidem scriptum inquiens, gratiam naturà potentiorem, liberum arbitrium, corruptum licet, ac depravatum, ad bonum inflectere; non omnia tamen divinæ voluntati, ac potestati tribuenda, quæ libero arbitrio committuntur. Fallis, Launoj; at non ii sumus, quibus ex facili ora sublinias. Primum ex Tertulliano abs te laudatum veritatem quidem habet, legiturque loco paulò ante laudato, Libro de Anima capite 10. Alterum a te ingenti temeritate confictum est; nihil enim ejusmodi legere contigit. Demus tamen id esse, nihil inde in Augustinum; qui licet totum Deo tribuendum definiat, non ita tamen, ut sua libero arbitrio jura præripiat,

ripiat, sed gratiæ victrici subjiciat : qui unus objectæ laciniæ sensus est, sicubi fortè apud Septimium occurrit ; aliàs secum ipse pugnabit, qui liberum arbitrium gratiæ potestati subjici, tam apertè, tam distinctè contendit. At de his pleniùs capite ultimo.

Alterum dabit Africa victricis gratiæ defensorem, quo digniùs nemo, ante ortam hæresim Pelagianam, virtutem illius extulit, nemo feliciùs necessitatem commendavit : Cyprianum Martyrem dico, cujus idcircò disertissima testimonia Pelagianis ac Massiliensibus toties opposuit Augustinus. Extant illa in summam collecta, ab sancto Doctore *Libro* 4. *ad Bonifacium capite* 9. sparsim verò, & obiter insinuata, *Libro de Prædestinatione Sanctorum capite* 3. *Libro de dono perseverantiæ capitibus* 17., & 19. *Libro* 2. *Retractationum capite* 1., & *Epistola* 215. ad Valentinum Adrumeti Cœnobiarcham : e quibus illustriora subjicimus, Semipelagianis erroribus ab Launojo recusis planè contraria, & Augustinianis dogmatibus, ab eodem temerè sugillatis, penitus indivulsa, ut ineptissimi Censoris audaciam detesteris, qua (*Pag.* 50.) Cyprianum ab Augustino in sui defensionem temerè laudatum, ac perperam Semipelagianis objectum criminatur.

Hæc igitur Cypriani sententia est, *Libro de Oratione dominica : Dicimus*, sanctificetur nomen tuum. *Non quòd optemus Deo, ut sanctificetur orationibus nostris ; sed quòd petamus ab eo, ut nomen ejus sanctificetur in nobis. Cæterùm a quo Deus sanctificatur, qui ipse sanctificat ? Sed quia ipse dixit*, sancti estote, quoniam ego sanctus sum ; *id petimus, & rogamus, ut, qui in Baptismo sanctificati sumus, in eo, quod esse cœpimus, perseveremus*. Hinc consequens esse voluit Augustinus, ut perseverantia singulare Deì donum censeatur ; quippè quæ a regeneratis, & justis, quotidiana oratione, ex Cypriani sententia, & interpretatione, postulatur. Annon quæso legitima est illa, ac tanto Doctore digna consecutio ? *Quid enim stultius, quàm orare, ut facias, quod in tua positum est potestate ?* Annon potiùs gravi censura percellendus Launojus, qui istud catholicæ fidei caput, in errorum numerum referre nil veritus est ? Pergit clarissimus Martyr : *Addimus quoque, & dicimus* : fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra : *non ut Deus faciat, quod vult, sed, ut nos facere possimus, quod Deus vult. Nam Deo quis obsistit, quo minùs quod velit, faciat ? Sed quia nobis a Diabolo obsistitur, quo minùs per omnia noster animus, atque actus Deo obsequatur, oramus, & petimus, ut fiat in nobis voluntas Dei. Quæ, ut fiat in nobis, opus est Dei voluntate, id est, ope ejus, & protectione ; quia nemo suis viribus fortis est, sed Dei indulgentia, & misericordia tutus est.* Quo ex loco divinæ gratiæ opem, ad omnes

pietatis actus necessariam colligebat gratiæ Vindex. Ecquis quæso aliud indè colligat, cùm Dei ope, misericordia, protectione egere nos, statuat Cyprianus, ob fractas nimirùm humanæ voluntatis vires, & ingruentes dæmonum tentationes? Subjungit Carthaginensis Antistes: *Fieri autem petimus voluntatem Dei, in cœlo, & in terra, quod utrumque ad consummationem nostræ incolumitatis pertinet, & salutis .... Potest, & sic intelligi, ut quoniam mandat, & monet Dominus, etiam inimicos diligere, & pro his quoque, qui nos persequuntur, orare, petamus, et pro illis, qui adhuc terra sunt, et necdum cœlestes esse cœperunt, ut, et circa illos voluntas Dei fiat, quam Christus hominem conservando, et redintegrando, perfecit.* Ex qua Cypriani sententia, gratiam omnia hominum merita, conatus, dispositiones, ac nisus antevertentem, omnesque rebellis, & obluctantis voluntatis obices superantem, hac præclara ratiocinatione colligit Augustinus *lib.4. ad Bonif. cap. 9. Respondeant certè hæretici novi, quid bonorum meritorum præcedat in hominibus inimicis nomini Christiano. Non solùm enim non habent bonum, sed habent etiam pessimum meritum. Et tamen etiam sic Cyprianus intelligit, quod in oratione dicimus: fiat voluntas tua in cœlo, et in terra; ut, et pro ipsis, qui propter hoc terra intelliguntur, oremus. Oramus ergo non solùm pro nolentibus, verùm etiam pro repugnantibus, et oppugnantibus. Quid ergo petimus, nisi ut fiant ex nolentibus volentes, ex repugnantibus consentientes, ex oppugnantibus amantes? A quo, nisi ab illo, de quo scriptum est, præparatur voluntas a Domino?* Cui hæc ratiocinatio non probatur, proferat meliorem.

Luculentius longe multò idem sanctissimus Martyr, haud longè a fine institutæ expositionis: *Quando autem rogamus, ne in tentationem veniamus, admonemur infirmitatis, et imbecillitatis nostræ, dum sic rogamus, ne quis se insolenter extollat, ne quis sibi superbè, atque arroganter aliquid assumat, ne quis confessionis, aut passionis gloriam suam ducat, cùm Dominus ipse humilitatem docens dixerit:* Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma: *ut, dum præcedit humilis, et submissa confessio, et datur totum Deo, quidquid suppliciter cum timore, et honore Dei petitur, ipsius pietate præstetur.* Quibus planè concinunt, quæ habet *Libro 3. Testimoniorum ad Quirinum capite 4. In nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit:* quod illo pervulgato Apostoli loco confirmat *1. ad Corinthios cap. 4. Quid enim habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid glo-*

gloriaris quasi non acceperis? Et *Libro de patientia*: *Est enim nobis cum Deo virtus ista communis. Inde patientia incipit, inde claritas ejus, & dignitas caput sumit. Origo, & magnitudo patientiæ Deo authore procedit.* Vidon quàm constanter *totum Deo dandum* statuat Cyprianus? (*Pag.* 48.) Quo tamen verbo, ab Augustino non semel in eundem sensum pronunciato, Launojus offenditur. Quare his recensitis, tetricum Censorem velut in oculis habens gratiæ Vindex, insanam criminationem hisce compescit: *Nunquid iste sanctus, tam memorabilis Ecclesiarum in verbo veritatis instructor, liberum arbitrium negat esse in hominibus, quia Deo totum tribuit, quod rectè vivimus? Nunquid legem Dei culpat, quia non ex ipsa justificari hominem significat; quandoquidem quod illa jubet, a Domino Deo precibus impetrandum esse declarat? Nunquid sub nomine gratiæ fatum asserit, quamvis dicat* in nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit? *Nunquid, sicut isti, Spiritum sanctum adjutorem ita credit esse virtutis, tanquàm ipsa virtus, quæ ab hoc adjuvatur, oriatur ex nobis, quando nostrum nihil esse asserens, propter hoc Apostolum dixisse commemorat*, quid enim habes, quod non accepisti? *virtutemque excellentissimam, hoc est, patientiam, non a nobis dicit incipere, ac deinde adjuvari spiritu Dei; sed ab ipso caput, ab ipso originem sumere? Postremò nec propositum bonum, nec studium virtutis, nec mentes bonas sine gratia Dei incipere esse in hominibus confitetur, cùm dicit*, in nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit.

Cyprianum nihiloseciùs totum a suis partibus jactat Launojus; hujusque sparsas hac, illac sententias colligit, Augustino, ut putat, oppositas; quarum, si vel distincta verba posuisset, vel loca saltem unde petuntur, indigitasset, nos haud mediocri levasset onere. Occurrunt illarum aliquæ ex Libro *Epistolarum Epistola 76.* cujus sunt hæc ipsa verba: *si dies omnibus æqualiter nascitur, & si Sol super omnes pari, & æquali luce diffunditur; quanto magis Christus Sol, & dies verus in Ecclesiâ sua lumen vitæ æternæ pari æqualitate largitur? Aliæ ex Epistola* 55. ad Cornelium, ubi hæc habet, *& tamen ille* Dominus *non increpuit recedentes, aut graviter comminatus est, sed magis conversus ad Apostolos suos dixit*: nunquid, & vos vultis abire? *Servans scilicet legem, qua homo libertati suæ relictus, & in arbitrio proprio constitutus, sibimet ipse, vel mortem appetit, vel salutem.*

Quis geminæ Epistolæ sensus sit, ne novitium quidem Theologum anxium habebit. Prior de ea æqualitate apertè disserit,

qua Deus generatim, quovis ætatis, sexus, & conditionis semoto discrimine, omnes perinde in Ecclesia recipi vult, & ad Evangelicam gratiam, Sacramentorumque communionem invitat: non de æqua gratiarum, charismatumque mensura, qua privatim singulos donet: quasi electos suos nullà præ reprobis peculiari benevolentià prosequatur, nullisque specialibus gratiis cumulet. Audi Cyprianum, non mutilum, qualem Launojus obtrudit, ut faciliùs illudat, sed integrum: *Spiritus sanctus non ad mensuram datur, sed super credentem totus infunditur. Nam si dies omnibus æqualiter nascitur, & si Sol super omnes pari, & æquali luce diffunditur, quanto magis Christus Sol, & dies verus in Ecclesia sua lumen vitæ æternæ pari æqualitate largitur? Cujus æqualitatis sacramentum videmus in Exodo esse celebratum, cùm de cœlo manna deflueret, & futurorum præfiguratione alimentum panis cœlestis, & cibum Christi venientis ostenderet. Illic enim sine discrimine, vel sexus, vel ætatis gomor a singulis æqualiter colligebatur. Unde apparebat Christi indulgentiam, & cœlestem gratiam postmodùm secuturam æqualiter omnibus dividi sine sexus varietate, sine annorum discrimine, sine acceptione personæ, super omnem Dei populum spiritualis gratiæ munus infundi*. Qua de re plura dabimus capite ultimo. Altera Cypriani Epistola versatilem duntaxat liberi arbitrii ad utrumlibet facultatem adstruit, quam nuspiam inficiatus est Augustinus, tametsi hominis libertatem, cum gratiæ necessitate conciliarit, & utrique ex æquo consultum voluerit: *In potestate hominis est*, inquit ille *Libro* 1. *Retractationum capite* 22. *mutare in melius voluntatem, sed ea potestas nulla est, nisi a Deo detur, de quo dictum est*, dedit eis potestatem filios Dei fieri. *Cùm enim hoc sit in potestate, quod cùm volumus, facimus, nihil tam in potestate, quam ipsa voluntas est, sed præparatur voluntas a Domino*.

Cæterùm quod addit ex Cypriano Launojus, *Joannis nimirum oraculum*, si fuissent ex nobis, mansissent utique, *quo bona omnia a Deo esse significatur, hæresum occasionem dedisse, ac etiam in dies dare, quòd perperam acciperetur*; ingenti, & inaudita audacia vitiatum est, & iniquè detortum. Do integrum Martyris locum, ex *Libro de Unitate Ecclesiæ*, in quem dubio procul interpolator intendit, ut vitiandi studium detesteris: *Nemo existimet, bonos de Ecclesia posse discedere. Triticum non rapit ventus, nec arborem solida radice fundatam procella subvertit. Inanes paleæ tempestate jactantur, invalidæ arbores turbinis incursione evertuntur. Hos*

exe-

execratur, *& percutit Joannes Apostolus dicens*: Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis; si enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum .... *Hinc hæreses*, *& factæ sunt frequenter*, *& fiunt*, *dum perversa mens non habet pacem*, *dum perfidia discordans non tenet unitatem*. *Fieri verò hæc Dominus permittit*, *& patitur*, *manente propriæ libertatis arbitrio*, *ut dum corda*, *& mentes nostras veritatis discrimen examinat*, *probatorum fides integra manifestâ luce clarescat*. Viden ut aliam Cyprianus, totoque cœlo diversam hypothesim spectat? Ex violata siquidem Ecclesiæ unitate factas hæreses notat, hæreticisque ab ejus gremio avulsis Joannis oraculum accommodat: Launojus utrumque pervertit, mutansque quadrata rotundis, natas ex sinistra oraculi intelligentia hæreses comminiscitur, crudumque figmentum, Cypriani nomine, literis mandat. Et hos homines scribere? hos, inquam, veterum Patrum Traditionem concinnare?

Ad Clementem Alexandrinum accedo, Cypriano ut ætate aliquantò superiorem, ita in commendanda divinæ gratiæ potentia, non inferiorem omnino. Sic ille *Libro* 4. *Stromatum* scribit: *Si quis altercans dicat*, *& quomodo fieri potest*, *ut caro imbecilla resistat potestatibus*, *& spiritibus dominationum*? *Illud sciat*, *quod omnipotenti Domino freti*, *in eoque habentes fiduciam*, *adversamur potestatibus tenebrarum*, *et morti*. *Adhuc te loquente*, inquit, *dicet*, *ecce adsum*. *Vides adjutorem invictum*, *qui nos defendit*. Ut quid porro adjutori invicto, & omnipotenti nostram de hostibus victoriam adscriberet, nisi nobis invicto, & omnipotenti adjutorio præsto esset? Nihil quippè ad victoriam referret adjutoris omnipotentia, virtusque vinci nescia, nisi eam adjuvando commodaret. Et *Libro* 5. non longè a principio: *Quoniam autem alii quidem sunt infideles*, *alii verò contentiosi*, *non omnes assequuntur boni perfectionem*. *Nam neque fieri potest*, *ut sine libero animi nostri arbitrio*, *& instituto id consequamur*: *neque universum positum est in nostra voluntate*, *quale sit*, *quod est eventurum*: *gratiâ enim servamur*, *sed non absque bonis operibus*: *sed oportet quidem*, *cùm naturâ apti simus ad bonum*, *ad id aliquod adhibere studium*. *Oportet autem mentem quoque habere sanam*, *& quæ nullâ retardetur pœnitentiâ a boni venatione*, *ad quod quidem maximè divinâ opus habemus gratiâ*, *rectâque doctrinâ*, *castâque*, *& mundâ animi affectione*, *& Patris ad ipsum attractione*.

Hinc facilè percipis, quem in Clemente Alexandrino sensum habeant phrases illæ, quas, nullis pro more notatis Libris,

bris, undecumque corradit audacissimus Criminator, ex *Libro 2. Stromatum : In nostra, quidem est potestate, ad nostram deduci disciplinam, & parere præceptis, quorum nisi voluerimus esse participes, iræ, & voluptati nos ipsos dedentes peccabimus*. Ex *Libro 4. Id est in nostra potestate, cujus ex æquo sumus Domini, & ejus, quod ei adversatur, ut philosophari, vel non, & credere, aut non credere. Per hoc ergo, quod sumus æquè participes utriusque eorum, quæ inter se adversantur, invenitur fieri posse id, quod est in nostra potestate. Quin etiam præcepta sunt ejusmodi, ut a nobis possint fieri, vel non fieri*. Ex *libro 7. Omnes quidem ex æquo vocavit, iis autem, qui eximiè crediderunt, bonores tribuit eximios*. Nisi enim Clementem Clementi contrarium velis, horum explanationem ex laudata sententia repetes : ita nimirùm, ut fidem, divinorumque mandatorum observantiam, in nostrum omnium potestate positam dixerit, *divina maximè opitulante gratia*; omnesque ex æquo vocatos innuerit generali vocatione, peculiari tamen *Patris attractione* fidelibus reservata.

Jam, quid Origenes Adamantius, de divinæ gratiæ efficacia, gratuitaque prædestinatione statuerit, neminem puto rerum istarum intelligentem æstimatorem sollicitum habet. Ut enim de cæteris hæresibus taceam, quis nesciat Adamantium Pelagianorum Amasium, errorisque principem, ab Hieronymo nuncupatum in *Dialogis*, & in celebri ad *Ctesiphontem Epistola*? Imò, quis nesciat turpiùs illum Pelagio, ac Cœlestio delirasse? Iis quippè, gratiam puris hominibus, secundùm præsentis vitæ merita dari statuentibus; vitam alteram commentus est Adamantius, qua nondum insertæ corporibus animæ merita compararint, queis gratiam obtinerent: gratiamque omnium maximam, unionem scilicet hypostaticam, ex præcedentibus assumti hominis meritis datam effutiit. Hunc ergo Launojo, quandoquidem optat, suæ de gratia, & prædestinane sententiæ Magistrum damus, nec invidemus.

Dicam nihilominùs, quod res est : tam elegans interdum efficacis, atque victricis gratiæ commendatio occurrit apud Origenem, ut Augustino prælusisse videri posset, si cætera convenirent. Annon gratiæ Vindicis stylo ductum crediderìs, quod legitur *Homilia 12. in Jesum Nave? De victoria nemo se jactat, nemo suæ virtuti, quia superavit, adscribit : sed scientes, quia Jesus est, qui victoriam tribuit, ipsi in lingua sua non mutiunt. Quod benè intelligens Paulus Apostolus dicit* : non autem ego, sed gratia Dei, quæ in me est. Annon eodem fluxis-

fluxisse calamo putes istud alterum, ex *Homilia* 20. *in Numeros* delibatum? *Audi quomodo ipse dicit*; ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi. *Sed nec sufficit, eum esse nobiscum, sed quodammodo vim nobis facit, ut nos pertrahat ad salutem. Ait enim in alio loco*: cùm exaltatus fuero, omnia traham. *Vide quomodo non solùm invitat volentes: sed, & cunctantes trahit. Vis autem audire, quomodo trahat etiam cunctantes? Non concessit illi, qui volebat ire, & sepelire patrem suum, nec spatium temporis dedit, sed ait illi*: sine mortuos sepelire mortuos suos, tu autem sequere me .... *Quod si ampliùs vis de hoc cognoscere sacramento, ostendam tibi de Scripturis, quod etiam ipse Dominus Pater dispensationem salutis nostræ non negligit; sed, & ipse nos ad salutem non solùm vocat, sed, & pertrahit. Sic enim Dominus dicit in Evangelio*: nemo venit ad me, nisi quem Pater meus cœlestis attraxerit. *Sed, & Pater-familias, qui mittit servos suos invitare amicos ad nuptias filii sui, postquam excusaverunt illi, qui priores fuerant invitati, dixit servis*: exite ad vias, & angiportus, & quoscumque inveneritis, cogite introire. *Sic ergo non solùm invitamur a Deo, sed, & trahimur, & cogimur ad salutem*. Quod ultimum nisi humaniùs accipiatur, vereor ne in prædicanda gratiæ efficacia, modum excesserit Adamantius: sed habet, & istud rectam intelligentiam, quemadmodum, & illa Ecclesiæ precatio, inter media sacra, quotannis fundi solita: *Nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates*. Annon demum Augustini sententiam putes, si quis tacito authoris nomine, hoc tibi Origenis fragmentum recitaret, ex 9. *Homil. in Ezechielem* excerptum? *Quia David conscius sibi vitæ immaculatæ, dixerat, quod non debuerat*: probasti cor meum, & non est inventa in me iniquitas; *tentatus est, & nudatus auxilio, ut videret, quid humana possit infirmitas. Recedente quippè præsidio Dei, ille castissimus, ille mirabilis in pudicitia, qui audierat*, si mundi sunt pueri, maximè a muliere; *& acceperat eucharistiam quasi mundus, non potuit perseverare, sed in eo repertus est crimine, in quo sibi, quasi continens applaudebat. Si quis ergo conscius puritatis suæ se ipsum glorificaverit, non habens memoriam illius dicti*: quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? *relinquitur, & derelictus discit experimento, quia in his bonis, quorum sibi conscius erat, non tam ipse sui extitit caussa, quàm Deus, qui virtutum omnium fons est.*

Ne-

Neque rectæ Origenis de prædestinatione sententiæ officeret, quod ex illo Launojus opponit, habeturque *Libro* I. *Explanationum in Epistolam ad Romanos* : *Quos præscivit Deus tales futuros*, *ut Christo se in passionibus conformarent*, *ipsos etiam conformes*, *ac similes imaginis ejus prædestinavit*, *& gloriæ*. Eam quippè sermonis formam, non paucis Ecclesiæ Patribus familiarem, a qua etiam non prorsùs abstinuit Augustinus, cum gratuitæ prædestinationis dogmate conciliabimus loco suo.



C A-

CAPUT XXII.

Quarti ineuntis sæculi Patres Augustino conciliantur.



ORUM agmen non immeritò ducet sanctus Basilius, cognomento Magnus, cujus jam celebrem orationem, toto penè Oriente in altaris sacrificio frequentatam, *capite* 7. recitavimus. Augustinianæ doctrinæ capita, de gratiâ conatus omnes, ac merita præveniente, ejusdemque ad singulos pietatis actus necessitate, queis erroris dicam audacissimus Aristarchus affricuit, iisdem, ac gratiæ Vindex, & verbis expressit, & rationibus stabilivit, & Scripturarum testimoniis confirmavit, *Homilia* 22. de *Humilitate*: *Nihil tibi relictum est o homo, de quo gloriari possis; cujus gloriatio, & spes in eo sita sit, ut tuas omnes voluntates mortifices, & futuram in Christo vitam quæras, cujus primitias habentes in his nunc sumus per universum in gratiâ, & dono Dei viventes.* Et Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate .... *Quid igitur te ipsum, dic quæso, extollis, quasi propria habeas bona, cùm gratias pro donis agere debeas largitori?* Quid enim habes, quod non acceperis? Si vero & accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? *Tibi non innotuit Deus per tuam justitiam, sed tu Deo per ejus bonitatem*: Cognoscentes, *inquit*, Deum, imò magis cogniti a Deo. *Tu Christum non per tuam apprehendisti virtutem, sed te Christus per suum adventum.* Insequor, *inquit*, si quo pacto apprehendam, quatenus & apprehensus sum a Christo. Non vos me elegistis, *inquit*, sed ego vos elegi. *An ideo superbis, quod honore affectus es, & acceptam misericordiam ad occasionem arrogantiæ rapis?*

Nec minùs eliquatè in *explanatione Psalmi* 29. ad illa Davidis verba initio posita: *Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me? Et unde*, inquit, *facultas mihi suppetet te exaltandi? Quoniam tu me præveniens suscepisti. Signatè dixit*, suscepisti me, hoc est sublevasti me, & extulisti, *superioremque me reddidisti his, qui in me cooriuntur, & insurgunt. Veluti si quis puerum quemdam imperitum natandi, manu sublimem super aquas ducat. Qui igitur Dei auxilio in sublime tollit oculos a ruinâ, is demùm per animi gratitudinem, Deum se pollicetur exaltaturum bonis actionibus..... Ut decor animæ accedat, & efficaciter perfectiva eorum, quæ necessaria sunt, potentia, divinâ opus est gratiâ. Ut igitur supra dixit*,

xit, quoniam vita in voluntate ejus; *sic nunc Deum in reddendis gratiis exaltat dicens* : in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem. *Pulcher quidem eram secundùm naturam, debilis autem factus per peccatum per insidias serpentis admissum, perii. Pulchritudini ergo meæ, quam a te in prima creatione accepi, addidisti virtutem, eorum, quæ me addecent, effectivam.* Hæc Basilius magnus. A quo autem efficaciam sortiatur gratia illa, quam & prævenientem, & effectricem, & ad singulos actus tantopere necessariam prædicavit, paucis, sed decretoriis planè verbis, expedit *Libro de Spiritu sancto capit.* 8. *Auxilium*, inquiens, *quod per imperium suæ potentiæ operatur in nobis*. Quo eleganti epiphonemate, disertissimas quasque loquendi formulas, queis supremam gratiæ vim elocutus est Augustinus, compendio digessit.

Cætera quid memorem hujus dogmatis consectaria, in Augustino ab Launojo censuris inusta, & a Basilio magno diù anteà propugnata? Totum Deo tributum ab Augustino, queritur tetricus Censor? Totum quoque Basilius tribuit, in *Regulis brevioribus*, *Interrogatione* 247. *Omnia*, inquit, *rectè facta Deo sunt adscribenda, non sibi*. Deum vitam æternam electis impartientem, sua munera coronare, professus est Augustinus; eaque de caussa Censoris ferulam subiit? Id ipsum Basilius profitetur in *Psalmum* 114. *Manet requies sempiterna illos, qui in hac vitâ legitimè certaverint, non tanquàm debitum operibus redditum, sed ob munificentissimi Dei gratiam, in quem speraverunt, exhibita*. Indeclinabili, & insuperabili gratiâ hominem agi docuit Augustinus, idque Launojum nostrum male habet? Docuit, & Basilius, ac pari etiam verborum formâ, *Sermone de libero arbitrio* : *Impossibile est propriis viribus offendicula versuti hostis vincere, nisi insuperabilis potentia Dei succurrat*. Communi itaque virga utrumque feriat, qui gratiæ Vindicem violatæ Majorum Traditionis incusat:

Basilio ut sanguinis vinculo, ita doctrinæ consensione jungitur Gregorius Nyssenus Episcopus. De gratiâ, meritis omnibus, conatibus, dispositionibus prævià, ejus illa vox est, ære digna, in primum versum *Psalmi* 135. *Quidquid boni, & salutaris a Deo hominibus venit, id universum venit gratiâ, & bonitate illius; cùm in nobis nulla ejus accipiendi caussa inesset. E contrario cùm nos omni improbitatis genere obruti fuerimus, ipse e natura sua nequaquàm descivit, sed id, quod est, egit. Neque enim decet eum, qui naturâ bonus est, aliud, quàm quod ex natura sua est, agere.* Mirum dictu! Non modò hominem, nihil de suo adnitentem, vitiorumque cœno demersum prior Deus occupat, ut adnitatur, & surgat; verùm etiam, ut ita se in hominem gerat Deus, ex naturæ conditione ducitur; minùsque bonitati suæ, ac majestati consultum

fultum iret, si secùs ageret. Quàm efficaci autem, quàm valenti auxilio jacentem hominem erigat, exponit idem Gregorius *Homilia 5. in Cantica*, hanc Sponsi vocem expendens, *surge, & veni: O vim mandati bujus!* exclamat. Reapse Dei vox est, vox potestatis, quemadmodùm in Psalmorum Libro dicitur: *Ecce dabit vocem suam*, quæ vox est potestatis: *ipse dixit, & facta sunt; ipse mandavit, & creata sunt*. En etiam modò, prolatis ad jacentem verbis hisce, *surge, ac veni*, mox ex mandato fit opus ipsum. Simul enim, atque vim, potestatemque sermonis illa recepit, exurgit, & adsistit ei, jamque propiùs ad lumen accedit, quemadmodùm is ipse testatur qui eam vocat. Et *Libro de differentia essentiæ, & hypostaseos*, (qui nihil ab *Epistola* 43. sancti Basilii ad Gregorium ipsum fratrem suum, diversum habet) efficacem divinæ gratiæ operationem, intimamque agendi vim enarrat, verbis omnium disertissimis: Quodcumque ad nos a divina potentia, atque virtute bonum provenerit, hæc omnia efficientis gratiæ actionem, & opus esse dicimus, ut inquit Apostolus: *hæc omnia operatur unus, & idem Spiritus, distribuens singulatim unicuique prout vult*. Si inquiramus autem an a solo sancto Spiritu bonorum subministratio, accepto initio, ita perveniat ad eos, qui digni sint iis bonis, rursùs a Scripturâ deducimur ad id, ut subministrationis bonorum, quæ per Spiritum nobis suppeditantur, principem, authorem, & caussam Unigenitum Deum esse credamus. Unde verò tam potentis gratiæ necessitas orta sit, rationem assignat Libro de Oratione, illam ipsam, quam ab Augustino traditam carpit audacissimus Criminator: (*Pag.* 52.) *Quare precamur, ut a Deo bonum nobis animi propositum contingat? Quia infirma ad bonum est humana natura, posteaquàm semel per vitiositatem enervata est*.

Sequitur Hilarius Pictaviensis Episcopus, inter gratiæ defensores ab Augustino ipso laudatus. Sic ille ad ea *Psalmi* 118. verba, *Inclina cor meum Deus in testimonia tua*, gratiæ triumphis complaudit, omnia illi accepta referens: *Omnia Propheta ad munus Dei retulit, sive ut lex justificationum sibi statuatur a Domino, sive ut sibi intelligentia præstetur, sive ut deducatur in semitam, sive ut cor ejus in testimonia inclinetur*. Quibus recensitis, hanc sibi in oppositum factam objectionem exsufflat: *si omnia a Deo sunt, humana ergo ignorantia caret culpa, cùm nihil obtinere possit, nisi quod donatum a Deo sumserit*. Sic sanè Patres omnia jam tunc a Deo esse prædicabant, ut iis ipsis calumniis objicerentur, quas secutis inde temporibus Pelagiani, ac Massilienses grandioribus tibiis cecinere. Quo ex uno colligere pronum est, eandem illis, ac Augustino, stetisse sententiam, quæ latus iisdem calumniis aperiret. Pergit cœpto Hilarius, & prævenientis gratiæ necessita-

tem exponit, ad eum ejusdem Psalmi versum: *& veniat super me misericordia tua Domine*: quod a Regio Vate idcircò dictum observat, quia omnia vult a bonitate Dei in se inchoari. Quibus paria habet in primum versum *Psalmi* 123. *Ad hunc Deum*, inquit, *habitantem in nobis gaudia nostra referamus: huic, si quid in nobis est, debeamus; a beato Paulo edocti nihil nostrum existimandum, dicente*: quid enim habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?

Quid ergo altera illa Hilarii sententia sonet, quæ Launoji oculos feriit, ex *Canone 6.* in Matthæum excerpta, satis ex dictis intelliges: *De nostro igitur*, inquit eo loci eloquentiæ Rhodanus, *est beata illa æternitas promerenda: præstandumque est aliquid ex proprio, ut bonum velimus, malum omne vitemus*. An enim contrarium sibimet ipsi Hilarium reputabimus, qui cùm *omnia Dei esse, nihil nostri*, tam disertè anteà pronunciaverit, *nostra* modò, & *propria merita* ambitiosiùs extollit? Minimè gentium. Quia, & hoc divini muneris est, ut Dei dona fierent merita nostra. Hinc Augustinus *Libro* 1. *ad Simplicianum quæstione* 2. *Ut velimus enim, & suum esse voluit, & nostrum; suum vocando, nostrum sequendo*. Sed de his alias.

Nunc quo te, Athanasj, piaculo taceam, qui ut Æternum Dei Verbum, prædestinationis, & gratiæ fontem, toto pectore ebibisti, ita secretiora gratiæ, & prædestinationis arcana posteris reserasti? Sanè Augustinus gratuitæ prædestinationis exemplum a Christo petiit, atque inde luculentissimam rationem derivavit, ut hanc in solam Dei misericordiam refundendam ostenderet: *Est etiam*, inquit, *Libro de Prædestinatione Sanctorum capite* 15. *præclarissimum lumen prædestinationis, & gratiæ, ipse Salvator, ipse Mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus: qui ut hoc esset, quibus tandem suis, vel operum, vel fidei præcedentibus meritis, natura humana, quæ in illo est, comparavit? Respondeatur quæso: ille homo, ut a Verbo Patri coæterno in unitatem personæ assumptus, filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruit? Quod ejus bonum qualecumque præcessit? Quid egit ante, quid credidit, quid petivit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret? .... Sicut ergo prædestinatus est ille unus, ut Caput nostrum esset; ita multi prædestinati sumus, ut membra ejus essemus. Humana hìc merita conticescant, quæ perierunt per Adam; & regnet, quæ regnat Dei gratia, per Jesum Christum Dominum nostrum, unicum Dei Filium, unum Dominum. Quisquis in Capite nostro præcedentia merita singularis illius generationis invenerit, ipse in nobis membris ejus præcedentia merita multiplicatæ generationis inquirat*. Totum id ex Athanasio delibatum dixeris secunda adversus Arja-

Arjanos Oratione, ubi hanc illorum blasphemiam multis exagitat: *Cùm Deus præcognosceret eum Christum bonum futurum muturavit, tu illi hanc gloriam davet, quam homo postmodum ex virtute mereretur; & quasi jam tum opera ejus extarent, quæ providebantur a Deo, talem eum jam statim in præsentia voluit fieri.* Imò, si benè conjicio, Semipelagianorum cavillationes, ex Arjanæ blasphemiæ confutatione distinctiùs occupavit Athanasius: ii quippè ad futuram meritorum præscientiam, tanquàm ad extremum vallum, cæteris depulsi munimentis, confugiebant.

Neque satis Athanasio fuit, gratuitam per omnia Christi Domini prædestinationem stabilire, omni meritorum, ex unionis gratia germinantium prænotione, Incarnationis consilium anteverten-te, penitùs ablegata: nos ipsos pari omninò sorte ex æternitate in eo prædestinatos ostendit, nullo operum nostrorum intuitu, sed hujus unius meritorum habita ratione; nosque idcircò electos, ut sancti essemus, quia jam ex animi benevolentia destinarat, ut cum Christo nostrum omnium Capite regnaremus. Locum integrum exscribere non pigebit ex tertia *adversùs Arianos Oratione*, haud longè a fine. *Creans igitur nos per Verbum suum omnium rerum Deus, cognita habens nostra meliùs quàm nosmetipsi, prospiciens nos bonos quidem creatos, sed postea tamen prævaricatores futuros præcepti sui, ejiciendosque ex paradiso ob contumaciam; ipse ut humanus, & bonus, jam antea instituit in Verbo suo nostræ salutis procurationem: ut quamvis decepti a serpente excideremus, non tamen penitus extincti maneremus, sed habentes in Verbo jam antè præparatam nobis redemptionem, & salutem, iterum resurgentes immortales perseveraremus; cùm Filius pro nobis initium viarum creatus fuisset, & qui primogenitus est creaturæ, primogenitum se fratrum reddidisset: & qui primitiæ est mortuorum, resurrexisset. Id beatus Apostolus ille Paulus scribendo ita esse docet, dum illa Proverbii dicta*, ante ævum, & priusquam terra fieret, *exponit in sua ad Timotheum Epistola*: Collabora Evangelio secundùm virtutem Dei, qui nos liberavit, & vocavit vocatione sua sancta, non secundùm opera nostra, sed secundùm propositum suum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo Jesu, ante tempora æterna: manifestata est autem nunc per illuminationem Salvatoris nostri Jesu Christi, qui destruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam. *Ad Ephesios item*: Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali, in cœlestibus in Christo: quemadmodum elegit nos in se, ante jacta fundamenta mundi, ut sancti essemus, & incontaminati coram ipso; *quum jam animi benevolentià prædestinasset, ut nos sibi in filios adoptaret per Jesum Christum.*

Quo-


Quomodo igitur elegisset nos antequam fieremus, nisi, ut ipse dixit, in ejus animo jam antea præfigurati, delineatique fuissemus? Ex Athanasii itaque Theologia, nullius nisi Christi Domini meritorum prænotio, æternum prædestinationis nostræ consilium antevertit.

Porrò quo jure prædestinationis nostræ liberalitatem, ex Christi prædestinationis liberalitate, non secus ac Augustinus, repetit Athanasius; ita efficacis gratiæ firmitatem, ex Christi gratiæ firmitate derivat. Quare illum idcircò gratià donatum existimat, non modò; ut eam in membra transfunderet, verùm etiam, ut quam in ipso obtinet firmitatem, eandem obtineret in nobis. Quam verò *indeclinabilem*, & *insuperabilem* Augustinus appellat; hanc ille *inademptibilem* dictitat, pari omnino sensu, atque sententia. *Ipse sibi*, Athanasii verba sunt *Oratione 4. adversus Arianos*, *quasi data confitetur (Deus Verbum) quæ humanitùs acceperat, ut eo, qui Dominus erat, accipiente, & in ipso donatione istarum rerum residente, gratia ipsa firma permaneret. Nam quod merus homo accipit, id ei eripi potest: cujus rei specimen in Adam vidimus; quippe qui illud, quod acceperat, perdidit. Ut autem gratia inademptibilis esset, firmaque hominibus custodiretur, ea de caussa hanc donationem, ut propriam sibi arrogat, dicitque se potestatem accepisse ut hominem, quam semper habet ut Deus.*

Veniat ex intima Syria sanctus Ephrem, a summis Ecclesiæ Patribus, Gregorio Nysseno, Amphilochio, Chrysostomo celebratus; & quam mente gereret de gratia, & prædestinatione sententiam nobis aperiat. In Augustiniano dogmate statuendo totus est piissimus Pater, Opusculo de Timore Dei; ubi Gentiles præ Judæis electos docet, nulla meritorum ratione habita, sed ex uno Dei vocantis imperio, nutu, ac libera voluntate; utque supremam authoritatem ostenderet, nulli prorsùs reprehensioni obnoxiam: quod petità ex sacris literis eleganti figurà confirmat. Luculentiora verba sunt, quàm ut argutiis, aut sinistris interpretamentis eludi queant: *Dic mihi*, inquit, *cur Jacob primogenituram a Manasse ablatam transtulerit in Ephraim? Hanc pretio Jacob mercatus erat, & gratis eam Ephraim tribuit. Et in hoc neque Manasses culpandus est, nec Ephraim in admiratione habendus; sed potiùs donantis authoritas, in quem non cadit reprehensio, suspicienda est. Quis igitur Gentium primogenituram reprehendere tentat? Quod si Judæi id facere voluerint, reprehendant primùm, quod Manasse adempta sit. Qui enim eam ab eo abstulit, non peccavit, ut suam in eo authoritatem ostenderet. Ademit autem illam ipsis, quia peccaverant, ut justum suum judicium in eo declararet. Quod si a nemine coargui possit Jacob, quamvis a Manasse, qui non peccaverat, primogenituram abstu-*

abstulerit; quomodo ipsum quisquam reprehendere audebit, qui ut justus judex primogenituram a Judæis, qui Dominum occiderant, abstulit? Jam si gentem integram, pro nutu, atque imperio seligit, *ut donantis autboritas ostendatur*, nec tamen illatam sibi injuriam causatur altera: quidni privatum quemcumque libuerit, seliget pro arbitrio, nec tamen contrà hiscere, atque mutire cæteri audebunt? Æquè enim conferendorum donorum Dominus est, seu privatis hominibus, seu integris gentibus conferantur; æquè illi in singulos summa potestas, summum imperium.

Eandem animo Theologiam imbiberat Ecclesiæ Græcæ Theologus Gregorius Nazianzenus; ac tamquam Apostolicæ doctrinæ caput, sacris ad populum declamationibus explicabat; ut hominum sibi plus æquo tribuentium elationem retunderet. Extat ea de re egregium fragmentum Oratione 31. ubi Apostoli oraculum versans, ad Romanos 9. *non volentis, neque currentis*, ita suos alloquitur: *Quoniam enim nonnulli sunt, qui ob rectè facta ita animis efferuntur, ut id totum sibi ipsis adscribant, nec quidquam Creatori, & sapientiæ eorum autbori, ac bonorum omnium suppeditatori acceptum ferant; bis verbis eos docet Apostolus, quod ipsum etiam rectè velle divino auxilio indigeat; imò, ut rectiùs loquar, voluntas quoque ipsa, & electio eorum, quæ recta, & cum officio conjuncta sunt, divinum quoddam beneficium est, atque a Dei benignitate manans. Idcircò ait*, non volentis *idest non solùm volentis, nec* currentis *solùm, sed etiam* miserentis Dei. *Ita quoniam velle quoque ipsum a Deo est, optimo jure totum Deo assignavit.* Quidni igitur in Gregorium censuram Launojus exercet, a quo nedum doctrinæ summam, verùm etiam sermonis formam mutuatus est Augustinus?



CA-

CAPUT XXIII.

Quarti cadentis sæculi Patres, & quinti ineuntis, Augustino suffragati ostenduntur.



ETUS est illa, ac diu ante Launojum a nonnullis structa calumnia, Joannem Chrysostomum procul ab Augustini de divina gratia placitis abiisse, imò puris, putisque Semipelagianorum erroribus prælusisse. Mihi verò Doctoris eximii codices diligentiùs evolventi longè aliter visum est; tantamque eos inter doctrinæ consensionem reperire contigit; ut quo jure Augustinum, eloquentiæ majestate, Ecclesiæ Latinæ Chrysostomum voco, eodem planè Chrysostomum, incorruptæ de divinis Auxiliis doctrinæ professione, Ecclesiæ Græcæ Augustinum nil dubitem appellare.

Incorruptam ejus, câstamque, de initio vocationis, & fidei, sententiam produnt pauca hæc ex multis selecta testimonia, queis gratiam humanis quibusque conatibus præviam, qualem ab eo negatam nonnulli putant, disertissimè profitetur.

Homilia 1. *in Epistolam* 1. *ad Corinthios*, ita Apostolum loquentem inducit: *Cùm Ecclesiam persequerer, & depopularer, vocatus sum. Hic ejus quidem, qui vocat, est universum; ejus autem, qui vocatus fuit, nihil est, ut semel dicam; nisi solum quod, obedierit....* Per voluntatem. Dei. *Deus enim hoc voluit, ut sic vos salvi essetis. Nos enim nihil rectè egimus, sed per voluntatem Dei salutem invenimus, & quoniam ei visum est, vocati fuimus, non quoniam digni eramus.* Ecquis, quæso, Apostoli vocationem præviis ejusdem conatibus tribuat, cùm non modò nihil ad fidem conaretur, sed contra fidem adnlteretur?

Homilia 3. *in* 2. *ad Corinthios*, Deum augmenta gratiarum idcircò collaturum ostendit, quòd initia contulerit, *Ipse est*, inquit, *qui nos in Christo confirmat, hoc est, qui nos a fide, quæ in Christum est, dimoveri non sinit, atque ipse etiam est, qui nos unxit, spiritumque in cordibus nostris dedit, qui tandem non futura quoque daturus est? Nam cum principia, & materiam, ac radicem, hoc est, veram ipsius cognitionem, ac Spiritus participationem largitus sit, quî fieri potest, ut non ea etiam largiatur, quæ ex his oriuntur?*

Homilia 1. *in Epistolam ad Romanos*, gratiam prævenientem con-

conceptissimis verbis adstruit: *Non igitur Apostoli fuere, qui egregia illa facinora præstitere, sed gratia illos præveniens.* Et Homilia 13. in Joannem: *Non enim nostris præcedentibus meritis hanc accepimus remunerationem, ... sed gratia Dei, quæ semper in beneficiis priores sibi partes vendicat, neque solum quod facti sumus ex nihilo, sed quod facti, & facienda didicerimus.* Et *Homilia* 71. in idem Joannis Evangelium, ad illa Christi Domini verba: *Sicut ego dilexi vos*, inquit: *Non enim vestris præcedentibus meritis debitum persolvi, sed ego incœpi.* In eundem planè sensum *Homilia* 38. *in Genesim*, de Chananæa ex occasione sermonem habens: *Neque responso*, inquit, *dignatur eam misericors, & clementissimus Dominus, alioquì preces nostras semper præveniens.* Cur porrò Deus ita se in hominem gerat; cur conatus, preces, ac merita antevertat, rationem elegantem indigitat, *Homilia* 7. *in Epistolam* 1. *ad Timotheum*, ex divinæ bonitatis conditione petitam, quæ priorem se a nobis occupari non patitur: *Tanta est*, inquit, *divina bonitas, ut ipsa sola sufficiat ad rationem, & caussam amandi, non expectatâ, nec requisita caussa ex parte eorum, qui amantur.*

Erit fortassè qui dicat, Chrysostomum in cæteris quibusque bonis operibus, gratiæ prævenientis necessitatem agnovisse, excepta nihilominùs fide, quam a communi bonorum operum sorte exceptam voluerit. Verùm solitum illud Massiliensium effugium præclusit sanctissimus Pater, de fide haud aliter, quàm de reliquis statuens. Præsto est locus insignis *Homiliæ* 12. *in caput* 4. *Epistolæ* 1. *ad Corinthios*, cujus hæc ipsa verba sunt: *Acceptum ergo habes, non hoc, aut illud, sed omnia quæ habes, etiamsi fidem dicas, ea extitit ex vocatione, etsi dicas remissionem peccatorum, si dona, ac charismata, si docendi rationem, omnia inde accepisti.* quid ergo habes, *inquit*, quod non habes acceptum? *At ipse ex te recte egisti. Non potes hoc dicere; sed accepisti: propterea te effers, & tibi places? Propter idipsum verò oportebat te intra fines modestiæ continere. Non enim tuum est, quod datum est, sed ejus, qui dedit. Si enim accepisti, ab illo accepisti. Si autem non tuum accepisti, quid magnifice, ac præclarè de te sentis tanquam habens tuum?* Luculentiùs multò, *Libro de Virginitate cap.* 42. idipsum expedit Chrysostomus, ex Apostoli Pauli sententia: *Non ait* (Paulus) *Consilium do, ut fidelis effectus, sed ut cui Domini clementiâ fidelem esse datum sit. Ne Apostolatum solum, præconium, & magisterium Dei munificentiæ putate. Nam ipsum etiam credere mihi ejus clementiâ quæsitum est. Non enim*, inquit, *qui dignus essem, fidem accepi, sed cui misericordia modò contigisset. Misericordia autem gratiæ est, non ex merito. Itaque nisi permisericors esset*

Deus, non tantùm Apostolus, sed ne fidelis quidem unquam effici potuissem. Viden' servi gratitudinem, animumque contritum, ut nihil sibi cæteris plus arroget; quin id etiam, quod sibi cum discipulis commune esset, fidem, suum esse neget, sed Dei clementiæ, & benignitatis?

Quæ cùm ita sint, quoties apud Chrysostomum legis, expectare Deum bonas hominum affectiones, conatus, initia, ut gratiam merentibus largiatur; de gratia utique subsequente dictum accipe; quam videlicèt pulsantibus, petentibus, adnitentibus largitur Deus; tametsi nonnisi opitulante gratia præveniente, & adnitantur, & petant. Aliàs Chrysostomum Chrysostomo repugnantem habebis, qui nulla in homine bonæ voluntatis initia novit, ope gratiæ non elicita. Sicubi autem in voluntatis arbitrio positum innuit, ut bonum aliquod exerat; salvis gratiæ juribus dictum puta: nec enim alio sensu id humanis viribus relictum existimat, quàm posita gratia. Mentem in aperto ponit sanctissimus Pater *Homilia 22. in Genesim*: *Nonnè manifestum*, inquit, *sua quemque voluntate, vel malitiam, vel virtutem eligere? Nam nisi ita esset, & naturæ nostræ potestas insita esset, neque illos puniri, neque istos virtutum retributiones accipere oportebat. Verùm quia in nostra voluntate totum*, POST GRATIAM DEI, *relictum est, ideo, & peccantibus supplicia proposita sunt, & bene operantibus retributiones*. Priores itaque partes gratiæ esse voluit; nec nisi iis positis, cætera voluntatis arbitrio permisit.

Haud minùs probata Chrysostomo gratia suapte naturà victrix, qui disertissimos quosque loquendi modos, Augustino familiares usurpavit, ut vim ejus intimam, efficaciam, potestatem superari, ac vinci nesciam, enarraret. Decretorium plane est, quod habet *Homilia 9. de laudibus divi Pauli*: *Videmus*, inquit, *plures ad defensionem suæ ignaviæ prætextu tali uti; & quando eos adhortamur, ut illuminentur, & ad meliorem vitam convertantur, atque ad alia id genus bona opera, respondere quasi cunctabundos, & resilientes: si Deus volet, persuadebit mihi, & convertar*. Annon ita subindè argumentatos vidimus Adrumeti Monachos, lecta Augustini ad Sixtum Epistola, qua intima illa gratiæ vis commendatur? Annon ita in Augustini discipulos, secutis indè temporibus, disputatum? Eandem igitur Chrysostomi, ac Augustini hypothesim fuisse necesse est, quæ iisdem planè calumniis, atque argutiis petebatur. Neque enim quisquam, efficaciæ ex voluntatis assensu pendulæ defensores iis incommodis lacessivit. Quid verò Chrysostomus importunis argutatoribus? *Hos*, inquit, *non arguo, sed valde probo, quod ad voluntatem Dei confugiunt. Vellem autem nos etiam nostra afferre, & tunc dicere, si Deus voluerit*.

Eo-

Eorum itaque sententiam probat, qui conversionem, & persuasionis efficaciam, in divinam ita revocant voluntatem, ut ad ejus imperium certissimè consequatur; modò tamen nullam indè pravi homines, torporis, atque desidiæ ansam arripiant.

Iis gemina sunt, quæ leguntur *Homilia* 2. *in Psalmum* 50. *Dicit Deus,* (inquit S. Pater) *nolo adulterum esse adulterum: & statim ipsius sermo in opus prodit. Dicit: fornicator non jam sit fornicator: & statim ipsius sermo mores ejus immutat, ac peccatum retundit: atque ut hoc ita esse intelligas, dixit: Cœlum fieri volo: & cœlum factum est. Terram fieri volo: &, substantia illa ex nihilo in ortum producta est. Angelos fieri volo: & Angelorum agmen confestim extitit. Quid? Substantias intelligentia præditas, & corpora, quæ prius non erant, ipsius sermo efficit, & peccata solvere non potest?* Et *Homilia* 8. *in caput* 2. *Epistolæ ad Philippènses*, ad ea Apostoli verba: *Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere*, rem totam paucis constringit: *Et propensionem,* inquit, *voluntatis ipse nobis dat, & operationem .... Vult enim* (Deus) *nostram nos ad illius voluntatem aggregare, atque ita, ut vult, vivere. Quod si Deus vult, illud autem, quod vult, ipse operatur, certè hoc quoque operabitur, ac præstabit, ut rectè vivamus.* Illa scilicet ipsa sunt, quæ iisdem fermè verbis, apud Augustinum habentur: Deo volenti salvum facere, nullum humanum arbitrium resistere; operari Deum in cordibus hominum non solùm veras revelationes, sed etiam bonas voluntates; homines non agere modò, sed agi; aliaque id genus, quibus intima gratiæ efficacia commendatur.

Jam totum, in salutis negotio, Deo tribuendum, quod ægris auribus excipit tetricus Censor, ubique passim inculcat Chrysostomus, non secùs ac Augustinus: *Libro de Virginitate cap.* 36. *Quid ergo* (dicit Paulus) *plus illis omnibus laboravi: vel potiùs non ego; sed gratia Dei mecum. Non partim suum, partim Dei censet, sed totum Dei. Hoc grati servi est, nihil proprium ducere, sed omnia herilia, nihil suum putare, sed omnia Domini. Homilia* 20. *in* 2. *Epistolam ad Corinthios: Videsne Pauli prudentiam? quemadmodum videlicet eorum virtutes efferens, laudem omnem Deo adscripserit? Homilia* 15. *in Acta: Hoc solum nobis curæ sit, quomodo vincamus diabolum. Imò non nostri studii opus est, sed divinæ gratiæ totum est. Homilia* 2. *in Epistolam ad Colossenses. Nullus enim ostendit talem vitæ suæ institutionem, & gestionem, ut dignus habeatur regno; sed totum est ejus doni.* Eccur, quæso, totum adscribitur Deo, cùm, & nostrum sit aliquid, consensio nimirùm, operæque collatio? Nisi quòd, & consensionem, & operæ collationem Dei gratia operatur in nobis, juxta illud Augustini effatum *lib. de grat. & lib. arb.*

 cap. 6.

cap. 6. certum est nos facere cùm facimus, sed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati. Quod alterum gratiæ se ipsa victricis ab Chrysostomo propugnatæ argumentum est. Qui enim gratiæ efficaciam ex assensu suspendunt, totum profectò Deo non tribuunt, sed partem plurimam voluntati, quæ gratiam suapte natura versatilem reddidit efficacem.

Quid gratuitam prædestinationem ad gloriam loquar, quæ ut statuti, de gratia se ipsa victrice, dogmatis consectarium est, non potuit Chrysostomo non probari? Et quidem efficacem vocationem ad gratiam, meritorumque collationem, ex efficaci, quæ secundùm propositum est, ad gloriam prædestinatione colligit; tanquam Deus electis merita largiatur, quia illos destinavit ad gloriam; non contra destinet illos ad gloriam, quòd sit illis merita largiturus. Egregius in eam rem locus est *Homilia* 3. *in* 2. *Epistolam ad Thessalonicenses*, ubi illud Apostoli versat: *Semper pro vobis oramus, ut Deus noster ista vocatione dignos vos habeat, & omne propositum bonitatis suæ, & opus fidei cum potentia compleat*: quod ille hac præclara commentatione illustrat: *Ut dignetur*, inquit, *vos vocatione. Non enim fuerunt vocati. Propterea subjunxit: & impleat omnem voluntatem bonitatis suæ. Nam is quoque, qui sordidis erat indutus vestibus, fuit vocatus, sed non mansit in vocatione. Sed propterea magis ejectus fuit a vocatione in thalamum sponsi.* Nam quinque etiam virgines fuerunt vocatæ. *Surgite*, (inquit,) *sponsus venit, & paratæ erant; sed non sunt ingressæ.* Significans ergo quamnam vocationem intelligat, subjunxit, *& impleat omnem voluntatem bonitatis suæ, & opus fidei in virtute. Hanc quærimus vocationem*, (inquit,) ..... *Omnem*, (inquit,) *voluntatem. Hoc est beneplacitum, & quod est persuasum, certumque ac statutum. Hoc est, quod fiat, quod Deo certum est, ac persuasum. Ut nihil vobis desit: ut sitis, ita, ut vult. Et opus fidei in virtute*.

Huic proximè conferendus locus alter, ex *Homilia* 2. *in Epistolam ad Colossenses*, ubi hoc idem exequitur, alteramque insuper Augustini discipulis familiarem rationem exequitur, qua Deus, nondum exploratis hominum meritis, eosdem destinare gloriæ dicitur; quòd in ejus positum sit potestate, ut illos meritis exornet, ac destinata gloria dignos efficiat: cùm contra viri principes, honores, ac publica ministeria subditis collaturi, merita in antecessum explorent, quòd illorum conferendorum non habeant potestatem. Chrysostomi, dictum Apostolicum exponentis, *idoneos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine*, verba sunt. *Magnum est effatus: Talia sunt, quæ data sunt*, (inquit) *ut non solum dederit; sed etiam fortes fecerit ad accipiendum. Quod autem dixit, sufficientes fecit* in-

magnum pondus ostendit. Ut si quispiam Rex factus fuerit, potest cui velit, dare præfecturam, & hanc ei solam potest dare dignitatem, sed non eum reddere aptum, & idoneum ad gerendum magistratum: Sæpe autem eum etiam ridiculum facit honor. Si autem eum dignitas aptum fecerit ad honorem, & idoneum ad administrationem; tunc ea res est honor. Hoc ergo hìc quoque dicit, quòd non solùm nobis dederit honorem; sed etiam fortes fecerit ad accipiendum. Duplex ergo est hic honor, quod etiam dono aptos fecerit, & idoneos. Non dixit solummodo, qui dedit, sed etiam: Qui sufficientes, & idoneos fecit in partem sortis sanctorum in lumine.... Cur vocat sortem? ostendens, quod ex bonis suis actionibus, & rectè factis nemo regnum assequitur. Sed quomodo sors est potius, boni eventus, ita hìc quoque. Nullus enim ostendit talem vitæ suæ institutionem, & gestionem, ut dignus habeatur regno; sed totum est ejus doni. Propterea dicit sic: & vos cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus. Nam, quæ debuimus facere, fecimus. In partem sortis sanctorum in lumine: *Hoc est cognitione. Videtur autem mihi simul dicere, & de præsentibus, & de futuris.*

Nec omittendum quod habet idem Chrysostomus *Homilia* 2. *in caput* 1. *Epistolæ* 2. *ad Timotheum*, illud Apostoli versans: *vocavit nos vocatione sua sancta, non secundùm opera nostra, sed secundùm propositum suum, & gratiam;* cui præclaram hanc commentationem appingit: *Quomodo vocatus es*, inquit, *vocatione sancta? hoc est, sanctos effecit, qui peccatores, & inimici eramus; & hoc non ex nobis, sed ex divino munere est. Si igitur ille, & potens est vocando, & bonus, idque per gratiam, non ex debito faciendo; nihil est cur metuamus. Qui enim nos, cùm perditi, inimicique essemus, salvos per gratiam fecit, multò magis cùm operantes viderit, cooperator accedet.* Non secundùm opera nostra, *inquit*, sed secundùm propositum suum. *Nemine cogente, neque consulente, sed ex proposito suo, sola vi suæ bonitatis impulsus, salvos nos fecit, secundùm propositum suum, & gratiam.*

Chrysostomum tamen totum in ære suo jactat Launojus, cujus unam, alteramque periodum arrodit, ex *Homilia* 16. *in Epistolam ad Romanos*, etsi nullum de more locum indigitet. Prior sic habet: *Unde ergo alii quidem vasa iræ, alii autem misericordiæ? a propria voluntate. Deus autem admodum bonus cùm sit, in utrisque eamdem ostendit bonitatem.* Quod adversùs gratiam efficacem, bonis, & obsequentibus peculiarem, pronunciatum opinatur. Altera his verbis effertur. *Nondum enim natis pueris, cùm neque boni fecissent quippiam, nec mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, dictum est illi: Major serviet minori,*

hoc

hoc enim præscientiæ est, ab ipsorum videlicet partu electionem facere. Quo dicto gratuitam prædestinationem explosam existimat. At perperam, & incassum. Ecquis enim nesciat, ex voluntate proximè nasci, quòd bonus, malusve sit homo; quòd vas misericordiæ, vel iræ? Verùm alia subindè quæstio nascitur, undè demum voluntas id habeat, ut flectatur ad bonum, cùm ex quo tempore originis vitio sauciata est, ad malum suaptè naturà propendeat? quam eo loci solvendam sibi non sumsit Divus Chrisostomus, sed laudatis paulò antè locis tractandam reliquit. Utrumque igitur, juxtà Augustini hypothesim, æquè constat: & trahi hominem a Deo Patre auxiliis efficacibus, & propria interim voluntate duci. *Si tibi proponam quæstionem*, inquit ille, *Libro 2. contra Literas Petiliani capite* 84. *quomodo Deus Pater attrabat ad filium homines, quos in libero dimisit arbitrio? Fortassis eam difficilè soluturus es. Quomodo enim attrahit, si dimittit, ut quis, quod voluerit eligat? Et tamen utrumque verum est; sed intellectu hoc penetrare pauci valent*. Ecquis etiam ignoret, Deum ex æternitate prænosse, qui boni, quive mali futuri sint, illos diligere ante tempora, istos odio prosequi; præmia illis, istis supplicia destinare? Annon id millies, cum Chrysostomo, aliisque Patribus, Augustinus inculcat? At aliud præterea quæritur: cur nempe, cùm omnes æternæ damnationi nascantur obnoxii, alii quidem ipsorum improbitati permittendi præsciantur; alii, ut inde emergant, immensis gratiæ beneficiis cumulandi? En abstrusum gratuitæ prædestinationis arcanum, in unum Dei beneplacitum refundendum, ipso Chrysostomo judice, atque hac ipsa in Homilia, quam latenter tetricus Censor arrodit: *quemadmodum enim figulus, ait, ex eadem massa, quæ vult vasa, facit, ac nullus contradicit; ita hic eodem ex genere hominum, alios quidem supplicio, alios autem honore dum afficit, ne curiosus, sollicitusque sis causse pervestigator: sed hunc adorato tantùm, & lutum imitare: ac quemadmodum illud figuli manus sequitur; sic, & tu sententiam ejus, qui hæc dispensat, nihil enim temerè, nec fortuitò facit, ut etiam ignores sapientiæ arcanum. Tu porro figulo permittis, ut massa ex eadem dissimilia, ac differentia vasa fingat, nec vitio vertis. A Deo autem rationem exigis tum suppliciorum, tum bonorum? nec concedis, ut sciat ipse quis dignus, quis rursus indignus sit? Sed quoniam eadem massa ejusdem substantiæ est, tu ne easdem voluntates censes dignas esse? quantam hæc quæso insaniam arguunt? Atqui ne in figulo quidem est, ut ex eadem massa prodeat, & quod bonoratum, & quod ignominiosum est, sed ab eorum est usu, qui vasa pertractant: quemadmodum, & hic a voluntate. Veruntamen quod prius dixi, in unum hoc solum accipiendum est ipsum exemplum, quod vi-*

ce-

delicet non oportet Deo contradicere, quin potiùs incomprehensibili illius sapientiæ concedere.

Ambrosium quod attinet, strenuum illum prævenientis, & efficacis gratiæ defensorem, compendium nobis laboris, & operæ fecit Augustinus ipse; qui ut se illius discipulum profitetur, ita multa ex illo loca decerpsit, queis Pelagianos, ac Massilienses exagitavit, *Libro 4. ad Bonifacium cap.* 11. *Libro de Gratia Christi capp.* 44. 45. 46. & *Libro de dono perseverantiæ capp.* 8. 13. 19. 23. Iis pauca ista adjicere non pigebit, quæ Launojum directò feriant. *Libro* 1. *de Cain, & Abel capite* 7. *Disce nunc* inquit, *quemadmodum unusquisque moneatur, ne se ipse authorem suorum putet bonorum*. Ne dicas, *inquit*, in corde tuo: virtus mea, & potentia mea fecit virtutem mihi hanc magnam; sed in mente tua habebis dominum Deum tuum; quoniam ipse dat vires, ut facias virtutes. *Unde benè Apostolus quasi legis interpres non gloriabatur in virtute sua; sed minimum Apostolorum se esse dicebat, & quidquid esset, gratiæ divinæ esse, non meriti sui; nihilque nos habere, quod non acceperimus*. Quid enim, *inquit*, habes, quod non accepisti? *Et* Libro 2. de Abraham capite 10. *Conclusit enim Deus omnia in incredulitate, ut omnibus misereatur; ut non volentis, neque currentis, sed miserantis Dei esset gratia; ne te ipsum justificares, sed omnia tribueres Deo, qui te vocavit*. Unumquemque, ut vides, monitum ait Ambrosius, ne se ipse authorem suorum putet bonorum: e contrario Launojus institutæ, de adversa Augustinianæ Doctrinæ fortuna, historicæ narrationi initium dedit, hac prægravi, viroque Theologo digna sententia: (*Pag.*23.) *ad Augustinum usque universim creditum est, ac citra dubitationis aleam positum, nosmetipsos nostræ prædestinationis authores esse*. Totum divini muneris esse monet ille; hic (*Pag.*48.) Augustinum illud idem statuentem, erroris, ac novitatis incusat.

Pergit Ambrosius, & vel ipsas boni cogitationes, ac desideria, Dei dona esse contendit, *capite ultimo Libri* 1. de Cain, & Abel: *Quidquid autem sanctum cogitaveris, hoc Dei munus est, Dei inspiratio, Dei gratia*. Et in Psalmum 118. *Concupiscimus desiderare, quasi non sit potestatis nostræ desiderium, sed gratiæ Dei .... Omnis creatura, quæcumque bona habet, accepit a Christo, qui totius est author creaturæ*. (*Pag.*25.) Ex adverso Launojus ne ipsum quidem velle, & agere divini muneris esse dictitat, & Augustino aliter statuenti erroris notam affricat. Quid tandem? Vocationis gratiam ex Dei nutu, & inæquali mensura dispensatam profitetur Ambrosius loco ante appellato: *ergo cui vult*, inquit, *miseretur, & quem vult, obdurat: hunc miseratus hortatur, illum non revocat execratus*. Et *Libro* 7. in *Lucam*: *Deus, quos dignatur, vocat, & quem*

quem vult, religiosum facit. Hanc indiscreta dispensatione, ac pari omnino mensura singulis promiscuè collatam Launojus effutit, tota, a capite ad calcem, malè nata scriptiuncula.

Et tamen, si superis placet, Ambrosii nomen usurpat fervidus Actor, latamque ab eo in Augustinum sententiam obtendit, quòd scripserit *Libro 5. de Fide capite 6. Pater quoque non petitionibus deferre solet, sed meritis; quia Deus personarum acceptor non est. Unde, & Apostolus ait, quos præscivit, & prædestinavit. Non enim ante prædestinavit, quam præsciret: sed quorum merita præscivit, eorum præmia prædestinavit. Et libro 2. de Cain, & Abel capite 3. Redemptor ideo omnibus opem sanitatis detulit, ut quicumque perierit, mortis suæ caussas sibi adscribat, qui curari noluit, cùm remedium haberet, quo posset evadere: Christi autem manifesta in omnes prædicetur misericordia; eo quòd ii, qui pereunt, sua pereant negligentia: qui autem salvantur, secundùm Christi sententiam liberentur, qui omnes homines vult salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire*. Verùm nec aliud statuit Augustinus, quàm quod illic definit Ambrosius, modò in rectam intelligentiam accipiatur. De Christi morte, ex gratiæ Vindicis mente, pro omnibus oppetita diximus, cum alibi sæpè, tum maximè capitibus 2., & 7. nec aliud superest quod dicamus. Alterum de gloria, iis a Deo Patre destinata, quos rectè victuros pervidit, ex dictis paulò antè Augustinianum sensum accipit, majoremque ex dicendis proximo capite lucem accipiet.

Hieronymum mendacem faciat necesse est, qui eum Augustino contrarium dixerit. *Mihi autem decretum est te amare, te suspicere, colere, mirari, tuaque dicta quasi mea defendere*: Bethleemitici Patris verba sunt, Præsulem Hipponensem compellantis *Epistola 172*. Et certè cùm orto paulò antè Pelagio stilum moverit, primusque in eundem victricia arma contulerit; nulla illi lucubratio exiit, quà divinæ gratiæ necessitatem, vires, efficaciam non extulerit. Ex multis pauca delibo, quibus perspicuum fiat, non qualemcumque gratiam ab eo positam esse, sed eam planè, quam ab Augustino propugnatam criminatur Traditionis investigator.

Libro 2. Dialogorum contra Pelagianos: Ex quo intelligimus, non nostræ solùm esse potestatis facere, quod velimus, sed, & Dei clementiæ, si nostram adjuvet voluntatem. Et longè infrà: *Ut sciamus Dei esse donum, bonum omne, quod gerimus*, ego, *inquit*, plantabo eos, ut nequaquam eradicentur; & ego dabo eis cogitationem, & sensum, ut intelligant me. *Si cogitatio, & sensus dantur a Deo, & intellectus Domini ex illius, qui noscendus est radice pullulat: ubi est liberi arbitrii tam superba jactatio?* Et Libro 3. *Salomon loquitur*, devolve super Dominum opera tua, & fir-

firmabuntur cogitationes tuæ. *Tunc enim nostra cogitatio confirmatur, quando omne, quod agimus, quasi super stabilem, & solidissimam petram Domini, adjutorium devolvimus, eique cuncta reputamus.* Pleniùs verò nonnullis interjectis: *Dominus dicit*, ego sum vitis, & vos rami, qui manet in me, & ego in eo, iste affert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere. *Sicut rami, & flagella vitium illicò contabescunt, cum fuerint a matrice concisa: ita omnis hominum fortitudo marcescit, & deperit, si a Dei auxilio deseratur.* Nemo *inquit*, potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. *Quando dixit, nemo potest venire ad me, frangit superbientem arbitrii libertatem: quòd etiamsi velit ad Christum pergere, nisi fiat illud, quod sequitur*, nisi Pater meus cœlestis traxerit eum, *nequicquam cupiat, & frustra nitatur: Simul, & hoc animadvertendum, quod qui trahitur, non spontè currit, sed aut retractans, aut tardus, aut invitus adducitur .... Longum est si voluero cuncta sacrarum Scripturarum exempla proferre. Totus sermo Sanctorum ad Deum oratio est: tota oratio, & deprecatio extorquet clementiam Creatoris, ut, qui nostris viribus, & studio salvari non possumus, illius misericordia conservemur. Ubi autem misericordia, & gratia est, liberum ex parte cessat arbitrium: quod in eo tantum est, ut velimus, atque cupiamus, & placitis tribuamus assensum. Jam in Domini potestate est, ut id, quod cupimus, quod laboramus, ac nitimur, illius ope, & auxilio implere valeamus.*

Epistola ad Ctesiphontem, adversus nascentem Pelagianam hæresim scripta, hoc idem inculcat sanctissimus Pater: *Velle*, inquit, *& currere meum est: sed ipsum meum, sine Dei semper auxilio non erit meum. Dicit enim idem Apostolus*: Deus est, qui operatur in nobis, & velle, & perficere. *Et Salvatòr in Evangelio*: Pater meus usque modò operatur, & ego operor: *semper largitor, semperque donator est. Non mihi sufficit, quod semel donavit, nisi semper donaverit. Peto, ut accipiam, & cùm accepero, rursùs peto. Avarus sum ad accipienda beneficia Dei: nec ille deficit in dando, nec ego satior in accipiendo. Quantò plus bibero, tantò plus sitio.* Et Epistola 13. ad Cyprianum Presbyterum: *Homo a principio conditionis suæ Deo utitur adjutore: & cùm illius sit gratiæ, quod creatus est, illiusque misericordiæ, quod subsistit, & vivit: nihil boni operis agere potest absque eo, qui ita concessit liberum arbitrium, ut suam per singula opera gratiam non negaret. Ne libertas arbitrii redundaret ad injuriam Creatoris, & ad ejus contumaciam, qui ideo liberè conditus est, ut absque Deo nihil esse se noverit.* Ac tandem, ut cætera mittam, Libro 1. Commentariorum in Epistolam ad Ephesios, ad illum versum capitis 1.

In quo sorte vocati sumus, etiam & nos prædestinati secundùm propositum ejus, sic habet : *Nos homines pleraque volumus facere consilio, sed nequaquam voluntatem sequitur effectus; illi autem nullus resistere potest, quin omnia, quæ voluerit, faciat*. Hactenus Hieronymus. Gratia porro, qua, & cognitio, & sensus, & intellectus dantur a Deo; qua posita cuncta Deo tribui intelliguntur, liberumque ex parte cessat arbitrium; quæ detrectantem, ac etiam invitum trahit, & ducit ad Christum, humanæque voluntatis contumaciam, ac superbiam frangit; cui demùm nullus obsistit, quominùs omnia, quæ voluerit, operetur in nobis : annon illa ipsa est, quam ubique passim vindicat Augustinus, quam Launojus erroris insimulat, carpit, vertitque ludibrio?

Imò memorata ad Ctesiphontem Epistola, divini auxilii necessitatem, ad minimos libertatis actus protendit, intra naturæ ordinem constitutos, atque ex sua ipsorum specie indifferentes : & Pelagianum actorem aliter statuentem durioribus verbis habet, multoque sale defricat. Qua de re haud satis scio, an acrem Pelagianis litem moverit Augustinus : tametsi jugi naturæ Authoris auxilio, ad hæc ipsa egere hominem non ignoro. *Audite quæso*, inquit Hieronymus, *audite sacrilegum : si*, inquit, *voluero curvare digitum, movere manum, sedere, stare, ambulare, discurrere, sputa jacere, duobus digitulis narium purgamenta decutere, relevare alvum, urinam digerere; semper mihi auxilium Dei erit necessarium? Audi, ingrate, imo sacrilege, Apostolum prædicantem*: sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid agitis, omnia in nomine Domini agite .... *Injuriam tibi fieri putas, & destrui arbitrii libertatem, si ad Deum semper authorem recurras, si ex illius pendeas voluntate? &c.* Quibus haud mitiora habet sanctissimus Doctor Libro 1. Dialogorum adversùs Pelagianos, non longè ab initio.

De gratuita ad gloriam vocatione, ab exploratis in antecessum meritis minimè pendula, imò quæ meritorum electis conferendorum caussa sit, explicatior Hieronymi sententia est. Sacrarum enim hoc de argumento Scripturarum oracula, non secus ac Augustinus, interpretatur, & in hanc ipsam sententiam flectit. Exemplo sit illud Apostoli ad Romanos 9. *Quid ergo dicemus? nunquid iniquitas apud Deum?* cujus hanc expositionem dat *Epistola* 7. ad *Hedibiam quæstione* 10. *Si Esau & Jacob necdum nati erant; nec aliquid egerant boni, aut mali : ut vel promererentur Deum; vel offenderent; & electio eorum, atque abjectio non merita singulorum, sed voluntatem eligentis, & abjicientis ostendit, quid ergo dicemus?* Iniquus est Deus? *secundùm illud exemplum, quo loquitur ad Moysen* : Miserebor cui misertus fuero, & misericordiam præsta-

ſtabo, cui miſerebor. *Si hoc*, inquit, *recipimus, ut faciat Deus quodcumque voluerit, & abſque merito, & operibus, vel eligat aliquem, vel condemnet : ergo non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei; maximè cum eadem Scriptura, hoc eſt, idem Deus loquatur ad Pharaonem* : in hoc ipſum excitavi te, ut oſtendam in te virtutem meam, & annuncietur nomen meum in univerſa terra. *Si hoc ita eſt, & pro voluntate ſua miſeretur Iſraeli, & indurat Pharaonem : ergo fruſtrà queritur, atque cauſatur, nos vel bona non feciſſe, vel feciſſe mala : cùm in poteſtate ipſius ſit, & voluntate, abſque bonis, & malis operibus, vel eligere aliquem, vel abjicere; præſertim cùm voluntati illius humana fragilitas reſiſtere nequeat. Quam validam quæſtionem, Scripturarum ratione contextam, & penè inſolubilem, brevi Apoſtolus ſermone diſſolvit, dicens* : O homo ! tu quis es qui reſpondeas Deo? *Et eſt ſenſus : Ex eo quod reſpondes Deo, & calumniam facis, & de Scripturis tanta perquiris, ut loquaris contra Deum, & injuſtitiam voluntatis ejus incuſas, oſtendis te liberi eſſe arbitrii, & facere, quod vis, vel tacere, vel loqui. Si enim in ſimilitudinem vaſis fictilis te a Deo creatum putas, et illius non poſſe reſiſtere voluntati, hoc conſidera, quia vas fictile non dicit figulo, quare me ſic feciſti? Figulus enim habet poteſtatem, de eodem luto, aut eadem maſſa, aliud vas in honorem facere, aliud in contumeliam.*

Exemplo quoque ſit illud alterum ejuſdem Apoſtoli *ad Epheſios* 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti, et immaculati coram ipſo* : quod ita in adornatis ad eam Epiſtolam Commentariis interpretatur : *Non ait Paulus, elegit nos ante conſtitutionem mundi, cùm eſſemus ſancti, et immaculati*, ſed elegit nos, ut eſſemus ſancti, & immaculati, *hoc eſt, qui ſancti, & immaculati ante non fuimus, ut poſtea eſſemus .... Non eliguntur Paulus, & qui ei ſimiles ſunt, quia erant ſancti, & immaculati; ſed eliguntur, & prædeſtinantur, ut in conſequenti vita per opera, atque virtutes, ſancti, & immaculati fiant*. Quod etſi adversùs Origenis errorem ex inſtituto ſcripſerit Hieronymus, Semipelagianam tamen hypotheſim ex æquo petit. Si enim idcircò Deus electos prædeſtinat ad regnum, ut ſancti ſint; non itaque futuræ ſanctitatis præſcientia prædeſtinationis eſt cauſſa, ſed potiùs conſectarium.

Illud demùm Chriſti Domini oraculum expendens Hieronymus, quo Tyrios, & Sidonios pœnitentiam acturos declaravit, ſi hæc ipſa apud illos miracula edidiſſet, quæ patraverat in Judæa, ita divinorum judiciorum altitudinem demiratur ad caput 11. Matthæi : *Quærat prudens lector, et dicat : ſi Tyrus, et Sidon, & Sodoma potuerunt agere pœnitentiam ad prædicationem Salvatoris,*

ris, signorumque miracula, non sunt in culpa, quod non crediderunt; sed vitium silentii in eo est, qui acturis pœnitentiam noluit prædicare. Ad quod facilis, et aperta responsio est: ignorare nos judicia Dei, et singularum dispensationum ejus sacramenta nescire. Non itaque, Hieronymo judice, futurorum meritorum, bonarumve dispositionum prænotio, vocationis, aut electionis est caussa, sed una Dei secreta voluntas, quæ sua pro nutu dona dispensat. Equidem prædicantibus demum Apostolis, post Christi in cœlos ascensum, Tyrii, & Sidonii crediderunt: at interim quot anteà morte sublati periere, qui visis Christi miraculis credidissent?

Et hìc rursùs ex adverso obstrepit pseudo-Traditionis fabricator, varia in oppositum Hieronymi dicta ingerens, ac nullum, ut assolet, locum appellans. Quantum tamen conjicere licet, hæc ipsa sunt, quæ sequuntur. *Libro* 1. *Commentariorum in Epistolam ad Galatas*, ad hæc prioris capitis verba: *cùm autem placuit ei, qui me segregavit*, sic habet de Jacob, & Esau: *Ex Dei præscientiâ evenit, ut quem scit justum futurum, priùs diligat, quàm oriatur ex utero; et quem peccatorem, oderit antequàm peccet. Non quò et in amore, et in odio iniquitas Dei sit; sed quò non aliter eos habere debeat, quos scit, vel peccatores futuros esse, vel justos. Epistola* 3. *ad Damasum: Dedit eis liberum arbitrium, dedit mentis propriæ libertatem, et ut viveret unusquisque non ex imperio Dei, sed obsequio suo: id est, non ex necessitate, sed ex voluntate, ut virtus haberet locum, ut a cæteris animantibus distaremus, dum ad exemplum Dei permissum est nobis facere, quod velimus. Unde, et in peccatores æquum judicium, et in sanctos, aut justos justum præmium retribuitur. Libro* 13. *Commentariorum in Isaiam ad caput* 49. *Dei enim est vocare, et nostrum credere: nec statim si nos non credimus, impossibilis Deus est: sed potentiam suam nostro arbitrio derelinquit, ut justi voluntas præmium consequatur*.

At nemini cuiquam negotium ista facessent, qui mentem ad laudata superiùs testimonia intentam attulerit. De primo diximus, dum de Chrysostomo ageremus; nemini scilicet dubium esse, quin Deus ex æternitate prænoscat, qui boni, quive mali futuri sint; quin illos diligat ante tempora, istos odio prosequatur. En primam, simplicemque quæstionem, de qua nemo unquam dubium movit. Verùm alia statìm emergit abstrusior, quæ magna in hanc diem ingenia fatigavit: cur, cùm omnes æternæ damnationi ex æquo nascantur obnoxii, a qua nemo potest nisi per Dei gratiam liberari, alii quidem in massa perditionis relinquendi prævideantur; alii, ut inde caput exerant, gratiæ beneficiis exornandi? Hanc, quæ altioris indaginis est, eo loci non attigit Hieronymus. Qua-

Quare dato brevi illo responso, subjunxit e vestigio : *Et hæc quidem simpliciùs dicta sunt, & absque altiori dissertatione possunt utcumque placere lectori* : satis nimirùm intelligens, aliud longè abstrusius, longè altius superesse, ad integram institutæ quæstionis elucidationem, investigandum. Alterum ex Epistola 146. petitum, ad liberi arbitrii defensionem unicè dictum est, salvis nihilominùs, tectisque divinæ gratiæ juribus : alioquì cum iis apertè pugnaret, quæ paulò antè ex Dialogis, & ex celebri ad Ctesiphontem Epistolâ recitavimus. Unde, & illa ipsa, quæ primâ fronte duriora videri poterant in objectâ sententiâ, unumquemque nimirùm vivere, *non ex imperio Dei, sed obsequio suo*, ita statim exposuit, ut de tyrannico imperio liberum arbitrium perimente, dictum ostenderet : *id est*, inquit, *non ex necessitate, sed ex voluntate*. Ultimum haud aliter accipiendum. Credere quidem nostrum est ; at præcedente vocatione, non qualicumque, sed illa ipsa, qua Pater trahit ad Christum ; de qua Hieronymus Libro 3. Dialogorum : *Etiamsi velit homo ad Christum pergere* : Nisi Pater meus cœlestis traxerit eum, *nequidquam cupiat, & frustra nitatur*. Cæterum quòd sequitur, *Deum omnipotentiam suam nostro arbitrio derelinquere*, tametsi minùs fortassè limatum, rectam nihilominùs, ex memoratis sanioris doctrinæ principiis, intelligentiam mutuatur; nihilque, ex Hieronymi mente, sibi vult aliud, quàm ultrà divinæ potentiæ auxilium, nostræ etiam voluntatis arbitrium desiderari. Verùm si in sensum a nonnullis recentioribus excogitatum accipiatur, utì profectò Launojus accepit, ut suam Deus omnipotentiam arbitrio nostro subjiciat, ac veluti donet, ut ea, seu veriùs donis ejus pro nutu, atque imperio utamur, damnata proscriptaque assertio est. Quod ne quis invidiose magis, quàm verè adnotatum existimet, latæ censuræ decretum subjicio.

Feria 5. die 23. Novembris 1679.

I*N Congregatione generali S. R., & Universalis Inquisitionis, habitâ in Palatio Apostolico Montis Quirinalis, coram Sanctissimo D. N. Innocentio Papa XI., ac Eminentissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in universa Republica Christiana, adversùs hæreticam pravitatem Inquisitoribus generalibus, a sancta Sede Apostolica specialiter deputatis. Cùm supradictis Eminentissimis, & Reverendissimis Dominis delatæ fuerint duæ propositiones, scilicet* : Deus donat nobis omnipotentiam suam, ut ea utamur, sicut aliquis donat alteri villam, vel librum : *Et*, Deus subjicit nobis suam omnipotentiam : *eorumdem jussu, per Theologos ad id specialiter deputatos, diligenter examinatæ fuerunt* : *quorum votis auditis, &*

re

re Sanctissimo Domino nostro relata, & coram sua Sanctitate proposita, unà cum votis ipsorum Eminentissimorum, & Reverendissimorum Dominorum S. R. E. Cardinalium, Sanctitas sua decrevit, & mandavit, ut ambæ propositiones omninò probiberentur; sicut eas præsenti Decreto damnat, & probibet, ut temerarias, ut minimùm, & novas; mandatque ne quis deinceps, cujuscumque sit gradus, ordinis, aut conditionis, illas, vel illarum alterutram audeat imprimere, vel imprimi facere, sive scriptis, aut etiam oretenùs docere, vel asserere, sub pœnis, & censuris in Indice Librorum probibitorum contentis, aliisque sanctitati suæ benè visis.

Franciscus Ricbardus Sanctæ Romanæ, & universalis Inquisitionis Notarius.

Patrum superiorum temporum Traditionem constantium claudet agmen Sanctus Cyrillus Alexandrinus, Augustino ætate suppar, imò uno, alterove anno superstes; eidemque in prædicanda divinæ gratiæ liberalitate, efficacia, proximè conferendus. Quid hac ejus sententia disertiùs, quid luculentius, *Libro* 4. *Commentariorum in Isaiam oratione* 2.? *Ut lutum nos figulo cedimus, ut, quod ipsi visum est, operetur. Transfert enim citra laborem quocumquè voluerit, quæ nostra sunt; & a turpioribus ad id, quod honestum est, animum transformat, nobisque cor novum immittit, extirpato priore. Nimirùm ejusmodi quidpiam dixit voce Ezechielis*: evellam cor lapideum ex carne ipsorum, & dabo illis cor carneum, *id est, tenerum, & sequax ..... Et quid ita mirum, aut incredibile videri debet, si hominis mentem pro suo arbitratu aliter fingat, ac fabricet, qui manu cœlum firmavit?* Hoc scilicet est, quod voluit Augustinus, novoque Censori stomachum movit; Deo volenti salvum facere nullum humanum arbitrium obsistere; penesque illum stare humanorum cordium, quæ voluerit, quò voluerit, quando voluerit, inclinandorum, omnipotentissimam potestatem. Quid hoc alterum dicam, ex *Libro* 5. eorumdem *Commentariorum* excerptum; quo, & gratuita electio, & intima vocationis efficacia conceptissimis verbis declarantur? *Providentia Dei servatus est quisquis inter Judæos erat salute per Christum dignus. Nimirùm divinus Paulus gratuita electione partem aliquam desumptam fuisse dicit, & secretione, ac segregatione quadam, tanquam ex omni Judæorum regione reliquias Israelis irretitas, & illaqueatas.* Si quid ejusmodi ex Augustini stylo fluxisset; si gratiam homines *irretire, & illaqueare*, alicubi fortè significasset sanctissimus Doctor; quàm subitus icto Censoris capiti fervor accessisset! At ringatur licèt, frontemque feriat, cætera Cyrilli testimonia perpendamus.

Libro de Adoratione in spiritu duplex auxilii genus, perinde ac Augustinus, distinguit; alterum quidem in mera suasione menti im-

ti immissa, & admonitione positum; alterum longè fortius, & efficax, quo voluntatis pervicacia superatur, ac frangitur. Ita quippè illud *Genesis 19. apprehenderunt Angeli manum ejus*, præclarè interpretatur: *Indicium autem tibi sit valdè manifestum, dum non solis verbis nos extimulat, & adhortationibus menti immissis, ut discedamus a peccato; sed tantam benignitatem nobis exhibet universorum Salvator Deus, ut efficaci subsidio adjuvet, secundùm quod scriptum est*: apprehendisti manum dexteram meam, & in consilio tuo deduxisti me. (*Ps. 72.*) *Nam quoniam hominis natura non valdè generosa est, neque satis idonea, ut malum fugere queat, simul quodammodò nobiscum certat Deus, & duplex concedere beneficium videtur, persuadens admonitionibus, ut subsidium inveniamus; & fortius illud præstans, quàm ut malum præsens, & violentum prævalere possit.*

Gravia sunt hæc, sed fient eorum, quæ dicturus sum, comparatione levissima. Nedùm gemina illa Augustinianæ doctrinæ capita Cyrillus asseruit; verùm etiam illa ipsa eorumdem consectaria, quæ gravioribus, frequentioribusque censuris Launojus inussit, pari dicendi forma, pari animi sententia propugnavit. Certè quàm invidiose Augustini interpretationes, de Christi morte pro solis singulorum generibus oppetita, deque fusa pro solis electis oratione, (quarum sensum 2., & 7. capite planum fecimus) traduxerit tetricus Censor, nihil ultra attinet percensere. Intercalaris querela illa est, singulo quoque capite recantata. Porrò Cyrillus hoc idem Scripturarum oraculis interpretamentum dedit, *Libro* 11. *Commentariorum in Joannis Evangelium*; illud ejusdem dilecti Discipuli dictum recolens, ex *Epistola* 1. *Canonica capite* 2. v. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi. *Verùm*, inquit, *beatus Joannes, quoniam erat Judæus, ne pro Judæis tantùm paracletus esse Dominus apud Patrem videretur, non autem etiam pro aliis gentibus, quæ vocatæ, obsecutæ sunt: necessariò pro toto mundo adjecit, idest pro omnibus, qui per fidem vocati ad justitiam, & sanctificationem perveniunt. Dominus autem noster Jesus Christus suos a non suis separans, pro eis*, inquit, *tantummodo, qui verba mea servant, & jugum meum acceperunt, rogo. Nam quorum mediator, atque Pontifex est, ipsis tantummodò mediationis bonum, non injuria attribuit: quos etiam datos sibi fatetur.*

Alterum Augustini dictum, haud minori invidia exceptum ab audaci Criminatore, illud profectò est, quo secutam ex originis vitio peccandi necessitatem asseruit, nisi inter præsentis vitæ tentationes divino auxilio muniamur: cujus perindè sensum in aperto posuimus *capp.* 2. 3. 7., & pervulgato Innocentii I. effato confirmavi-

mavimus : *Necesse est, ut quo auxiliante vincimus, eo iterùm non adjuvante, vincamur*. Vide jam quid ea de re statuat Cyrillus Alexandrinus, *Libro de Adoratione in spiritu*. *Ubi Deus manum quasi contrahit, & auxilium suum suppeditare nobis cessat, necessarium quodammodò est, nos etiam in mala involuntaria incidere, & omni virtute excidere, & subire quasi alterius jugum, & in tanta provenire mala, ut propè necessarium sit, etiam intellectum, qui nobis ad omne bonum servit, & intra nos habitat, deperire.*

Num ista, cæteraque supra laudata, ex Augustino delibarit Cyrillus Alexandrinus, haud satis scio: imò minùs verisimile arbitror, Græcum hominem Latini hominis codices deflorasse. Id tamen satis compertum, digna prorsus esse, quæ ex summi gratiæ Vindicis calamo fluxerint.



C A-

CAPUT ULTIMUM.

Familiares priscis Ecclesiæ Patribus loquendi formulæ, ab Launojo frequentiùs objectæ, cumulatiùs expenduntur, & cum Augustini sententia conciliantur.



Ametsi veterum testimonia, a spuriæ Traditionis Consarcinatore, miserè corrasa, & in præposteros sensus ignoranter accepta, singulatim, pro re nata, hactenùs exposuerim, ut suam unicuique intelligentiam redderem: facturum tamen me operæ pretium existimavi, si frequentiores eorumdem loquendi formulas, ab Launojo ambitiosiùs ostentatas, ad incudem revocarem; & quàm parùm Augustino repugnent, cumulatiùs ostenderem.

Sunt illæ admodùm quatuor, non modò citatis ab eo Patribus, verùm etiam aliis plerisque superiorum temporum Tractatoribus familiares, quibus latam in gratiæ Vindicem sententiam arbitratur.

Prima, eaque omnium frequentissima, illa est, qua Deus illos eligere dicitur, quos religiose victuros præscivit; imò idcircò illos eligere, quòd tales aliquandò futuri præsciti sint. Quæ verba, ut primùm Launojo Patrum aliquem lectitanti in oculos incurrunt, quasi ridente Minerva, ac secundo sibi favente Mercurio, in Augustinum confestim illidit, ineluctabili veluti telo conficiendum. Miranda profectò Theologi Parisiensis eruditio! qui has ipsas loquendi formulas Augustino utì contrarias opponit, quas ipsemet identidem usurpavit, etiam quo ex tempore a pristino Massiliensium errore resiliit, novaque, ut ait, luce perfusus gratuitam prædestinationem imbibit animo.

Sic *Libro* 1. *ad Simplicianum quæstione* 2. *Nemo eligitur, nisi jam distans ab illo, qui rejicitur; unde quod dictum est:* quia elegit nos ante mundi constitutionem, *non video quomodò sit dictum, nisi præscientia*. Licet autem Libri illi ad Simplicianum Episcopum dati, non ita ut posteriores, limati, atque purgati videantur; utpote qui sub Episcopatus initium, & unius liberi arbitrii tuendi studio editi sint: in iis tamen, repudiato jam errore pristino, veram Christi gratiam triumphasse monet Augustinus ipse; suosque ad illos identidem æmulos misit letho proximus, rectam divinæ prædestinationis, & gratiæ intelligentiam percepturos. Quod is minùs

minùs æque, imo imprudenter egiſſet, ſi eas in illis loquendi formulas uſurpaſſet, quæ rectum in ſenſum, ac defenſatis ultimò dogmatibus conſonum, flecti non poſſent. Lege *Lib. de Prædeſtinatione Sanctorum cap.* 4. *Libr. de Dono perſeverantiæ capp.* 20. & 21. *Lib.* 2. *Retractationum cap.* 1.

Sic *Tractatu* 42. *in Joannem*, diù poſt adeptum Epiſcopatum, exutumque Maſſilienſium errorem adornato, iſta ſub finem habet: *Quod ergo ait Dominus* : qui eſt ex Deo, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis : *non naturarum merita diſcrevit, aut præter ſuam animam, & carnem, aliquam naturam in hominibus, quæ peccato vitiata non eſſet, invenit : ſed quoniam præſcierat, qui fuerant credituri, ipſos dixit ex Deo, quoniam regenerationis adoptione renaſcerentur ex Deo. Ad hos pertinet*: qui eſt ex Deo, verba Dei audit. *Quod verò ſequitur*: propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis, *eis dictum eſt, qui non ſolùm peccato vitioſi erant (nam hoc malum commune erat omnibus) ſed etiam præcogniti, quod non fuerant credituri, ea fide, qua ſola poſſent a peccatorum obligatione liberari. Quapropter præſciebat illos, quibus talia dicebat, in eo permanſuros, quod ex diabolo erant, id eſt, in ſuis peccatis, atque impietate morituros, in qua ei ſimiles erant : nec venturos ad regenerationem, in qua eſſent filii Dei, hoc eſt, ex Deo nati, a quo erant homines creati. Secundùm hanc prædeſtinationem locutus eſt Dominus : non quòd aliquem hominum invenerit, qui vel ſecundùm regenerationem jam eſſet ex Deo, vel ſecundùm naturam jam non eſſet ex Deo*. Quo quid apertius?

Sic *Sermone* 100. de verbis Domini, illud Apoſtoli ad *Romanos* 11. recolens : *reliqui mihi ſeptem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal*, ſic Deum loquentem inducit : *Ego illos elegi, quia vidi mentes illorum de me præſumentes, non de ſe, non de Baal.*

Quid plura? Cùm ea in rem ſuam verterent Maſſilienſes, quæ ſcripſerat pius Pater *Epiſtola* 102. *ſecundæ Paganorum quæſtioni* ſatisfaciens, *tunc voluiſſe hominibus apparere* Chriſtum, & *apud eos prædicari doctrinam ſuam, quando ſciebat, & ubi ſciebat eſſe, qui in eum fuerant credituri* : tantum abeſt, ut a dictis reſilierit, ut iiſdem ſteterit multo magis; tametſi nihil hæc gratuitæ prædeſtinationi officere, demoſtraverit *Libro de Prædeſtinatione Sanctorum capite* 9. *Cernitis me ſine præjudicio latentis conſilii Dei, aliarumque cauſſarum, hoc de præſcientia Chriſti dicere voluiſſe, quod convincendæ Paganorum infidelitati, qui hanc objecerant quæſtionem, ſufficere videretur? Quid enim eſt verius, quàm præſciiſſe Chriſtum, qui, & quando, & quibus locis in eum fuerant credituri?*

turi? Sed utrùm prædicato sibi Christo, & se ipsi habituri essent fidem, an Deo donante sumturi, id est, utrùm tantummodo eos præscierit, an etiam prædestinaverit Deus, quærere, ac disserere tunc necessarium non putavi.

Hæc Augustinus, quo maximè tempore gratuitam prædestinationem tuebatur. Parem priscis Ecclesiæ Patribus loquendi rationem usurpat, & a se pridem usurpatam cum hoc ipso dogmate cohærere demonstrat. Quidni itaque Patres ipsos gratuitæ prædestinationi adstipulatos concedamus, tametsi hanc ipsam sermonis formam tenuerint? Quidni hæc ipsa interpretamenta, queis Augustini voces in rectum sensum accipimus, veterum quoque sententiis commodemus? Tria porrò admodùm accommoda dari possunt.

Primum ab Augustino subministratum istud est, ut nimirùm Deus eos eligere censeatur, quos in ipsum credituros, ac sanctè, pieque victuros præscivit, præscientia videlicèt effectrice, æterno, & efficaci decreto nixa, quo pietatem, sanctitatem ac fidem se illis collaturum constituit; quæ nihil idcircò ab ipsamet prædestinatione distinguitur, qua Deus ea ipsa præsciisse dicitur, quæ fuerat ipse facturus. *Aliquando*, inquit, *Augustinus Libro de dono perseverantiæ capite* 18. *eadem prædestinatio significatur etiam nomine præscientiæ, sicut ait Apostolus*: non repulit plebem suam, quam præscivit. *Hic quod ait*, præscivit, *non rectè intelligitur, nisi prædestinavit, quod circumstantia ipsius Lectionis ostendit. Loquebatur enim de reliquiis Judæorum, quæ salvæ factæ sunt, pereuntibus cæteris ..... In hac ergo electione, & in his reliquiis, quæ per electionem gratiæ factæ sunt, voluit intelligi plebem, quam propterea Deus non repulit, quia præscivit. Hæc est illa electio, qua eos, quos voluit, elegit in Christo, ante constitutionem mundi, ut essent sancti, & immaculati in conspectu ejus in charitate, prædestinans eos in adoptionem filiorum. Nullus igitur, qui hæc intelligit, negare, vel dubitare permittitur, ubi ait Apostolus*, non repulit plebem suam, quam præscivit, *prædestinationem significare voluisse. Præscivit enim reliquias, quas secundùm electionem gratiæ fuerat ipse facturus. Hoc est ergo, prædestinavit. Sine dubio enim præscivit, si prædestinavit; sed prædestinasse, est hoc præsciisse, quod fuerat ipse facturus. Quid ergo nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei Tractatores legimus Dei præscientiam, & agitur de vocatione electorum, eandem prædestinationem intelligere?*

Alterum interpretamentum istud esto: ut nimirùm propositiones illæ simpliciter concedantur: Deus illos vocavit, elegit, prædestinavit, quos pios, religiosos, ac sanctos futuros esse præscivit: modò ne hac unica assertione plenam, & integram Mysterii prædestinationis enodationem stare concedatur; sed alia præterea quæ-

ſtio ſecretior, atque ſublimior inveſtiganda, ſolvendaque ſuperſit. Negari quippè non poteſt, Deum ex æternitate prænoviſſe, qui boni, quive mali futuri ſint; illis præmia, iſtis ſupplicia deſtinaſſe. At eo ſemel conſtituto alia longè difficiliora animum pulſant: 1. Quo medio, illorum quidem bonitatem, iſtorum pravitatem ex æternitate prænoverit? Num in ipſo voluntatis ſuæ decreto, quo ſe, & illorum bonitatem operaturum, & iſtorum malitiam permiſſurum eſſe conſtituit: num potiùs in ipſa cujuſque indifferenti, atque verſatili voluntate? 2. Cur, (cùm omnes ex æquo iræ filii, atque æternæ damnationi naſcantur obnoxii) iſti quidem in ſua ipſorum improbitate relinquendi, illi ab eadem eripiendi prævideantur, ac decernantur? Ab iis quippè inveſtigandis plerique Patrum abſtinuere. Atque ad hanc normam exigendas puto pleraſque veterum ſententias, qui miſſa implexarum quæſtionum tractatione, nudè, ac ſimpliciter pronunciarunt, Deum illos vocaſſe, elegiſſe, prædeſtinaſſe, quos pios, religioſos, ac ſanctos futuros eſſe præſciebat.

Tertium interpretamentum accedit, iis Patribus accommodandum, qui paulò intimiùs prædeſtinationis arcanum attigere: nec modò Deum illos elegiſſe, atque prædeſtinaſſe pronunciarunt, quos pios, ac religioſos fore præſciebat; verùm etiam illos idcircò eaque de cauſſa prædeſtinaſſe, quòd tales illos futuros eſſe præſcierit. Ii quippè non modò præſcientiam, & prædeſtinationem agnovere, ſed illam inſuper iſtius cauſſam ſtatuerunt. Quocirca ut in rectum ſenſum adducantur & ipſi, ex Doctore Angelico (*Par.* 1. *Quæſ.* 23.) ſcire juvat, in operibus electorum a Deo prævifis, duplicem cauſſæ rationem ſpectari poſſe, meriti nimirùm, & finis. Primùm ergo, ſi cauſſam, ut ſchola loquitur, meritoriam inſpexerimus, ordo divinæ providentiæ erga electos gemina graduum varietate diſtinguitur; quorum alii gratiæ juſtificantis ſuſceptionem antecedunt, ut dilectio, vocatio, electio, prædeſtinatio: alii juſtificantis gratiæ receptionem conſequuntur, ut gratiæ auctio, juſtitiæ incrementum, æternæ felicitatis adeptio. Si ergo de gradibus juſtificationis gratiam præeuntibus ſermo veniat; negandum planè operum prævifionem, cauſſam illorum meritoriam a Patribus dici, ne Pelagianis acceſſiſſe videantur, Deum merita noſtra in ſua præſcientia elegiſſe ſtatuentibus. At ſi de gradibus juſtificationis gratiam conſequentibus ratio ineatur, concedendum ultrò, priſcos Eccleſiæ Patres, cauſſam illorum meritoriam in operum prævifione poſuiſſe: ita nempè, ut Deus, ex illorum ſententia, decreverit ante tempora, illis ſe gratiæ, ac juſtitiæ incrementa daturum, qui primo juſtificantis gratiæ dono benè uſuri prævifi ſunt; ac ſubindè, ob merita benè ſervatæ juſtitiæ, æternæ felicitatis præmia largiturum.

Hæc

Hæc itaque recta, hæc sana verborum illorum intelligentia, sicubi Patres occurrunt: *Idcircò Deus quosdam elegit, atque prædestinavit, quòd bonos illos futuros esse præsciverit.* Prædestinationis videlicèt complementum, in iis gratiam justificantem consequentibus gradibus positum, prædestinationem, & electionem appellant; totum, ut fieri solet, a præcipua parte nuncupantes. Qui secùs statuat, non satis catholicæ fidei consulit.

Cæterùm si nos ad caussæ finalis contemplationem convertamus, nudam scholæ controversiam ingredimur, tuta fide hinc inde a Theologis agitatam. Seu enim bonorum operum divinæ gratiæ receptionem consequentium prævisionem, finalem electionis, ac prædestinationis caussam vocitemus; ut eos idcircò Deus prædestinarit ad gloriam, quia illos ad gratiam bonorum operum effectricem destinavit in antecessum: seu vice versa, electionem, ac prædestinationem, gratiæ, bonorumque operum inde fluentium finem appellare liceat; ut propterea quosdam prædestinarit ad gratiam, quòd illos prædestinarit ad gloriam: fides perindè in tuto est. Quandoquidem quocumque res cadat, omnia demum in Dei gratiam, atque misericordiam referuntur. Si tamen Patres illos (de prædestinationis fine fortasse locutos) Augustinianæ, ac Thomisticæ Scholæ, hoc etiam in capite, adjungere lubet, id unum scito: in negotio prædestinationis duo in Deo decreta secerni, sin minùs re ipsa, at mentis consideratione distincta. Primum, quo finem intendit, mediaque subindè ad eundem conducentia seligit: alterum, quo, semel præstituto fine, selectisque mediis opportunis, eorumdem executionem imperat. Primum intentionis decretum Scholæ proceres vocant, quo finem sibi ante præstituit, quàm media seligat; hoc est, antè conferendæ gloriæ consilium init, quàm auxilia meritaque largiri velit, queis electi gloriam consequantur: illudque per omnia gratuitum statuunt, merita omnia ex gratia oritura antevertens. Alterum executionis, & imperii decretum appellant, quo ex ipsa æternitate decrevit, id se operaturum in tempore, ut prædestinati benè agant, & præstitutum finem per pietatis opera sortiantur: hocque meritis ex Dei gratia sobolescentibus superstruitur. Patres itaque de hoc ultimo executionis, & imperii decreto locutos dicito, ut illos Augustino, in hoc etiam scholarum divortio, concilies. Si quæ tamen habes iis veterum sententiis exponendis aptiora, iis utere; & hæc nostra, qualiacumque sint, æqui, bonique consule.

Altera plerisque Patrum familiaris loquendi formula, quam Augustino exitialem Launojus existimat, illa est, qua Deus, nulla personarum ratione habita, omnibus universim, atque ex æquo prospicere, favere, consulere dicitur, paremque in omnes beneficentiam

tiam exercere. Et hìc quoque fervidi Cenforis eruditio commendanda, hæc ipfa Auguftino objicientis, quæ illi cum reliquis communia funt. *Enarratione in Pfalmum* 45. ea Prophetæ verba : *Deus in medio ejus non commovebitur*, hac brevi commentatione illuftrat : *Quid ergo eft, Deus in medio ejus ? Hoc fignificat, quod æquus eft omnibus Deus, & perfonas non accipit. Quomodo enim illud, quod in medio eft, paria habet fpatia ad omnes fines: ita Deus medius effe dicitur, æqualiter omnibus confulens*. Qua itaque forte, qua lege, qui rectum in Auguftino fenfum accipiunt, non rectam itidem in cæteris intelligentiam acciperent ? Quadruplicis itaque generis beneficia fcito, quibus conferendis Deus, omni perfonarum delectu pofthabito, æquam in omnes munificentiam exercet. Primò, quæ ad naturæ ordinem attinet : de quibus *Matthæi* 5. v. 45. *Ut fitis filii Patris veftri .... qui folem fuum oriri facit fuper bonos, & malos, & pluit fuper juftos, & injuftos. Actorum* 17. v. 25. *Dat omnibus vitam, & infpirationem, & omnia .... Definiens ftatuta tempora, & terminos habitationis eorum. Sapientiæ 6.* v. 8. *Non fubtrahet perfonam cujufquam Deus, nec verebitur magnitudinem cujufquam : quoniam pufillum, & magnum ipfe fecit, & æqualiter cura eft illi de omnibus*. Secundò, exterior ad fidem, & legem Evangelicam vocatio : de qua *Matthæi* 28. v. 19. *Euntes docete omnes gentes*, & *Marci 16.* v. 15. *Euntes in mundum univerfum prædicate Evangelium omni creaturæ*. Tertiò, communio Sacramentorum, & in Ecclefiam cooptatio unicuique exhibita, abfque fexus, ætatis, ac generis difcretione *Actorum* 10. v. 34. *In veritate comperi, quia non eft perfonarum acceptor Deus; fed in omni gente, qui timet eum .... acceptus eft illi*. Quartò, præmii retributio, unicuique ex æquo, pro meritorum ratione, facienda, nullo perfonarum delectu habito : *Primæ Petri cap.* 1. v. 17. *Sine acceptione perfonarum judicat, fecundùm uniufcujufque opus. Ad Romanos* 10. v. 12. *Non eft diftinctio Judæi, & Græci : nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum. Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini, falvus erit*. Iis Scripturarum oraculis, aliifque id genus multis eruditi Ecclefiæ Patres, Deum omnibus univerfim, atque ex æquo profpicere, favere, confulere pronunciarunt, in eundem omninò fenfum. Verùm illos de gratiarum interiorum æqua in omnes, & indifcreta diftributione locutos nemo dicet, nifi qui eos toto oftio a Dei verbo aberaffe velit. *Matthæi* 11. v. 25. *Confiteor tibi Pater, Domine cæli, & terræ, quia abfcondifti hæc a fapientibus, & prudentibus, & revelafti ea parvulis. Ad Ephefios* 4. v. 7. *Unicuique autem noftrum data eft gratia, fecundùm menfuram donationis Chrifti. Primæ ad Corinthios* 7. v. 7. de dono con-

continentiæ : *Volo enim omnes vos esse sicut me ipsum; sed unusquisque donum proprium habet ex Deo, alius quidem sic, alius verò sic*. Ibidem *capite* 12. v. 11. *Hæc omnia operatur unus, atque idem spiritus, dividens singulis, prout vult. Ad Romanos* 12. v. 3. *Unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei*. Quibus alia fermè sexcenta adjungere pronum esset.

Tertia sequitur propositio Patribus familiaris, qua nempè felicitatem æternam propriis studiis, laboribus, ac meritis obtinendam profitentur. Ecquid aliud, amabò, sibi voluit Augustinus, etiam dum totum ex Deo esse, totumque illi adscribendum asseruit? *Sermone 169.* de *verbis Apostoli : Totum*, inquit, *ex Deo est, non tamen quasi dormientes, ut non conemur, non quasi, ut non velimus. Sine voluntate tua non erit in te justitia Dei. Voluntas quidem non est nisi tua; justitia non est nisi Dei. Esse potest justitia Dei sine voluntate tua, sed in te esse non potest, præter voluntatem tuam .... Qui ergo fecit te sine te, non te justificat sine te. Ergo fecit nescientem, justificat volentem*. Et *Libro* 2. de *Peccatorum meritis & remissione capite* 5. *Nec ideo tamen solis de hac re votis agendum est, ut non subinferatur adnitendo etiam nostræ efficacia voluntatis*. Adjutor *enim* noster Deus *dicitur, nec adjuvari potest, nisi qui etiam aliquid spontè conatur. Quia non sicut in lapidibus insensatis, aut sicut in eis, in quorum natura rationem, voluntatemque non condidit, salutem nostram Deus operatur in nobis*. Quare nil vetat totum Dei esse, tametsi studiis, ac laboribus enitendum sit; quia, & labores, & studia, & quævis hominum merita ex Dei gratia sobolescunt.

Quarta demùm ab Launojo ad ravim usque inculcata, & Augustino millies ad invidiam objecta Patrum assertio, illa est, qua Deus salutem omnium velle dicitur : quasi id pernegasset sanctissimus Doctor, & in contrariam cæteris Patribus sententiam abiisset. At ductà ad umbilicum operà, tædet, pigetque telam illam retexere, ac novo labore redordiri. Repellendæ calumniæ satis illa sint, quæ *capitibus* 2. & 7. diximus : ubi Doctorem maximum, catholici hujusce dogmatis assertorem, ac vindicem demonstravimus.

Atque hæc de priscis Ecclesiæ Patribus, Augustino per omnia consentientibus, nimis fortaſsè multa. Cui cùm, secutis inde temporibus, Romanos Pontifices, Concilia, Patres pari animi consensione adstipulatos, jam antea probaverimus; id profectò consequens est, consarcinatam ab Joanne Launojo contrariam Traditionem merum exerrantis ingenii commentum esse, calumniæ, & invidiæ plenissimum, Ecclesiæ catholicæ non minùs, quàm Augustino contumeliosum.

NON

NON negligendum est hoc malum, quod ab occultis, parvisque seminibus augetur quotidie, & ab ortu suo latius, longiusque distenditur: sed studendum est, in quantum Dominus adjuvat, ut fallacium calumniatorum hypocrisis detegatur, qui ex ipsa injuriæ magnitudine, quam in uno (AUGUSTINO) cunctis, ac præcipue Apostolicæ Sedis Pontificibus intulerunt, ab indoctis, & parum cautis excellentioris scientiæ judicantur, & misero, perversoque successu facilem mendacio consensum eliciunt, quia reverentiam sibi præsumptione pepererunt.

Sanctus Prosper in Prolusione Operis contra Collatorem.

DE-

DECRETUM

Illustrissimi, ac Reverendissimi D.

CAROLI MAURITII
LE TELLIER
ARCHIEPISCOPI REMENSIS

Adversùs Launoji Traditionem de Prædestinatione, & Gratia e Gallico in Latinum translatum.



AROLUS MAURITIUS LE TELLIER, gratia Dei Archiepiscopus, Dux Remensis, primus Par Franciæ, Ordinis sancti Spiritus Commendator, Provisor Sorbonæ &c. Clero Sæculari, & Regulari nostræ Diœcesis, SALUTEM, ET BENEDICTIONEM. Pro pastorali nostro conservandi fidei depositi munere, die decima quinta Julii[1], anni millesimi sexcentesimi nonagesimi septimi, Decretum promulgavimus, in modum Institutionis pastoralis de Prædestinatione, & Gratia, ad hujusce Urbis Theologicam Facultatem directæ. Nobismetipsis pollicebamur, fore ut posthac nulla tractandi ejusdem argumenti necessitas esset: àt silere non sinit Libellus Leodii anno millesimo septingentesimo secundo, sine privilegio., & approbatione, typis editus cum hoc titulo: *Vera Ecclesiæ Traditio de Prædestinatione, & Gratia*. Expedire verbis, & eloqui non possumus, quàm justo, & acerbo dolore nos affecerit Libellus iste nuper ubique disseminatus. Doctoris Launoji fato functi illum esse nemo unquam nobis persuaserit, cùm in eo firmissima pietatis, ac religionis principia labefactentur. Verùm an perperam ejus nomine inscriptus prodierit, omittimus inquirere: hoc unum statuimus, tum authorem libri, quisquis ille sit, tum qui modò eum in lucem edidit, gravissimi delicti, maximæque apud fideles offensionis reos esse.

Doctrina gratiæ seipsa efficacis in hoc Libello tanquàm pericu-

 losa,

losa, nova, suspecta, & erronea traducitur : Author Prædestinationem Sanctorum ex gratuito Dei erga electos proposito non veretur intolerabilis erroris insimulare ; Ecclesiæ definitiones, vel solennissimas flocci facere ; eisque opinationes apertam novitatis notam præseferentes anteponere. Augustinum, quem Romani Pontifices, ut splendidissimum Ecclesiæ lumen semper habuerunt, indignissimè tractat, eumque appellare audet novatorem, in ea materia, quam adeo luculenter explanavit, ut ei solùm contradicant, qui semper resistunt veritati. En infausti Libelli ideam generalem, cujus scriptori tum veteres Gratiæ Christi hostes quinto, & sexto sæculo, (*Arminiani.*) tum recentiores hacce nostra ætate suo exemplo præiverunt.

Nobis quidem minimè propositum est tenebricosi operis aberrationes fusè prosequi, aut duo supra allata doctrinæ capita a temerariis oppugnationibus multiplici argumento vindicare : id quippè jam satis superiori Decreto anni 1697. præstitimus. Præcipuos tantùm infelicis Authoris errores, in quos cœca eum obscurandæ veritatis cupido impulit, proponemus ; additis quibusdam considerationibus, quibus, quod modò summatim dictum est, clariùs, ac distinctiùs vobis patescet.

Primùm occurrit ejus impia de Scripturis sacris locutio. Eas non minùs veritati consonas, quàm errori contrarias agnoscunt omnes Catholici. Huic Christianæ fidei principio contradicens Author non veretur asserere, singulas, de quibus ibi agit, opiniones, hoc est, Arjanam hæresim, Rebaptizantium, itemque Millenariorum sententiam (*Pag.6.* & 7.) *ita Scripturæ sacræ authoritate niti, ut verosimillimæ esse videantur.* Impium sane dictum, quo veritas, & mendacium permiscentur, & Apostoli oraculo fides detrahitur : *Omnis Scriptura divinitùs inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia. 2. Tim. c. 3. v. 16.*

Non minùs a vero aberrat, dum contra germanum Scripturæ sensum affirmat, (*Pag.51.*) *Judam, tametsi esset e numero electorum, seu eorum, quos Jesu Christo Pater æternus dederat, nihilosecius periisse.* Ut error deprehendatur, sat erit locum Evangelii secundùm Joannem *capite* 17. *vers.* 12. quo abutitur, cum aliis ejusdem Evangelii locis conferre. *Hæc est voluntas*, inquit, *ejus, qui misit me, Patris, ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die. Joann. 6. versu 39. Quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam.* Ibidem *capite* 18. v. 9.

Ut novæ opinationi suæ fidem conciliet, Scripturam truncare non dubitat. Sic post allata divi Pauli verba : (*Pag.10.*) *vestram salu-*

salutem operamini, sequentia verba, ut sibi apertè contraria, silentio prætermittit : *cum metu*, *& tremore*, inquit Apostolus, *vestram salutem operamini* ; *Deus est enim*, *qui operatur in vobis*, *& velle*, *& perficere pro bona voluntate*. *Philip.* 2. *versu* 12. 15. Neque inconsultò hæc omisit, qui erroribus, quos deinceps divo Augustino (*Pag.* 25.) tribuit, hunc ipsum annumerat, *Deum* videlicet *esse*, *qui operatur in nobis*, *et velle*, *et agere*.

Non meliùs Traditionem, alterum doctrinæ catholicæ canalem, quàm ipsam Scripturam, tractat. Jam ab ipsa præfatione duplicem esse de Prædestinatione, & Gratia opinionem supponit, alteram veram, & orthodoxam ; alteram, quæ est Augustini, falsam, & erroneam. Observandum autem, opinionem, quam ut veram, & orthodoxam venditat ; illam ipsam esse, quam oppugnat sanctus Augustinus; eam verò, quam ut falsam, & erroneam notat, illorum esse, quos Ecclesia inter celeberrimos Gratiæ Christi defensores numerat. Addit (*Pag.* 4.) *has duas opiniones a mille*, *et ducentis ampliùs annis permanere*, *nec hucusque agnitum errorem*. Quis non indignè ferat ab hoc temerario Scriptore authoritatem Traditionis everti, dum effutit, per mille, & ducentos annos cuilibet errorem in hac materia sequi licuisse?

Ibidem affirmat, (*Pag.* 4.) *sancti Papiæ de novo Christi post resurrectionem in terris regno opinionem*, *in Ecclesia per trecentos fere annos*, *antequam ejus falsitas deprehenderetur*, *perseverasse* ; *atque adeo tametsi hæreticam*, *habuisse authores*, *et approbatores*, *sanctissimos quosque*, *et doctissimos Christiani orbis viros*. Hos inter sanctos, & eruditos viros facilè recensuerit Justinum, qui quidem Dialogo cum Tryphone declarat se, cum aliis pluribus, Millenariorum opinionem sequi : sed non sine mala fide dissimulat sanctum Martyrem eodem loco testari, *complures puræ*, *ac religiosæ Christianorum doctrinæ viros in alia esse sententia*. *Dialog. cum Tryphone* pagina 306. Editionis anni 1636.

Pergit eadem temeritate dicere, (*Pag.* 5.) *innumeros homines etiam sanctitate*, *ac martyrio insignes*, *Origenis errores secutos fuisse* ; *ut omittam*, inquit, *Arii dogma*, *quod orbis universus imprudens suscepit*. An Traditionem debito honore colit; ejusque regulas callet, qui supponit capitales contra fidem errores, longo annorum spatio, majori parti sanctorum Patrum, atque ecclesiasticorum Scriptorum placuisse?

Antequam conceptum in Augustinum (*Pag.* 20.) virus evomat, lectoris animum prævenire fatagit, callidè monens, eximium Doctorem *a Prædestinationis*, *& Gratiæ doctrina pertinaciter defendenda tam alienum fuisse*, *ut potiùs aliorum judicio se submiserit*, *expressisque verbis declararit*, *neminem velle se sequi*, *si forte in* qui-

quibusdam eum erraſſe perſpexerit. Hæc verba ſumſit Author ex *Libro* ſancti Auguſtini *de dono perſeverantiæ capite* 21. num. 55. ubi ſic habet : *Quamvis neminem velim ſic amplecti omnia mea, ut me ſequatur, niſi in iis, in quibus me non erraſſe perſpexerit.* Cur verò ſequentia ſtatim verba non attulit? Nimirùm quia ex iis patebat ſanctum Auguſtinum, dum præclarum opus de dono perſeverantiæ elucubraret, libros etiam Retractationum feciſſe. Quis enim unquam in mentem inducat, illum ultimo vitæ tempore, ſuperiores Libros retractantem, in hoc poſteriore aliqua imprudenter poſuiſſe, quæ corrigi vellet? Laudanda certè ſancti Doctoris tam demiſsè hìc de ſe loquentis modeſtia; ſed a ratione prorsùs alienum eſt, his eum verbis Prædeſtinationis doctrinam ſignificare voluiſſe. Quantum id ab ejus mente abeſſet, demonſtrant hæc ultima ejuſdem capituli verba : *Nimiæ igitur contentionis eſt prædeſtinationi contradicere, vel de prædeſtinatione dubitare*. Eodem *cap. num.* 56. Quibus ſubjungit *capite* 23. *num* 65. *Ac per hoc prædeſtinationis hujus fidem, quæ contra novos hæreticos nova ſollicitudine nunc defenditur, nunquam Eccleſia Chriſti non habuit*. Hæc non attendit Libelli ſcriptor; neque etiam legit, quæ eodem Libro Auguſtinus tam aſſeveranter ait : *Hoc ſcio, neminem contra iſtam prædeſtinationem, quam ſecundùm Scripturas ſanctas defendimus, niſi errando, diſputare potuiſſe*. *cap.* 19. *num.* 48. Hìc apertè, vel inſcitiæ, vel malæ fidei eſſe convincitur Author Libelli.

Idem animadvertens, quàm firma, & valida ſit ad fidem prædeſtinationis, & gratiæ ſtabiliendam, probatio, quam Auguſtinus ab orationibus Eccleſiæ deſumit, *de dono perſeverantiæ cap.* 23. *num.* 65. hanc conatur eludere, oppoſita ei Traditione. En ejus verba : (*Pag.* 53.) *Fallitur idem Sanctus, dum ait opinionem ſuam perpetuam eſſe fidem Eccleſiæ, eo quòd ſemper Eccleſia filiis ſuis fidem, aliaſque virtutes Chriſtianas a Deo poſtularit*. *Neque enim*, inquit, *hujuſmodi conſequentiis fidem Eccleſiæ dijudicare debuit, aut probare eam ſemper, quod ipſe docebat, tenuiſſe; Sed id ex Traditione demonſtrandum erat*.

Itaque apertè negat orationes Eccleſiæ ad demonſtrandam ejus fidem quicquam conferre. Alia fuit ſententia Sedis Apoſtolicæ in probatiſſimis Capitulis Epiſtolæ ſancti Cœleſtini ad Epiſcopos Galliæ de prædeſtinatione, & gratia, adjunctis. Operæ pretium eſt ipſa octavi Capituli verba hìc exſcribere : *Præter eas autem beatiſſimæ, & Apoſtolicæ Sedis inviolabiles ſanctiones, quibus nos, piiſſimi Patres, peſtiferæ novitatis elatione dejectâ, & bonæ voluntatis exordia, & incrementa probabilium ſtudiorum, & in eis uſque in finem perſeverantiam, ad Chriſti gratiam referre docuerunt, obſecrationum quoque ſacerdotalium Sacramenta reſpiciamus, quæ ab*

Apo-

Apostolis tradita, in toto mundo, atque in omni Ecclesia Catholicæ uniformiter celebrantur, ut legem credendi lex statuat supplicandi. (Apud Labb. Tom. 3. pag. 475.)

Si Scriptorem audias, consequentiæ, quas Augustinus ab orationibus Ecclesiæ ad probandam gratiam infert, procul petitæ sunt, & obscuræ: attamen, si rem attendas, evidentes, ac necessarias esse comperies. Supponendum quippè, Ecclesiam sibi consciam esse, semperque fuisse, solius esse Dei dare, quod ab eo postulat, cum alioquin ei preces ad id impetrandum nequaquam adhiberet. Quid ergo ab eo postulat, & quid nos cum illa postulamus? *Nempe, ut infidelibus donetur fides, ut idololatræ ab impietatis suæ liberentur erroribus, ut Judæis, ablato cordis velamine, lux veritatis appareat, ut hæretici Catholicæ fidei perceptione resipiscant, ut Schismatici spiritum redivivæ charitatis accipiant, ut lapsis pœnitentiæ remedium conferatur, ut denique Catechumenis ad regenerationis Sacramenta perductis, cœlestis aula misericordiæ reseretur.* Eodem Cap. sub finem.

Et hæ quidem supplicationes ad hanc usque diem publicè in tota Ecclesia catholica, die sancto Parasceves fiunt. Itaque patet Ecclesiæ persuasum semper fuisse, Deum efficere, ut bonum velimus, quandoquidem, ut id in nobis efficiat, precatur; eandemque doctrinam toties solemniter profitetur, quoties in celebrandis divinis mysteriis Deum rogat, *ut nostras etiam rebelles compellat propitius voluntates. Et ut nobis de multitudine miserationum ejus sperantibus, partem aliquam, & societatem cum sanctis suis, non æstimator meriti, sed misericordiæ largitor donare dignetur.*

Neque verò hæ preces propriæ sunt Ecclesiæ Latinæ: siquidem ante annos plus mille sanctus Basilius magnus Cæsariensis Episcopus ad altare hanc orationem toto pene Oriente usurpatam ad Deum fundebat: *Dona, Domine, virtutem, ac tutamentum, malos, quæsumus, bonos facito, bonos in bonitate conserva. Omnia enim potes, & non est qui contradicat tibi; cum enim volueris, salvas, & nullus resistit voluntati tuæ.* Ex *Epistola* Petri Diaconi cap. 8. in Appendice ad tom. X. operum sancti Augustini pag. 148. Multùm itaque hallucinatur, qui ait *non hujusmodi consequentiis*, id est, ab Ecclesiæ orationibus petitis, *sed Traditione dijudicandam esse* fidem; quasi verò publicæ totius Ecclesiæ preces ad Traditionem non pertineant. Imò verò in his purissima, antiquissima, & universalior Ecclesiæ Traditio constat, qua fit, ut Gratia Christi, quovis tempore, perpetuum ab his quoque sacrorum ministris, qui eidem adversantur, ac derogant, testimonium habeat. Patet igitur, preces Ecclesiasticas potiorem esse partem Traditionis; atque Augustinum rectè ex his comprobare, suam

suam de gratia doctrinam, perpetuam esse fidem Ecclesiæ : *Sicut in his orationibus*, inquit, *ita*, *&* *in hac fide nata est*, *&* *crescit*, *&* *crevit Ecclesia*. *Lib. de dono persever.* cap. 23. *num. 63.*

Non minus errat Author Libelli, cum inter erroneas Augustini, ad novam suam opinionem fulciendam, propositiones, hanc reponit. (*Pag.* 24.) *Deus vitam dans æternam*, *propria solùm dona sua coronat*.

Si verbis istis significat, Augustini doctrinam esse, quod Deus electis vitam æternam largiendo, nihil ad eorum merita, sed ad sua tantùm dona attendat, illum calumniatur. Id enim sanctus Doctor in suis libris tanquàm fidei contrarium confutavit, & Concilium Tridentinum *Sess. 6. Can.* 32. damnavit. Non debuit Author ignorare, totam Augustini de gratia doctrinam hùc tendere, ut intelligamus : Deum, *Dum coronat merita nostra*, *nihil aliud coronare nisi merita sua* .... *quia eadem merita*, *quibus* corona *redditur*, *non a nobis parata sunt per nostram sufficientiam*, *sed a nobis facta per gratiam*. *Epist. ad Sixtum* 194. *cap.* 5. *num.* 19. Hoc sensu docuit sanctus Augustinus, quod Deus, ubi vitam largitur æternam, propria sua dona coronat; quæ quidem doctrina passim in ejus libris occurrit, ex quibus in Capitula Epistolæ sancti Cœlestini subjuncta, ac demum in Sessionem sextam Synodi Tridentinæ transfusa est.

Ibidem Augustini erroribus annumerat ejus dictum, quod *Deus vitam donando æternam*, *reddit solùm gratiam pro gratia*. Quis credat hominem, qui Theologi sibi nomen assumit, ignorare potuisse, hæc ultima verba, *gratiam pro gratia*, esse ex Evangelio Joannis; atque Augustinum illa citando, ea solùm merita, quæ non sint dona Dei, exclusisse? Quæ hac de re in ejus *Libro de gratia*, *&* *lib. arbit. cap.* 8. & 9. leguntur, sine ullo dubio Scripturæ, Traditioni, ac doctrinæ Concilii Tridentini consentanea sunt.

Postea in eodem Libello hæc verba Augustino affinguntur: *Deus reprobis suas gratias subtrahit*, *ut obedire cessent*. Legantur Responsiones divi Prosperi ad Excerpta Genuensium; & statim patebit, Authorem hanc calumniam a Semipelagianis mutuatum esse. Hi autem illius struendæ ansam sumserant ex *Libro de dono perseverantiæ*, *cap.* 22. *num.* 61. tametsi expresse confutetur eo ipso capite, cujus verba in pravum sensum detorquebant. Eo loco agit Augustinus de modo prædicandæ prædestinationis. Observat autem id odiose fieri posse, cum quis, verbi gratia, diceret : *Si qui obeditis*, *si prædestinati estis rejiciendi*, *subtrahentur obediendi vires*, *ut obedire cessetis*. Hæc sunt verba, quæ Semipelagianorum calumniæ locum dederunt, quam Author Libelli nequaquam suam fecisset, si quæ sanctus Augustinus illicò subjungit, attendisset ;

Hoc

Hoc dicere, inquit, *quid videtur aliud esse, quàm maledicere, aut mala quodammodo prophetare?* Ibidem.

Eodem Capitulo idem sanctus Doctor proponit, qua ratione de justis non perseverantibus loquendum sit, cum de iis sermo inciderit: *Si qui obediunt*, ait, *sed in regnum ejus, & gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt, nec usque in finem in eadem obedientia permanebunt*. Ibidem. Quàm falso, & perperam hac in re accusetur Augustinus patet ex iis, quæ eodem Libro habet: *Voluntate sua*, inquit, *quisque deserit Deum, ut merito deseratur a Deo. Quis hoc negaverit?* Ac deindè: *Voluntate sua cadit, qui cadit, & voluntate Dei stat, qui stat. num.* 12. *num.* 19.

Nihil æque Scriptoris ignorantiam, ac malam fidem arguit, quàm quod ait, ut probet ab Augustino in materia Prædestinationis novatum esse. (*Pag.* 20. *Patet*, inquit, *ex eo, quod rotunde ait, hanc sibi opinionem in discutiendo quodam Apostoli loco, revelatam fuisse*.

Priorem Augustini de initio fidei sententiam, in qua errabat, cum perpetua ejus, & constanti doctrina de Gratiæ ad singulos actus bonos necessitate confundit Author Libelli. Divini auxilii necessitatem ad initium fidei non agnovit ante Episcopatum, ut ipsemet declarat in retractatione libri, quem ei opponebant Semipelagiani. Idipsum fatetur *in Libro de prædestinatione Sanctorum*, ubi post citatum Apostoli locum *Primæ ad Corinthios capite* 4. *versu* 7. *Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem, & accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Hæc statim addit: *Quo præcipuè testimonio etiam ipse convictus sum, cum similiter errarem, putans fidem, qua in Deum credimus, non esse donum Dei, sed a nobis esse in nobis .... Quem meum errorem nonnulla opuscula mea satis indicant ante Episcopatum meum scripta, in quibus est illud ..... ubi est Expositio quarumdam propositionum ex Epistola, quæ est ad Romanos. Libro de Prædestinatione Sanctorum c.* 3. *num.* 7.

At certè in Libris, quos in Episcopatus sui exordio, ad Simplicianum Episcopum Mediolanensis Ecclesiæ scripsit, nondum natam Pelagianorum hæresim, quam futuram non noverat, quasi præfocavit; prædicando gratiam, *qua nos Deus liberat a malis erroribus, & moribus nostris, non præcedentibus bonis meritis nostris, faciens hoc secundùm gratuitam misericordiam suam*. Quæ sunt ejus verba, *Libro de dono perseverantiæ capite* 20. *num.* 52. idque adhuc confirmat sequenti *capite* 21. ejusdem *Libri*.

Observandum autem, initio capitis tertii *Libri de prædestinatione Sanctorum*, de quo supra tanquàm ab Authore perperam citato mentionem fecimus, unicè agi de dono fidei. Et quidem eodem capi-

capite habentur hæc verba : *Nondum diligentiùs quæsiveram, nec adhùc inveneram qualis sit electio gratiæ*. At non attendit, aut dissimulavit Author Libelli, illa ibidem ex Libro primo Retractationum afferri, quo in Libro *capite* 23. sanctus Augustinus retractat scriptum, cui titulus: *Expositio quarumdam propositionum ex Epistola, quæ est ad Romanos*, ante Episcopatum ejus in lucem editum, quando, utì diximus, divinum auxilium ad initium fidei necessarium esse non putabat. Patet itaque hæc verba Augustini; *Nondum diligentiùs quæsiveram, nec adhùc inveneram qualis sit electio gratiæ*, pertinere ad tempus, quod ejus Episcopatum præcessit; atque adeo Scriptorem ea in alienum prorsùs sensum torquere, dum asserit, quod Augustinus, objicientibus eum antea circa prædestinationem, & gratiam in alia sententia fuisse, responderit id accidisse, quia nondum invenerat qualis esset electio gratiæ: cum e contrario certissimum sit sanctum Doctorem in quæstione de gratuità electione minimè variasse, postquam semel a Deo plenam gratiæ cognitionem habuit, hoc est, ab exordio sui Episcopatus.

Neque verò ille peculiari quadam revelatione, utì Scriptor contra verum ejus sensum comminiscitur, sed assidua Scripturarum sacrarum meditatione, & lumine ipsiusmet gratiæ adjutus, divini auxilii ad initium fidei necessitatem agnovit: sic enim Deus veritatem quærentibus manifestare solet; quo sensu dixit, sibi ad Simplicianum de variis circa gratiam quæstionibus scribenti, a Deo revelatum quid de divino adjutorio ad credendum necessario sentiendum esset; eamque loquendi formulam non semel adhibuit, ad significandum multa circa mysterium gratiæ, scrutantibus Scripturas, a Deo revelari, ut videre est *Libro de Gratia, & libero arbitrio cap.* 1., & 2.

Sic deprehensà Authoris Libelli ignorantià, & malitià, ibidem quoque pugnantia inter se loqui convincitur. Nam ubi supposuit sanctum Augustinum dixisse, sibi a Deo revelatum, quid de gratuita prædestinatione sentiendum sit, statim subjungit, (*Pag.*21.) *fassum esse, primum se bujus opinionis inventorem fuisse, atque propriâ eam industrià excogitasse*.

Nusquam Concilium Arausicanum secundum, neque Epistolam Hormisdæ ad Possessorem memorat: sensit quippè hujus sanctæ Synodi Decretis, & responsione Hormisdæ ad consultationem dicti Episcopi, funditùs everti systema suum, & quas Augustini partes in hac quæstione audet appellare, reipsa Ecclesiæ Catholicæ partes declarari. Quid verò ab eo expectes, qui veram Ecclesiæ Traditionem de Prædestinatione, & Gratia, ut præfert titulus Libelli, expositurus, præcipua, maximique momenti monumenta, quæ contra ipsum Augustino caussam adjudicant, supprimit?

Arau-

Arauſicani Concilii Canones tota veneratur Eccleſia : in iis præcipua doctrinæ catholicæ circa gratiam , & prædeſtinationem capita exhibentur : ad illos condendos Patres Arauſicani omnia penè verba ex variis Auguſtini Libris, præſertim, quos adversùs Pelagianos fecit, mutuati ſunt. Quis ergo non ſtomachetur , hanc ipſam ſancti Auguſtini doctrinam, diſſimulata tam ſolemni approbatione, novitatis accuſari ?

Non veretur tamen Author Libelli ſcribere, Auguſtinum , ſtatim atque opinionem ſuam protulit , malè tanquam novatorem audiiſſe ; eique palam objectum , quod a Veterum ſenſu , & fide Eccleſiæ recederet : multa paſſim adverſariorum maledicta in eum conjecta refert, nec improbat : quin etiam aſſerere auſus eſt , ejus doctrinæ a Catholicis contradictum ; at non alios citat, quam Monachos Adrumetinos , & Vitalem Presbyterum Carthaginenſem . Contendit autem iſtos Monachos minimè ſuſpectos eſſe ; quod quid eſt aliud quàm eos ab errore abſolvere ?

Scripſerat Abbas Valentinus ſancto Auguſtino, quinque vel ampliùs fratres, ex datâ ad Sixtum Epiſtolâ offenſionem paſſos eſſe. In Reſponſo (*epiſt.* 215.) autem ad Valentinum expreſsè ait Auguſtinus , ſe idcircò tres Monachos , qui ipſum ſententiam rogaturi convenerant , aliquantò diutiùs tenuiſſe, *ut inſtructiores ad vos redirent , adverſus novos hæreticos Pelagianos , in quorum errorem cadit , qui putat ſecundum aliqua merita humana dari gratiam Dei , quæ ſola hominem liberat per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*. De iiſdem Monachis non alio ſenſu loquitur *Libro* 2. *Retractationum cap. 66.*

Subjungit Author, *Vitalem familiarem Auguſtino amicum , ita ejus doctrina turbatum fuiſſe, ut ad eum literas dederit, quibus ſe non parùm eâ commotum eſſe ſignificaret* . Id tam inſcitè non effutiret, ſi initium Epiſtolæ 217. ſancti Auguſtini ad Vitalem legiſſet, ubi expreſsè notat, ſe publico rumore didiciſſe, quod eo loco refert : *Quomodo dicis, quod te audio dicere* , inquit , ... Vidiſſet quoque ibidem Auguſtinum a Vitale quærere , quomodo diceret, *ut rectè credamus in Deum, & Evangelio conſentiamus , non eſſe donum Dei, ſed hoc nobis eſſe a nobis , id eſt , ex propria voluntate , quam nobis in noſtro corde non operatus eſt ipſe ? Et ad hoc cum audieris, quid eſt ergo, quod ait Apoſtolus : Deus in vobis operatur , & velle , & perficere ?* Reſpondes *per legem ſuam , per Scripturas ſuas , Deum operari , ut velimus , quas vel legimus , vel audimus : ſed eis conſentire vel non conſentire ita noſtrum eſt, ut ſi velimus, fiat ; ſi autem nolimus , nihil in nobis operationem Dei valere faciamus*. En quales catholicos Auguſtino opponit Libelli Scriptor, quos conſtat eſſe puros putos Semipelagianos .

Post tot, tantaque errata, turpiter adhuc labitur, dum toto opere non alios sancto Doctori adversarios opponit, quàm Semipelagianos, quos tamen eo nomine minimè designat. Primùm in scenam producit Faustum Rejensem, Semipelagianorum antesignanum, cujus Opera a Gelasio Primo Summo Pontifice proscripta sunt; deindè Gennadium Fausti, ejusque asseclarum laudatorem; postea Cassianum Presbyterorum Massiliensium ducem Semipelagianæ hæreseos a sancto Prospero convictum; postremò quemdam Prosperum Tyronem, qui Augustinum hæresis Prædestinatianæ authorem appellat. Nonne qui tales contra Augustinum testes producit, jure merito errorum suspectus habetur, quos sanctus Doctor suis scriptis confutavit, & suis Ecclesia decretis condemnavit?

Quidni consulebat sanctum Hieronymum? Audiisset doctissimum Patrem his verbis scribentem Augustino, quem jam cum fidei hostibus manus conferentem, ad plenam de eis victoriam reportandam hortabatur: *Epist.* 195. *Macte virtute, in orbe celebraris: Catholici te conditorem antiquæ rursum fidei venerantur, atque suspiciunt; quod signum majoris gloriæ est, omnes hæretici detestantur: & me pari prosequuntur odio: ut quos gladiis nequeunt, voto interficiant.*

In has Hieronymi laudes suspicio adulationis cadere non potest. Si Scriptor hanc ejus legit Epistolam, vel ex una illa agnoscere debuit castam, omnique labe puram esse doctrinam, quam ipse tam injuriosè tractat.

Concedamus ei, etsi non sine aliqua ejus ignominia, Epistolam sancti Hormisdæ Pontificis, de quâ, ut diximus, ne unum quidem verbum in Libello, illi notam non fuisse: ut sancti Cœlestini publicum, atque honorificentissimum de Augustino jam terris erepto testimonium haud ignoravit, quo ejus doctrina ab omni prorsùs erroris suspicione libera declaratur: *Nec unquam hunc*, inquit, *sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit.*

Siquidem sanctus Doctor (1. *Cor.* 2. *v.* 47., 2. *Cor.* 10. *v.* 4., & 5.) gratiæ Christi adversarios, *non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis*, ut ait Apostolus, sed *armis spiritualibus, omnem altitudinem extollentem se adversùs scientiam Dei destruere potentibus*, oppugnavit. Scripturæ, & Traditioni semper innixus, ut omnipotentis Dei jus, atque imperium in cor hominis tuitus est, ita libertatem humani arbitrii intactam reliquit: hanc per peccatum debilitatam potentiori adjutorio indigere ostendit, non quod naturam destruat, sed fulciat, ac roboret: ex Scripturarum oraculis ita Dei peculiarem erga electos gratiam, ac benevolentiam statuit, ut erga alios, qui ejus beneficiis abutuntur, bonitatem, intra angustio-

ſtiores limites non coarctet. Hæc ſumma, & præcipua Chriſtianæ doctrinæ capita paſſim in ejus libris leguntur; unde minimè audiendus temerarius Scriptor, qui eum in quæſtionibus de gratia adverſus hæreticos modum exceſſiſſe contendit: & niſi quis ea, quæ Adrianus Primus Summus Pontifex circa prædeſtinationem declaravit, apertè rejiciat, cedendum omninò Eccleſiæ judiciis, & Libri Auguſtini ab ea ſummis ſæpè laudibus commendati, debito honore recipiendi. Num ſemper ejus hoſtibus in memoriam revocanda ſummorum Pontificum, tum veterum, tum recentiorum encomia, quibus doctrinam ejus extulerunt?

Extat Adriani Primi definitio in Decreto a nobis anno *1697.* edito, unà cum aliorum ſummorum Pontificum excerptis, quibus patet Apoſtolicam Sedem, quæ de gratia, & prædeſtinatione docuit Auguſtinus, ſolenniter approbaſſe.

Certè Scriptorem Libelli non fugit Cœleſtini Epiſtola: ejus quippè non uno loco meminit; at pravo, & maligno prorsùs conſilio, ut ei ſcilicet, quantùm potis eſt, authoritatem detrahat. (*Pag.* 3.) Jam enim ab ipſa præfatione falſum ait, quod *ſanctus Pontifex Auguſtinum culpa liberarit*; & in ipſo opere, illum hac celebri ad Epiſcopos Galliæ epiſtola (*Pag. 94.*) *damnaſſe potiùs, quàm abſolviſſe* contendit; quæ ſi tamen attentè legatur, nihil magis a mente, ac verbis Cœleſtini alienum dici poſſe ſtatim patebit.

Falsò ſupponit, eundem ſanctum Pontificem (*Pag.76.*) *de novis quæſtionibus ab Auguſtino ſuper gratia, & prædeſtinatione agitatis nihil ſibi decernendum judicaſſe; illas non deciſas reliquiſſe, atque etiam declaraſſe eas ſe neque probare velle, neque improbare*: *quare*, inquit, *de iis hucuſque in utramque partem diſputare licet*. Mirum ſanè, Authorem in iis verbis, quæ Cœleſtino tribuit, & quæ malà fide exſcribit, propriæ temeritatis condemnationem non vidiſſe. Si enim Cœleſtini ſunt, ut ipſe ſupponit, quì venit illi in mentem, doctrinam Auguſtini erroris accuſare, de qua concedit, juxta eundem Pontificem, in utramque partem diſputari poſſe? Propiùs ad veri normam locutus eſſet, *ſi profundiores, & difficiliores quæſtiones*, utì in laudato Capitulo legitur, *non eſſe contemnendas* dixiſſet.

Ex hoc Capitulo malè intellecto perperam concludit, Cœleſtinum Papam *ſententiam divi Auguſtini non damnando, copiam feciſſe viris eruditis illam ſuſtinendi, atque etiam de ea inter ſe, ſine ulla culpa, diſputandi*. Si hæc ita eſſent, verum, & falſum pari loco in Eccleſia haberetur. En ultima Capituli verba attentè ponderanda: *Ad confitendum gratiam Dei, cujus operi, ac dignationi nihil penitùs ſubtrahendum eſt, ſatis ſufficere credimus quidquid,*

quid, secundùm prædictas regulas, Apostolicæ Sedis nos scripta docuerunt; ut prorsùs non opinemur catholicum, quod apparuit præfixis sententiis esse contrarium. En quomodo Capitulorum Author gratiæ efficaciam simul, & dignationem commendat, non solùm asserens tenendum esse quidquid ex Romanorum Pontificum Epistolis, & Africanis Conciliis in unum collegit, sed catholicum non esse quod præfixis regulis contrarium deprehenditur : quodque notandum, his verbis collectionem absolvit, ut altiùs Lectorum mentibus impressa remanerent, ac velut summa doctrinæ præmissis decem Capitulis traditæ haberentur.

Sanè Capitula illa nihil aliud sunt, quàm excerpta Epistolarum Innocentii Primi, & Zozimi, necnon Africanorum Conciliorum ab iisdem Pontificibus approbatorum. Id patet vel ex ipsa Præfatione, ubi expressè dicitur, quod cum nonnulli, de quibus ibi agitur, in damnatis hæreticorum sensibus, seu pravitate, seu imperitia demorantes, nihilominùs profiterentur tantummodò ea sequi, & probare, quæ Apostolica Sedes contra inimicos gratiæ, per ministerium Præsulum suorum, sanxerat, & docuerat; necessarium idcircò fuerit diligenter inquirere, quid Rectores Romanæ Ecclesiæ de hæresi, quæ eorum temporibus exorta fuerat, judicassent, & contra nocentissimos liberi arbitrii defensores, quid de gratia Dei sentiendum esset, censuissent. Quanto quis diligentiùs prædicta Capitula legerit, eo plus stupebit, esse aliquem, qui ex iis probare contendat, sententiam divi Augustini de prædestinatione, & gratia, inter opiniones non decisas reponendam. Certè consentanea omninò sunt doctrinæ ab eo contra Pelagianos traditæ : unde Hormisdas Possessorem monens, ut Libros sancti Doctoris consulat, si discere velit quid Romana, hoc est, Catholica Ecclesia de gratia, & libero arbitrio sequatur, & asseveret, statim certa Capitula in scriniis ecclesiasticis asservata memorat : quæ quidem non alia esse videntur, quàm hæc ipsa Epistolæ sancti Cœlestini ad Episcopos Galliæ, subjuncta.

Non debemus hic omittere, quàm impudenter Author Libelli de locis Scripturæ sancto Augustino objectis loquens, ausus sit dicere, (*Pag. 62.*) *eos optimè intellectos esse : eo quippe sensu*, inquit, *accipiebantur, quo accepti fuerant ab omnibus antiquis Patribus, id quod contra ipsum urgebant adversarii; & e contrario Augustinum eos in alienum sensum detorsisse; idque etiam dicendum de locis Scripturæ, quos pro se afferebat; atque ita eum utrosque, sensu antiquæ Traditioni, ac perpetuæ fidei Ecclesiæ contrario, intellexisse.*

Qua fronte hæc garrit, cum e contra Hormisdas Pontifex Possessori scripserit, necessaria non videri Capitula, de quibus supra, & quæ

& quæ illi offerebat, quandoquidem, inquit, *qui diligenter Apostoli dicta considerat, quid sequi debeat, evidenter cognoscat?*

Postremum Capitulorum Epistolæ Cœlestini adjunctorum, in quo profundiores, ac difficiliores partes incurrentium quæstionum memorantur, Africanis Episcopis in Sardiniam a Trasimundo Vandalorum Rege Arjano relegatis, non erat ignotum; & tamen disertè ajunt, *contra prædestinationem verò Sanctorum magnæ pervicaciæ esse, aliquem, vel parare, vel habere conflictum; cùm Apostolicæ prædicationi nullus audeat refragari*. In *Appendice ad Tom. X. operum sancti Augustini pag.* 155.

Præclari Antistites, & fidei confessores, post præcipua prædestinationis, & gratiæ capita Synodali Epistola explicata, hæc statim adjungunt: *Quæstionem verò animarum, aut tacitam debemus relinquere, aut sine contentione tractare: quia sive ex propagine veniant, sive novæ singulis corporibus fiant: quod sanctarum Scripturarum authoritas non manifeste pronunciat, cum cautela debet inquiri; maxime quod sine fidei detrimento potest a fidelibus ignorari*. Quibus verbis videntur significare, profundiores, ac difficiliores quæstiones in dicto Capitulo notatas, ad quæstionem de origine animæ esse referendas.

Hi pro fide fortiter exilium tolerando, in seipsis, quid in cor hominis valeat divina gratia, ostendebant, cujus victricem potentiam in Epistola tam luculenter explicarunt. At nihilosecius illos despicatui habet petulans Scriptor, putidamque in Confessores Christi, quos inter erat divus Fulgentius, calumniam procudit. Ait quippè, Augustini discipulos, quos non veretur factionis insimulare, (*Pag.* 303. 304.) *doctrinæ Magistri nimiùm addictos, quosdam Antistites in insula Sardinia exules ad partes suas traxisse, eisque suasisse, ut Epistolà Synodali declararent, de fide esse, Deum non nisi electos velle salvare*.

Post tam indignè acceptos fidei generosos defensores, sanctum Cæsarium Archiepiscopum Arelatensem adoritur, non alia de caussa, quàm quod ardentissimum se sancti Augustini patronum præstitit, atque ejus doctrinam in Concilio Arausicano Secundo, cui præfedit, conditis Canonibus confirmavit. (*Pag.* 105.) Ait itaque Cæsarii doctrina adeo turbatam fuisse Arelatensem Diœcesim, ut contra eum Valentiæ Synodus coacta sit, in qua sine dubio damnatus fuisset, nisi Cyprianus Episcopus Tolonensis aliique Antistites amici, sententiam ejus benignè explicassent. Ut fabulæ vanitas appareat, sat erit vitam sancti Cæsarii ab ejus discipulis scriptam consulere. (*In sup. citata Appendice Pag.* 262.) Ibi narratur, quod nonnulli invidi doctrinam hominis Dei circa gratiam arrodere, atque

que erroris suspectam reddere incassum tentarunt : Quocirca plures Episcopi Valentiam convenerunt ; cumque sanctus Archiepiscopus ob valetudinem adesse non posset, multos illuc singulari virtute præditos Antistites misit, quos inter sanctus Cyprianus Tolonensis Episcopus eminebat, qui prolatis Scripturæ sacræ, & sanctorum Patrum testimoniis ostendit, neminem nisi præveniente gratia excitatum viam salutis ingredi posse. Addunt iidem Historici, Bonifacium Summum Pontificem turbas illas, approbatà Cæsarii doctrinà, sedasse. *Nam*, inquiunt, *& beatæ memoriæ Bonifacius Romanæ Ecclesiæ Papa, eadem colluctatione comperta, calcata intentione jurgantium, prosecutionem sancti Cæsarii Apostolica authoritate firmavit*.

Sanè, missa Sedi Apostolicæ a sancto Cæsario hujus controversiæ relatione, Bonifacius Papa suo Rescripto, ejus sententiam, tanquam sanctorum Patrum, præsertimque sancti Augustini doctrinæ consonam, sua authoritate firmavit. (*In eadem Appendice pag.161.*) *Cum de hac re*, inquit Pontifex, *multi Patres, & præ cæteris beatæ recordationis Augustinus Episcopus, sed, & Majores nostri Apostolicæ Sedis Antistites ita ratione probentur disseruisse latissima, ut nulli ulterius deberet esse ambiguum, fidem quoque ipsam nobis venire ex gratia .... Quapropter affectu congruo salutantes, suprascriptam confessionem vestram consentaneam catholicis Patrum regulis approbamus.*

Simili audacia sanctum Prosperum calumniatur Scriptor Libelli, effutiens illum in sua ad Presbyteros Massilienses responsione, *doctrinam Magistri non defendisse, sed deseruisse ; non vindicasse, sed potiùs condemnasse* : quo quid falsius, & gratiæ studiosissimo defensori, qui præclari Magistri vestigia semper secutus est, injuriosius dici potuit ?

Unum restabat ad summam in Augustinum injuriam, errores scilicet Vvitcleffi ei tribuere. Author Libelli (*Pag.* 115.) post expositam Hæresiarchæ istius doctrinam, quam ait *horrendam, ac fidei Catholicæ contrariam apparuisse*, perfricta fronte addit, *Augustini doctrinæ*, in iis capitibus, quæ modò retulerat, *planè consonam fuisse*. (*Pag.* 114.) Atqui his Vvitcleffi capitibus ab eo relatis pessundatur libertas arbitrii, veteresque omnes in sanctum Doctorem calumniæ renovantur. Et quidem Vvitcleffus tam venerandum nomen sibi arrogare honori ducebat : at quis nesciat, illum, cæterosque posterioris ævi hæreticos, suis erroribus Pauli nomen similiter obtendere ? Pergit itaque Author saluberrimam doctrinam a Romanis Pontificibus, totaque Ecclesia approbatam impiis, & damnatis dogmatibus mutare.

(*Pag.* 116.) Zuinglium unà cum Luthero, & Calvino, doctrinam Augu-

Augustini ultrà justos limites extendisse ait; qua in re suam magis, ac magis imperitiam prodit. Constat enim Zuinglium fuisse purum putum Pelagianum. Itaque per errorem magistrum habet pro discipulis, qui, mortuo Zuinglio, in controversiis de gratia Calvinum secuti sunt.

Illud verò valdè indignum, atque intolerandum existimamus, quod eo consilio editus in lucem videatur Libellus, ut motæ jam pridem in Ecclesia turbæ, iterùm excitentur, & in longum perennent. Id certè Authori propositum fuit, cum ausus est scribere: (*Pag. 126.*) *Etsi Jansenius Iprensis Episcopus nomen divi Augustini prætenderet, & quam ei tribuebat doctrinam sexcentis ejus Librorum locis claris, & apertis probaret, ... præcipua ejus theoremata, tam in Galliis, & Hispaniis, quàm in Italia condemnata sunt, nullà inquisitione factà an revera Augustini essent, necne.*

Quas vidimus solenniter datas doctrinæ sancti Doctori ab Ecclesia universa, summisque Pontificibus approbationes, tanquàm normam præ oculis habuit Clerus Gallicanus in exorta de Libro Jansenii controversia. Comitiorum nostrorum acta legantur, ex quibus patet, Episcopos, acceptis Innocentii X., & Alexandri VII. Constitutionibus, eorum judicio accedentes, expressis verbis Augustinianam doctrinam omni labe puram declarasse. Id constat ex deliberationum Cleri Gallicani, circa Constitutionem, ac Breve Innocentii Decimi, relatione, jussu generalium Comitiorum anni 1655. in lucem edita. Ut enim Clerus vanos prætextus, quibus nonnulli debitam Innocentianæ Constitutioni, per Breve die 29. Septembris 1654. datum explicatæ, obedientiam detrectabant, penitùs amputaret; hanc suam mentem tam clarè, tamque luculenter aperuit, ut nullus de ejus erga sancti Augustini doctrinam studio, ac reverentia dubitandi locus superfit. Ipsamet actorum verba hic referre lubet: *In præsenti rerum statu Comitiis placuit, hocce caput, ad solatium fidelium, qui doctrinam sancti Augustini meritò venerantur, clariùs explicandum esse. Hi scilicèt verentur, ne doctrina illa ex Constitutione Pontificia aliquod detrimentum patiatur, quem metum nonnulli eis incutere conantur; at sperandum, subtimidos illos fideles, qui de hac re non ex se ipsis, sed tantùm ex aliorum, quibus fidem adhibent, testimonio judicant, potiùs Cleri Gallicani, quàm privatorum quorumdam authoritati concessuros; quorum privatorum eruditionis, atque ingenii laus, totius Gallicanæ, imo universalis Ecclesiæ, Jansenii doctrinam aliam esse a doctrina Augustini declarantis, testimonio, nequaquàm præferri debet.*

Ad conservandam in ævum tam luculenti testimonii memoriam, & magis ac magis inculcandum Cleri Gallicani ea de re ju-

re judicium, prior Formula ad Innocentianæ Constitutionis receptionem, & subscriptionem condita fuit; cui deindè secunda adjuncta est, ad ejusdem Constitutionis, alteriusque Alexandri VII. subscriptionem procurandam. In bina autem illa Formula expresè habetur, damnatam *Jansenii doctrinam, ab Augustino longe distare, quem ille perperam interpretatus est, & contra ejusdem Doctoris sensum*.

Iisdem vestigiis Clerus insistens in Comitiis anni 1660. doctrinam Jansenii a doctrina sancti Augustini necessariò distinguendam judicavit. Itaque memoratam utriusque Formulæ clausulam perpendens, declaravit, *post decreta fidei adjunctam fuisse, in modum pastoralis instructionis, qua, juxta communem totius Ecclesiæ sensum, doctrinam Jansenii circa quinque propositiones, hæreseos damnari, Augustini verò approbari intelligeretur*.

Comitia generalia anno 1700. habita celebris suæ Censuræ initium duxerunt a condemnatione quatuor propositionum, quibus nonnulli inquieti homines geminam Innocentii, & Alexandri Constitutionem minùs honorifice tractabant: at in ipso Censuræ proludio monuerunt: *nec interim oblivisci par esse, doctrinæ adversus Semipelagianos a sancto Augustino traditæ, quam & Ecclesia Romana suam fecit, & Ecclesiæ Gallicanæ jam inde ab initio commendavit*.

Patet itaque, Clerum Gallicanum errores Jansenii in materia quinque propositionum damnando, antiquam de gratia doctrinam, in Augustini libris rectè explicatam, sartam tectam voluisse. Libelli Consarcinator, & qui nuper illum in lucem edidit, tam publica, tamque illustria Ecclesiæ, Clerique Gallicani in sanctum Augustinum, quem semper ut Doctorem gratiæ coluit, reverentiæ, atque honoris monumenta, ignorare, aut dissimulare non debebant.

Nemo non videt, temerariis hominibus pacis, ac veritatis inimicis propositum esse, in defensores doctrinæ sancti Augustini suspicionem Jansenismi commovere. Nos eam doctrinam, ut omnes sequantur, eo sollicitius advigilabimus, quo a pluribus oppugnari hostibus animadvertemus; idque juxta antiquum Cœlestini monitum ad Episcopos Galliæ: *Resistatur talibus, quos malè crescere videmus*. Hanc doctrinam constat aliam omnino esse a doctrina famosarum quinque propositionum. Ut autem qui res adeo diversas permiscent, pudore suffundantur, ex una parte, quæ sanctus Ecclesiæ Doctor Augustinus de gratia docuit, sanctè retineri oportet; ex altera verò sincere, ac simpliciter obediendum Constitutionibus Innocentii X., & Alexandri VII. in

uni-

universa Ecclesia, præsertim Gallicana, concurrente Regia potestate, acceptis.

In nostra speciatim Diœcesi, prout in cæteris hujus Regni, cum debita reverentia, & submissione acceptæ fuerunt. Jam a primis annis Episcopatus nostri, duos perniciosos Libellos, alterum inscriptum: *Pietatis christianæ speculum;* alterum: *Continuatio ejusdem speculi*, errores quinque propositionum Jansenianarum renovantes, debita censura notavimus: ex quo tempore non parvum nobis fuit solatium, pristinas contentionum turbas in nostra Diœcesi conticuisse. Conservandæ huic paci, qua feliciter, laus sit Deo, nostra Diœcesis gaudet, magis, ac magis, pro viribus nostris, advigilabimus; qua in re, pro debito nostro, Regiæ etiam voluntati duobus Edictis in Consilio status die 23. Octobris 1668., & quinta Martii proximè elapsi latis notificatæ, morem geremus; atque ad tam optatum finem consequendum, *nequaquàm tolerabimus importunos, ac malevolos homines, qui viris bonis, doctisque, & Ecclesiasticæ rei studiosis vagam, & invidiosam Jansenismi accusationem inferunt, eo quoque nomine, quòd morum corruptelas acriter insectentur; cùm nos pro candore, & æquitate Episcopalis Ordinis neminem pro suspecto habituri simus, nisi eum, qui aut Constitutionibus Apostolicis detrahat, aut aliquam ex damnatis propositionibus tueatur*: verba sunt Comitiorum generalium anni 1700. hanc conservandæ pacis Ecclesiasticæ normam nobis præscribentium.

Qui infaustum hunc Libellum tot erroribus plenum in lucem emisit, fortè existimavit neminem fore, qui ei apertè obsisteret; atque ita simplices, ac minùs harum quæstionum peritos fideles in fraudem inductos, constantem, atque immutabilem Ecclesiæ de gratia, & prædestinatione fidem, quam sanctus Augustinus contra Pelagium, ejusque asseclas egregiè defendit, paulatim in dubium revocaturos: at insolentem ejus audaciam impunè abire non decet.

HIS DE CAUSSIS, post invocatum sanctum Dei nomen, damnavimus, ac damnamus Libellum inscriptum: *Vera Ecclesiæ Traditio de Prædestinatione, & Gratia*, tanquam continentem doctrinam falsam, temerariam, scandalosam, divo Augustino, aliisque sanctis Gratiæ Defensoribus injuriosam, evertendæ Traditioni aptam; & Vvitcleffi, Lutheri, aliorumque similium hæreticorum impiis dogmatibus faventem; in principiis erroneum, & in consequentiis periculosissimum: ejusque lectionem vobis, cæterisque hujusce Diœcesis fidelibus interdicimus, sub pœnis de jure latis.

Antequàm hoc nostrum Decretum absolvamus, nostri muneris esse credimus hortari vos, fidei depositum religiose servare, (*Epist. S. Judæ*) *deprecans supercertari semel traditæ sanctis fidei* : cœlestem Scripturarum thesaurum a sacro Traditionis canali nequaquàm separantes, sed sanctos Patres Traditionis testes, ac sequestros, debito semper honore prosequentes. Quantò aliqui authoritatem sancti Augustini minuere conantur, tanto magis adnitendum, ut dignitatis gradus ipsi tot laboribus partus, & quovis tempore ab Ecclesia assertus, conservetur. Meminisse oportet, eum tanquam humilem magni Pauli discipulum, e divinis Magistri scriptis ea hausisse, quæ in præclaris ejus operibus cum tanto fructu leguntur.

In Decreto nostro anni 1697. monuimus, ab iis omninò cavendum, qui a doctrina sancti Augustini aperto marte oppugnanda pudore deterriti, obliquè eam adoriuntur, antecessorum Patrum sensibus contrariam asserentes. Qui sic Patribus Patres opponunt, Traditionem, atque Ecclesiæ unitatem evertunt. Semipelagiani hoc prætextu errores suos defendebant, quem sanctus Augustinus vanum esse vel hac una ratione ostendit, quòd cùm omnes, jam ab ortu christianæ Religionis, unà secum, totaque Ecclesia catholica, easdem ad Deum orationes funderent, eadem quoque de gratia, ejusque necessitate sentire dicendi essent.

Quamvis multa veterum Patrum scripta interierint, ex iis; quæ supersunt, evidenter patet, eos necessitatem, ac vim divini auxilii agnovisse. Quid de hoc Basilius magnus, imò tota Orientalis Ecclesia senserit, jam supra notavimus. Non minùs clara est sancti Ambrosii sententia ex ejus in Evangelium Lucæ Commentariis, ubi de Samaritanis loquens, qui Christum, quia facies ejus erat euntis in Jerusalem, non receperunt, ait, (*Lib.* 7. *in Lucam*) *quod si voluisset, ex indevotis eos devotos fecisset* : Subjungens posteà, quod *Deus, quos dignatur, vocat, & quem vult religiosum facit*.

Sanctus Augustinus quosdam alios Ambrosii, itemque Cypriani, ac Gregorii Nazianzeni locos attulit, hujusce doctrinæ principia continentes, quæ postea, hæreseos exortæ occasione, fusiùs, ac diligentiùs tractata sunt. Quantò illa attentiori meditatione ruminabitis, eo magis in vobis divinæ gratiæ mysterii intelligentia simul, & amor augescet. Oramus Authorem gratiæ, ut illam in corda vestra diffundat, & mentes vestras novo semper lumine illustret, ut magis, ac magis sciatis, (*Ephes.* 1. *v.* 18. 19.) *quæ sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos, qui credimus, secundùm operationem potentiæ virtutis ejus*.

Man-

Mandamus, ut hoc noſtrum Decretum, ſtatim atque publicatum fuerit, in primo Theologicæ Facultatis hujus Urbis congreſſu legatur, & in publicas ejus tabulas referatur; necnon Promotoris noſtri curà per Diœceſim noſtram diſtribuatur. Datum Remis in Palatio noſtro Archiepiſcopali, ſub ſigillo noſtræ Cameræ, & ſub noſtro, & Amanuenſis noſtri chirographo, die 15. Octobris anno 1703.

CAROLUS MAURITIUS
Archiepiſcopus, Dux Remenſis.

Et infrà, *Juſſu Illuſtriſſimi Domini*
De Martigni.

APPROBATIO.

Theologorum Ordinis Prædicatorum.

DIvum Auguſtinum, ſolidam Catholicæ columnam veritatis, ab antiquis Patribus in ſacra doctrina differre, horrent aures fidelium diebus noſtris audire. Validum illius propugnatorem ſuæ providit Eccleſiæ Altiſſimus, R. P. M. HYACINTHUM SERRY, in Univerſitate Patavina Theologum primarium, a quo promitur D. AUGUSTINUS A CALUMNIA VINDICATUS. Quidni igitur prælo digniſſimum, Opus tam pium, tamque Eccleſiæ profuturum? Ut videlicet toti orbi catholico eniteat, & Auguſtini candor & Propugnatoris Studium ſingulare, nulli vel umbræ erroris penitus obnoxium. Ita pro veritate cenſemus.

Venetiis in Conventu SS. Joannis, & Pauli, die 15. Maji 1704.

Fr. Jo: Benedictus Perazzo.
S. Theologiæ Magiſter.
Fr. Jo: Benedictus Zuanelli.
S. Theolog. Mag. & Regens.

LICENTIA.

Reverendiſſimi Patris Generalis Ordinis Prædicatorum.

NOS FR. ANTONINUS CLOCHE Sacræ Theologiæ Profeſſor, ac totius Ordinis FF. Prædic. Magiſter Generalis, & ſervus.

HArum ſerie, noſtrique authoritate officii, tibi Reverendo admodùm Patri Magiſtro FR. HYACINTHO SERRY facultatem concedimus typis edendi Opus a te ſub hoc titulo, DIVUS AUGUSTINUS A CALUMNIA VINDICATUS &c. compoſitum: cùm jam a duobus in Theologia Ordinis noſtri Profeſſoribus approbatum, nobiſque commendatum fuerit: ſervatis ſemper de jure ſervandis. In quorum fidem his Sigillo noſtro munitis manu propria ſubſcripſimus. Datum Romæ in Conventu noſtro S. Mariæ ſuper Minervam die 31. Maji 1704.

FR. ANTONINUS CLOCHE. *Magiſter Ordinis.*

Regiſtrata Lib. 1. Pag. 438.
Fr. Norbertus Delbeque.
Mag. Theol. Caſan. Pro-ſocius.

EPIS-

EPISTOLA
JOANNIS LAUNOII
EX ELYSIO AD GENERALEM
SOCIETATIS JESU PRÆPOSITUM

D A T A:

Qua conceptum, ex lata in suam de Gratia, & Prædestinatione Traditionem sententia, dolorem amicè significat: Augustini abs se traducti culpam, Societatis Theologorum exemplo depellit; nihil demùm toto fermè Libello scriptum ostendit, quod ab iis summa fide non delibarit.

Lectori Monitum.

DUM Launoji partes hoc Scripto suscipi vides, noli, quæso, in animum inducere, id a nobis ex animo factum, ut eum ab errore, & calumnia Augustino illata vindicemus. Absit. Totum id personæ fictioni tribuendum scito. Launojus quippè caussam suam orans in scenam inducitur, joci caussa: eaque idcircò ejus in ore verba ponuntur, quæ, & instituto, & ingenio congruant. Non alia itaque mente, tot Societatis Scriptores, qui ei ad struendam calumniam authores fuere, proferuntur, quàm ut omnes intelligant, unde prima cœperit mali labes, quive unà cum Launojo, Pontificio Decreto inusti censeri debeant.

Cæterùm si Launojum purgare animus esset, alia certè via suppeteret, & quidem expeditissima; editam scilicet Traditionem illius nomini suppositam demonstrando: cujus rei haud levia momenta præsto essent. Namque Libri non pauci, quorumdam Ecclesiæ Patrum nomine laudantur illìc, quorum suppositionem datà operà probavit Launojus, aliis adornatis operibus. Historiæ lapsus adeo pingues, & crassi passim occurrunt, ut viro antiquæ memoriæ studiosissimo, qualis profectò Launojus erat, irrepsisse nemo credat. Accedit scribendi methodus, a Launojana toto cœlo diversa. Quæ tria fœtum hunc non modò posthumum, sed, & spurium plus satis evincerent, si in eam facti quæstionem ingredi animus esset. At non est id hujus instituti, & otii. Sola nos in præsentia doctrinæ summa sollicitos habet: unde tam effrænis Augustini deprimendi licentia fluxerit, unicè demonstramus.

SYL-

SYLLABUS

SCRIPTORUM SOCIETATIS JESU,

Quos in deprimendo Augustino magistros, ac duces habuit Launojus.

Andreas Junius.
Christophorus Ortega.
Dionysius Petavius.
Franciscus Annatus.
Gabriel Vasquez.
Jacobus Sirmondus.
Joannes Adamus.
Joannes Hamelius.
Joannes Ituren.
Joannes Mariana.
Joannes Martinonus.
Joannes Baptista Guesnay.
Leonardus Lessius.
Livinus le Meyere.
Ludovicus Molina.
Petrus Halloix.
Petrus l'Abbe.
Stephanus de Champs.
Theophilus Raynaudus.
Thomas Bonartus.

EPIS-

EPISTOLA JOANNIS LAUNOJI EX ELYSIO AD GENERALEM.

(*Tyrsum Gonzalez, quatuor circiter mensibus ante obitum.*)

SOCIETATIS JESU PRÆPOSITUM DATA.

REVERENDISSIME PATER.

I. Nsperata tibi fortassis accidet mea hæc ex Elysio data Epistola : vix enim ejusmodi aliquæ ad vos commeant : non quòd ad scribendum, multaque de rerum nostrarum statu nuntiandum parati non simus, quotquot ævum in hisce Elysiis campis agitamus; sed quòd summâ cursorum, ac tabellariorum inopiâ laboremus, qui gradum in regiones vestras revocare, aut possint, aut velint. Si quibus tamen non insperatæ omnino contingere debent ex umbrarum regione submissæ Epistolæ, tu vel omnium maximè unus es, quem divexa ætas, corpus fluxum, & grave, quassa membra, ac devoluta non ita pridem in alterum supremi regiminis cura, nostrum brevì futurum admonent, alteroque jam pede Charontis cymbam premere jubent. Haud itaque mirum videatur, si jam a nobis adventorias accipias, ac tecum de rebus nostris, quas brevì communes habebimus, colloquia misceamus.

Quid est, quod Norisius (*Card. Henric. de Noris, paulo ante extinctus.*) beatarum istarum sedium novus incola tanto strepitu nuntiavit? Augustinum suum recenti Apostolicæ Sedis oraculo commendatum, novo a mortalibus cultu excipi, ac tantùm non adorari : *Fulgidissimum Ecclesiæ Catholicæ Lumen, Doctoremque maximum, cujus præcelsam doctrinam magno semper in pretio habuere* (*Brevis Pontificii verba, in Libellum Launoji*) *Romani Pontifices, totoque mentis affectu amplexi fuerunt*, sacris fastis inscribi : me verò, quòd illum in edita circa prædestinationem, & gratiam Traditione, utì novatorem exagitarim, diras omnium, atque exsecrationes sustinere; Theologorum, Episcoporum, Cardinalium, ipsiusque

Pontificis Maximi censuris inuri; a quibus posthuma illa ingenii mei fœtura, *impia*, *blasphema*, *Ecclesiæ*, *atque Apostolicæ Sedi injuria* pronuntiatur?

Expedire verbis, atque eloqui non possum, quanto me mœrore affecerint acerbissima nuntia, a Viro præsertim, quem, & Augustini immodicum laudatorem, & parum doctrinæ nostræ propitium nosti, enormiter exaggerata. Non quòd me multum oræ vestræ judicia tangant, quæ me nec tunc quidem, dum in humanis agerem, sollicitum habuere; sed quòd in eo demùm errore versari videam propemodùm universos, ut Augustinum, tanquam summum Ecclesiæ oraculum suspiciant, cujus effata quasi cœlo delapsa venerari necesse sit.

Quantùm illos ea fallat opinio, satis unà mecum intelligis, Pater optime, cujus animo nondum excidit Joannis Adami Sodalis vestri digna sententia, *Part.3. Calvini destructi cap.3. Ridiculos Augustini adoratores illos esse, qui illum fidelissimum antiquitatis testem, primum Ecclesiæ oraculum, Principem Patrum, omniumque Doctorum subtilissimum vocant*. Quare in hoc tanto adversùs editam Traditionem excitato turbine, quo velut iniquus Augustinianæ doctrinæ reprehensor publicam invidiam subeo, te unum elegi ex omnibus, cui caussam approbem: meque nec Augustinum plus nimio depressisse, nec aliter quàm veritas habeat, de ejusdem sententia pronuntiasse demonstrem; sed omnia fermè mea, a summis, quos florentissima Societas tulit, veritatis Magistris, integrà fide delibasse; ut non tam proprios ingenii fœtus ediderim, quàm Scholæ vestræ Professorum sententias recitarim.

II. Et certè, quod adornatæ a me Traditionis institutum attinet, totiusque operis argumentum, Augustinum scilicet, in caussa prædestinationis, & gratiæ, novam omninò viam, ac priscis Ecclesiæ Patribus ignotam aperuisse, præcentorem, ac ducem habui Joannem Marianam, *Opusculo de Morte, & immortalitate*, quod certum, & indubitatum habet Societas vestra: *Augustinus*, inquit vir maximus *lib. 3. cap. 6. primus, quod sciam, inter antiquos, in veteri spatio novam semitam excogitavit, nova impressit vestigia. Videbat Paulum dicentem*, Non ex operibus; *his victus argumentis, novam prædestinationis formam invexit post lapsum hominis, non fluxam quoad eventum, & circumstantias; quippè non ex libero arbitrio, sed ex gratia certam prorsus, & ratam, atque ex vocantis voluntate*. Nempe, ut vides, quod paucis Mariana complexus est, ac brevi verbo significavit, fusiùs ego demonstrandum aggressus sum; ille ova fovit, ego exclusi.

Primam instituti probationem, ex eo petitam, quòd Augustinus divinas Literas aliter quam veteres Tractatores sit interpretatus,

tatus, easque non consentientes, sed repugnantes habuerit, subministravit mihi Dionysius Petavius, quo, dum olim rebus humanis interessem, familiariter usus sum. Sic enim ille *lib.* 10. *Dogmatum Theologicorum*, sub finem *capitis* 1. *Nullus est omnino Scripturæ locus, quo vel Augustinus, vel Augustini discipuli, absolutè, & sine ulla conditione meritorum, velut caussâ, eligi, prædestinarique probant ad salutem homines, & gloriam, qui non alio sensu ab antiquioribus, aut etiam plerisque posterioribus Græcis, Latinisque Patribus explicatus fuerit. Ita nulla nos ad illam sententiam divina cogit authoritas; imò ab ea magis absterrere videtur: quod in capite sequenti declarabitur.* Qua loquendi ratione, alteram quoque violatæ ab Augustino Traditionis probationem a me datam insinuavit Petavius, ex contraria nimirùm veterum Patrum attestatione desumtam. Eos enim in referando prædestinationis arcano, ab Augustino dissensisse necesse est, qui divinas hoc de argumento Scripturas aliter exposuere. Sed & hanc multò distinctiùs expressit Mariana paulò antè laudatus, qui priscos Ecclesiæ Patres Augustiniano systemati e diametro contrarios asserit, & Cassiano, ac Fausto Semipelagianorum antesignanis intimè conjunctos. *Dogma de prædestinatione*, ait ille loco jam appellato, *Cassiano, ac Fausto commune fuit cum aliis Patribus, quorum scripta Gelasius probavit, Gregorii Nazianzeni, Basilii, Chrysostomi, Hieronymi*: quorum ego sententias dedi capp. 2., 3., & 4.

Quod autem in ea priorum sæculorum Traditione adornanda, Originem orthodoxis divinæ gratiæ Magistris adnumerarim, a quo vera hoc de argumento sententia repeti debeat, Petri Halloixii, Francisci Annati, Theophili Raynaudi authoritas in caussa fuit. Halloixii haud obscura pro Origene edita Apologia, quam Romanæ Congregationis Decretum, die 12. Maji anni 1655. datum, celebrem fecit. Annati perindè nota gravis illa de Bajanis expostulatio, *Libro 7. Augustini Vindicati cap.* 12. quòd ii *Origenem Pelagianorum omnium originem* dicerent. Sed explicatior Raynaudi mens, *cap. 9. Apologiæ* pro *Valeriano Cemeliensi Episcopo*, conceptissimis verbis *Origenis de gratia sententiam catholicissimam* vocantis, ac propugnantis.

Atque hæc de priori adornati Libelli parte, quam sequentis comparatione brevissimam scripsi, Scripturarum, ac Patrum Augustino repugnantium testimoniis breviter, & in transcursu delibatis.

III. At neque minori fide alteram adornatæ Scriptionis partem a vestris expressi, qua narrationem historicam complexus sum rerum omnium, quæ Augustinianæ doctrinæ occasione in Ecclesia Catholica contigere.

 In-

Ingentes motus quaquaversùm, ac maximè per Galliam concitatos, non tam meis, quàm Ludovici Molinæ verbis enarravi, ex ejusdem *Concordia* desumtis, *Quæst.* 23. *art.* 4. & 5. *membro ult.* *Augustini*, inquit ille, *de prædestinatione doctrina plurimos ex fidelibus, præsertim ex iis, qui in Gallia morabantur, non solùm indoctos, sed etiam doctissimos viros, atque in Episcopali dignitate constitutos mirum in modum turbavit : ne dicam illius occasione salutem eorum fuisse periclitatam. Ne enim ejusmodi doctrinæ adhærerent, hæresi potiùs Pelagianæ ex parte assentiendum putabant, variosque alios errores circa parvulorum prædestinationem confingebant. Id, quod inter alia testantur duæ illæ Epistolæ a Prospero, & Hilario Arelatensi Episcopo, ea de re ad Augustinum missæ, quæ inter Opera Augustini ante Librum de Prædestinatione Sanctorum habentur;* quas ego idcircò integras exhibui : tantumque Molinianæ Scholæ principis authoritati dedi, ut cùm Hilarium, cujus est laudata illìc ad Augustinum Epistola, alterum ab Arelatensi Episcopo fateatur eruditorum omnium natio, Arelatensem tamen dicere maluerim, ne vel hac parte Viro maximo repugnarem.

Ne quis verò mihi Molinam invideat, eumque mihi ereptum velit; quasi is Augustini doctrinà turbatos plurimos scripsisset, non Augustini vitio, ut a me scriptum est, sed illorum; scias, amabò te, totum a Molina vitio datum Augustino, §. 9. quòd ille *sub ea quasi caligine positus, ad hoc non attenderit* : nempè, fuisse prædestinationem, & reprobationem, *non sine præscientia qualitatis usus liberi arbitrii*; nec studuerit sententiam suam ea conditione temperare, *quæ ad auferendam duritiem illam multùm conduceret.*

Haud me fugit, ea in Augustinum Molinæ verba, a plerisque tanquàm audaciora sugillari; quibus idcircò minùs probabitur, iis me integram fidem dedisse : at summos hoc ipso in capite nactus est defensores Molina vester, quibus, & ipse tanquàm firmissimis anchoris fultus in portu sedeo. Franciscum Annatum intelligo, & Andream Junium, geminos Scholæ vestræ Magistros; quorum alter *Libro* 8. Augustini a Bajanis vindicati *cap.* 4. illos ludibrio vertit, ac *non satis advertisse* notat, *qui Molinæ audaciam exaggerant, indicantis aliquid lucis defuisse Augustino, in concilianda cum creata libertate, divinorum decretorum, & auxiliorum efficacia* : alter recensitis erroribus, quos Augustino Massilienses objiciebant, pauca ista subjungit Sectione 16. *de prædestinatione cap.* 3. sub finem, quibus satis innuit, Præsulem Hipponensem justam eorum objiciendorum occasionem dedisse, nec Molinæ succensendum esse, quòd id ejus vitio factum observaverit. *Quam verò Augustinus*, Junii verba sunt, *Massiliensibus ansam præbuerit, reticeo; quia veritas odium parit, & eam pronuntiando Pater Molina non parvam*

vam conflavit invidiam apud nonnullos, quibus, vel intellectus, vel voluntas non erat, ut oportuerat. Molinæ, ejusque Approbatoribus calculum adjicit Joannes Adamus *par.* 3. *Calvini destructi cap.*4., datasque turbas obscuritatis vitio tribuit : *Hæc Augustini obscuritas, etiam in prædestinationis, & gratiæ mysteriis pertractandis apparuit. Siquidem in Scholas Theologorum dissensiones invexit, Doctores inter se divisit, turbis, & contentionibus partim in Africa, partim in Gallia, tam ipso vivente, quàm e vivis sublato, exortis occasionem dedit. Quin etiam pro clypeo fuit hæresi Prædestinatianorum, qui ferocia, horridaque sua dogmata in hujus Patris doctrina fundabant.* Quibus omnibus mitiora fortè videbuntur, quæ a me hoc de argumento notata sunt.

IV. Augustinianas Apostolici oraculi interpretationes, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, quibus divina salvandorum hominum voluntas ad solos Prædestinatos restringitur, sugillavi sæpènumero, variisque notis inussi; Molinâ, Vasquesio, Petavio exemplo prælucentibus. Primi hæc verba sunt, *prima Parte Quæst.* 19. *Artic.* 6., *Disput.* 1. *Expositiones aliæ (initio disputationis allatæ ex Augustino) ad locum Pauli, præter Damasceni, & communem Patrum expositionem, omnes, vel ipso primo aspectu, peregrinæ, & extortæ apparent.* Alterius corollarium hoc est, *prima Parte Disput.* 33. *cap.* 2. *Ex dictis colligere licet, non solùm frustra Augustinum, locis supra citatis noluisse concedere hanc voluntatem Dei circa omnium salutem, sed etiam locum illum Pauli nullo ex illis tribus modis rectè exposuisse.* Postremi censura legitur *Tomo* 1. *Dogmatum Theologicorum, Lib.* 10. *cap.* 3. *num.* 2. *Tres, quatuorve ex Augustino commemorati sunt a nobis modi exponendi verba illa, cùm illius opinionem exponeremus; qui mihi quidem ad eludendum magis, quàm recti, & solidi videri solent.* Quibus addere licet Lessium, & Hamelium, in Articulis notatis ab Academiis Lovaniensi, & Duacensi, articulo 6. *Hunc locum*, Deus vult omnes homines salvos fieri, *id est, vult omnes salvos fieri, qui salvi fiunt, non videtur exponere Augustinus secundùm intentionem Apostoli; & sex, ampliusque argumentis dicta interpretatio oppugnatur.*

V. Quod de Cœlestini I. Rescripto ad Gallos Episcopos dato identidem adnotavi, Augustino veriùs officere, quàm favere, Prosperumque, & Hilarium eo perperam abusos esse, ut universam Magistri doctrinam eo Apostolicæ Sedis oraculo probatam obtenderent, apud tuos perindè legere domi potes. Consule, si vacat, Joannem Martinonum, tibi, ut arbitror, non ignotum, tametsi sub Antonini Morainii larvâ delitescat, in Præfatione Anti-Jansenii : *Quàm multi*, inquit, *sine ullo discrimine, Augustini authoritatem*

tatem admittebant, *qui audita nunc limitatione* , *quam ejus approbationi Cœlestinus appofuit* , *dum audiunt aliquid ex Augustino proponi*, *quæritant*, *est-ne hoc de illis profundioribus quæstionibus*, *quas non necesse judicavit adstruere*; *quas in ancipiti opinandi libertate reliquit?* Non igitur universim (quod Prosper, & Hilarius effutiebant) Augustini doctrina eo Cœlestini Rescripto probata est , sed ex parte : nec authoritatem ex lato judicio comparavit , sed quam prius obtinebat, amisit . Consule Annatum *Lib.* 8. *Augustini a Bajanis vindicati cap.* 6. ubi omnes ingenii vires intendit , ut ex hac ipsa Apostolicæ Sedis commendatione , Augustinum in ordinem redactum evincat . Primùm , quòd *omnis illa Ecclesiæ approbatio relinquat adhuc Augustinum intra numerum scriptorum fallibilium*, *quibus sine cujuspiam injuria repugnare liceat*. Secundò , quod *iidem illi summi Pontifices* , *qui Augustini doctrinam approbarunt* , *ea sepofuerint*, *quæ necessaria illis visa sunt* : *alias autem quæstiones intercurrentes*, *nec contemnere*, *nec adstruere voluerint*; *quod Cœlestinus apertè significavit* . Tertiò, quòd *approbata fuerit Augustini doctrina simul* , *& aliorum Sanctorum Patrum* : *unde sequitur cadere approbationem hanc in id* , *quod est Augustino cum aliis Patribus commune*, *non in id* , *quod est proprium*, *si quid tale sit* : uti profectò esse demonstravi , quæ de gratia , & prædestinatione adversus Semipelagianos propugnavit . Consule demùm Theophilum Raynaudum *in Valeriani Apologia cap.* 4. §. 14. *Consideratione porrò dignum est*, *in illis Capitulis* , *sive Canonibus*, *ea tantùm definiri*, *quæ ad excludendam subjunctionem divinæ gratiæ ad humanam voluntatem pertinent* , *& ad gratiæ necessitatem*, *pro toto justificationis progressu*; *intactis iis* , *quæ ad electionem*, *& ad gloriam spectant* , *& plerisque in Divi Augustini doctrinâ displicuerant*. *Smiliterque Cœlestinus in fine Epistolæ* , *post constitutam fidem catholicam de veritate noxæ parentalis*, *& gratiæ necessitate* , *ac primatu*, *profitetur reliquas quæstiones*, *de quibus Divo Augustino negotium facessebatur* , *neque a se negligi* , *neque decidi* , *sed liberæ Doctorum disputationi permitti* , *&c.*

Repones fortè , me Sodalium tuorum limites transiliisse , qui Cœlestini Rescriptum *Subdola arte* impetratum non semel innuerim . At nec id quidem sine vestrûm exemplo , calamo excidit ; queis crudiora multò excidisse notum est , dum viso Alexandri VII. Rescripto , formâ Brevis ad Lovanienses Theologos dato , die 7. Augusti anno 1660. quo *præclarissimorum Ecclesiæ Doctorum Augustini*, *& Thomæ Aquinatis inconcussa*, *tutissimaque dogmata* commendantur, eorumque *penes Catbolicos universos ingentia*, *& omnem laudem supergressa nomina*, *novi præconii commendatio-*

datione non egere dicuntur, in hasce voces erupere, *Nunquam Romanum Pontificem Breve illud privatum vidisse*: idque, quò majorem dicti fidem facerent, juramento firmarunt. Adeo nimirùm *subdola arte* extortum utriusque Doctoris elogium Lovanii Socii contendebant! Qua de re legendi veniunt Gabriel a Sancto Vincentio, *Libro de remediis ignorantiæ disp.* 14. *dub.* 9. Norisius in *Vindicis cap.* 6., Capisuccus in *Appendice*.

VI. Prosperum, Hilarium, Fulgentium, quos eo maximè nomine cæteri celebrant, quòd fidelissimi Augustini discipuli fuerint, ea ipsa de caussa nihili feci, eorumque ad Magistri commendationem testimonia, ne vitiosa quidem nuce æstimavi, quòd ei plus æqu ɔ addicti essent; magno Vasquesio viam monstrante, in *Commentariis ad primam Partem disp.* 97. *cap.* 3. *Fateor sanè*, inquit ille, *suspecta mihi esse testimonia Prosperi, & Fulgentii, quod diligentissimi, & exactissimi Augustini discipuli sint*. Viden' ut ipsos ob id maximè nauci faciat?

Certè nemo unquam liberiorem in Ecclesiæ Patres virgam exercuit Vasquesio vestro, tum in hac de divinis auxiliis, tum in aliis benè multis Theologicis Tractationibus. (*Acta Erudit. Lipsiæ*.) Si nonnullis haud itapridem adnotare licuit, me olim orbi literario criticum illuxisse, cœlicolis non minùs quam terricolis formidandum, qui plures Sanctos cœlo dejecerim, quàm decem Romani Pontifices illò eveherent; de sodali illo vestro, nullâ verbi injuriâ dicam, plures illum Doctores gradu dejecisse, quàm decem Academiæ renuntiarent.

VII. In conflictu Massilienses inter, & Augustini discipulos enarrando, Cassiani, & Fausti Semipelagianæ Sectæ Principum partes in me suscepi; Prosperum utì alienæ famæ decurtatorem traduxi, eidemque Gennadium prætuli, dignumque Ecclesiasticæ Traditionis adversùs Augustinum testem adhibui, summorum Societatis vestræ Virorum judicio fretus, Joannis Baptistæ Guesnaji, Joannis Iturenii, Christophori Ortegæ. Horum ultimi verba subjicio, cœterorum sententiam referentis, atque probantis *Controversia* 7. *de Prædestinatione Disp.* 3. *Quæst.* 2. *Certam.* 2. *Num.* 6. *Cassiani defensiones recentissimè, multo ingenii pondere, & eruditionis, noster Joannes Baptista Guesnajus edito Libro Lugduni Anno* 1652. *refert, & tacitus probat Libro* 1. *capite* 62. Et post pauca: *Adnumerari defensoribus Cassiani in hac re doctrinæ catholicæ docti plures recentiores possunt, quos ita censentes audivimus, tametsi prælo defensiones Cassiani non dederint; in quibus P. Joannes de Ituren emeritus Theologiæ Professor, qui modestiæ caussa Joannis Pii nomine Commentaria in primam partem Sancti Thomæ prælo emisit, ac de Cassiano ab ea suspicione liberando doctum*

Ma-

Manuſcriptum reliquit. Tum poſt recenſita nonnulla Caſſiani teſtimonia, queis illum erroris purum oſtendit, ita ſubjungit: *Quod ſatis omnibus probare debet, Proſperum de præconcepto contra Caſſianum judicio ſtatuendo ſolummodò curaſſe; & reliquos ex ejus ſententia potiùs, quàm ex lectione, atque Operum ipſius genuini ſenſus indagatione, eum Semipelagiani erroris reum egiſſe*. Et *Numero* 11. *De Proſpero*, inquit, *cujus authoritate reliquis de Semipelagianiſmo ſuſpectus Caſſianus fuit, jam vidimus, quàm acriter Gennadius conqueſtus fuerit, quòd Caſſianum innoxium infamaverit*. Tum demum *Certamine 6. Num. 6. Petri Diaconi Libro de Incarnatione capite* 8., *& cujuſdam alterius* (Joannis Maxentii,) *qui primi de Semipelagianiſmo Fauſtum infamarunt, authoritas non magni ponderis eſt ...... Quod autem Fauſti opera in Apocryphis cap.*8. Sancta Romana *diſt.* 15. *a Gelaſio Papà numerentur, non æquus de illis ſparſus rumor a Petro Diacono, aliiſque citatis, in cauſſa fuit*. Præiverat in vindicando Caſſiano ſimul, & Fauſto Joannes Mariana, Gelaſii cenſuram minimè veritus *Libro* 3. *de Morte, & immortalitate cap.*6. *Nam quod de Caſſiani, & Fauſti Libris opponebatur, a Gelaſio eorum lectionem interdictam, non puto id factum propter dogma de prædeſtinatione, quod illi fuit cum aliis Patribus commune, quorum ſcripta hic Pontifex probavit, Gregorii Nazianzeni, Baſilii, Chryſoſtomi, Hieronymi: ſed propter alia, quæ ex iis Libris expuncta ſuſpicamur. Author Trithemius Abbas in Fauſto. Et video quæ a Caſſiano dicta ſunt omnia, de gratia, & libero arbitrio, a Viris eruditis noſtra ætate defendi, quaſi pietati conſona, neque deflexa a fidei regulâ ſanctâ*. Quin, & Molina ingeniorum aquila, oculatior Auguſtino, Fauſtum Eccleſiæ Patrum numero inſerit, per quos vera de Chriſti gratià doctrina intelligi debeat, in *Concordia Quæſt.* 23. *Art.*4. *Diſp.* 1. *membro ultimo*. Tantis porrò ducibus, ac magiſtris quid tentare non licuit? Imò majora forte tentaſſem, ſi Thomam Bonartum Norditanum legere contigiſſet *Lib.* 3. *de Concordia ſcientiæ cum fide*; ubi (quod a multis accepi) Auguſtini doctrinam non modò peſſimis modis habet, ac nauci facit, ſed palam illi detectaque fronte Maſſilienſium opiniones anteponit. Verùm qui me Theologiæ theticæ tenuit amor, ab Anglorum Scriptorum, Scholaſticæ vepretis, ac tribulis nimis hærentium, lectione ſemper abduxit.

Sed, & hac ipſa hora, qua iſthæc Literis mando, vulgatam inaudio Livini Le Meyere, de Divinis Auxiliis ſpiſſam Hiſtoriam, ſub aſcititio nomine Theodori Eleutherii; ubi *lib.* 5. *cap.* 52. Gennadii vindicias adornat, quem etiam *minime conſtare* ait, *factionem Semipelagianorum fuiſſe ſectatum*: quamquam is Libro de Illu-

Illustribus Scriptoribus Cassianum, & Faustum summis laudibus ferat, *salutarem* illorum doctrinam *ab Ecclesia probatam*, *egregiaque opera* passim appellans; Augustinum e contrario, Prosperumque belle pro meritis defricet; illius quidem *errorem sermone multo contractum* suggillans: *cap.* 38., istius verò in *infamanda salutari Cassiani doctrina* audaciam reprehendens cap. 84.

VIII. Ut autem Prædestinatianæ hæresis labem aspergerem Episcopis Africanis, in Sardiniam Insulam ab Thrasimundo Arjano Rege relegatis, qui a Scythis Monachis sententiam rogati, Fausti scripta damnaverant, author mihi, princepsque fuit Jacobus Sirmondus, diligens ille veterum schedarum conquisitor, mihi quondam, pro studiorum cognatione, in paucis charus, cujus sunt hæc ipsa verba, in *Historia Prædestinatiana cap.* 9. *Difficile non erat condemnationem Librorum Fausti Rejensis sperare ab Afris Episcopis, apud quos nata Prædestinatiana hæresis in multorum adhuc mentibus hærebat*. Quibus affinia sunt, quæ de Sancto Fulgentio relegatorum Præsulum pietate, & eruditione præcipuo, adnotavit Theophilus Raynaudus, in Censura inofficiosæ censuræ §. ultimo: *Sancto Fulgentio familiare est, Augustini placitis mordicùs adhærere, eoque interdum rigore, ut sententiam, quam verborum cortex præfert, etiamsi duriorem, conquisita interpretationis alicujus benignitate mollire, & in alium sensum trahere, non sit sollicitus*. Unde facilè colligas, Fulgentium, qui cæteris, in vindicanda adversùs Faustum Augustini doctrina, calamum commodabat, in duras, acerbasque Prædestinatianorum sententias declinasse.

IX. Nunc ad illud accedo, unde majorem mihi ab æmulis conflatam invidiam retulit Norisius. Scilicet Vvitkleffum, Calvinum, Lutherum, Augustini discipulos dixi; illiusque doctrinam nihil, aut certè parum, ab eorum erroribus distare significavi. At hoc ipsum est, cur magis mirer, id præ cæteris stomachum movisse, quod numerosiori Theologorum vestrorum suffragatione munitum est. Ita Joannes Adamus, cùm *Parte* 3. *Calvini destructi capitibus* 3. & 6. scripsisset, censuisse Augustinum, solum peccatum originale caussam esse reprobationis damnatorum, hanc ipsam sancti Doctoris sententiam ita perstringit *cap.* 10. *Credo mihi licere illam horrere, quia mater est illius, quam Calvinus tanta impietate, ac rabie urget contra Ecclesiam*. Annon igitur, Adamo judice, Calvinianæ doctrinæ fundamenta posuit Augustinus? Et *cap.* 8. de ejusdem Doctoris sententia circa Prædestinationem, & gratiam universim hæc habet: *Si verba Augustini mitigando, me nimiùm demitterem, Pelagianus essem: si verò eorum altitudinem tenere vellem, Calvinista essem: medium ergo cum Ecclesia teneo .... Profectò quandoque constat, Augustinum in quæstionibus de gratia, &* pre-

& prædestinatione cum excessu locutum esse, verbaque ipsius esse mitiganda, ne ex illorum duritie, & acrimonia in errorem contrarium incidam, licitum mihi esse debet temperamentum aliquod catholicum addendum inquirere: quo videlicet Calvini error declinari queat. Multò verò distinctiùs capite superiori: *Ipsemet Augustinus in pluribus Operum suorum locis hunc animi sui impetum cognoscit, quo ita abreptus est, ut in errorem oppositum illi, quem destruere intendebat, declinaret*: in Calvinianum scilicet, Pelagiano, in quem arma verterat, e diametro oppositum.

Ita quoque Mariana loco superiùs appellato: *Non omnes Augustini sententiam de prædestinatione probant: horrida multis videtur, & aspera*, qualis nempè Lutheranorum, & Calvinistarum est. Ita Annatus Libro 8. Augustini Vindicati c. 2. *Augustinus æstu disputationis abreptus excessit lineas necessariæ veritatis; ut sit nimia quædam severitas, & iniqua vexatio, quæ medium illud, in quo veritas sedet, transgredi jubet, si præat Augustinus*. Ita Antonius Moraines, seu veriùs Joannes Martinonus in *Anti-Jansenio disp.* 17. *num.* 22. *Si aliquot locis plus intendit Augustinus, applicandum illis erit, quod in eo notarunt plures, & graves Doctores Catholici, excessisse interdum æstu disputationis abreptum, & in odium hæresis, quam impugnabat, ad contrarium extremum inclinasse*: Calvinismum scilicet, ut passim inculcat.

Ita Petavius *Dissertatione priori de Tridentini Concilii authoritate capite* 4. *Postremò, ne longum faciam, illud suscepisse Tridentinum Concilium videtur, ut cùm novorum hæreticorum, qui Augustini doctrina, ad erroris sui patrocinium abutebantur, insaniæ occurrere vellet, nonnullis necessariò additis, illam catholicam faceret*. Quòd nempè se sola catholica non esset Augustini doctrina, nec satis a nonnullorum hæreticorum insania distaret, nisi quædam illi temperamenta adderentur. Et *Dissertatione posteriori cap.* 5. *Augustini non pauca, neque levia errata circumferuntur, quæ profectò, neque catholica sunt, neque haberi Synodus ulla œcumenica voluit*.

Ita Stephanus de Champs *Libro* 3. *de hæresi Janseniana cap.* 3. *disp.* 1. *Jampridem e Catholicis plurimi doctrina, & pietate laudabiles confessi sunt, Sanctum Augustinum Pelagianismi odio ita in contrariam partem inclinasse, ut persæpè Calvino potiùs, quàm Tridentinis Patribus favere videatur*. Sed luculentiùs multò *Epistola* 7. Serenissimo Principi *De Conty* data die 15. Septembris 1664. *Videtur Augustinus non aliam in statu naturæ corruptæ libertatem agnoscere, præterquam a coactione; quæ certè Calvini sententia est, a Thomistis proscripta tamquam hæretica. Videtur Augustinus nullam eo in statu sufficientem gratiam agnoscere, quæ*

re

re ipsa efficax non sit; quod Calvino favet admodùm, minimè verò Thomistis, qui hoc ipsum pro hæresi habent. Videtur Augustinus asserere, eos, qui eo in statu peccant, gratiam nullam habere, quæ eis vitandi peccati potentiam tribuat: quæ pura, putaque hæresis est, a Thomistis prædamnata. Videtur Augustinus asserere, Deum, post Adæ lapsum nolle omnes homines salvos fieri; Christumque pro omnibus non esse mortuum: quam illi hæresim in Calvino damnant. Videtur Augustinus asserere, id Adami gratiæ singulare esse, ut possit ei voluntas dissentire, si velit. Quo argumento adversùs Concilium Tridentinum Calvinus usus est, Thomistis oppositum statuentibus. Quid ea de re sentiat Serenitas vestra, rescire velim; annon certò fateatur, videri Augustinum iis in capitibus Calvino potiùs, quàm Thomistis adfavere? Hæc porrò omnia multis confirmat Recentium testimoniis Epist. 9. seque *quinquaginta Augustini loca disertissima, explicatissimaque laudaturum* spondet, queis Calvini principia veriùs, quàm Thomistarum statuuntur; atque illud in primis, quo per Adæ peccatum facta dicitur ex libertate necessitas.

X. Jam ut tot, tantisque Authoribus Augustini doctrinam Calvinianæ consentaneam, ac propitiam dixi, ita ejusdem reprehensores Claudium Sanctesium, Ambrosium Catharinum, Petrum Doræum, Albertum Pighium, sumto ab iis exemplo, laudibus extuli; illorumque acre judicium commendavi, quòd Præsulem Hipponensem, utì novæ sectæ Magistris plus æquo propitium, rejiciendum pronuntiarint. Hos enim eo maximè nomine, *eruditos fidei catholicæ defensores* (quas voces syllabatim exscripsi) Descampius appellat Epistola 9. supra citata; *doctrina, ac pietate laudabiles* dicit Disput. 1. paulò anteà memorata; Adamus verò *p.* 3. *Calvini destructi capite* 7. illos ipsos a me celebratos Augustini reprehensores indigitans, *Aliqui Theologi*, inquit, *doctrina, ac pietate insignes dixerunt, eum veritatis limites transgressum esse, nimio disputationis calore accensum fuisse, aut visum fuisse favere hæreticis. Verba hæc insolentia, & impudentia essent, nisi vera forent*. Sed & Annatus Alberti Pighii verba a me recitata ad crisim vocans *cap.* 4. Libri laudati, quam mihi nonnulli osores in verecundiam affingunt, his verbis absolvit: *Hæc ego duxi proponenda, ut intelligamus, non nimis inverecundos fore, si qui fortè non ita se faciles exhibeant in iis omnibus admittendis, quæ videri cuipiam possint proposita fuisse ab Augustino*. Quamquàm quid ego ista commemoro, ut audaciam excusem, ac ne æmulorum invidiæ pateam, quòd memoratis Augustini reprehensoribus fidem dederim; cùm id eos non tam proprio, quàm totius Ecclesiæ nomine attentasse moneat idem Annatus *capit* 3. *Tanta*, inquit, *cæterorum Do-*

 ctorum

ctorum conspiratio satis ostendit, *Catharinum in ea re* (in Augustino videlicet oppugnando, ac deprimendo) *non ut Catharinum*, *qui suo sæpè ingenio nimiùm indulsit*, *sed ut Catholicæ Ecclesiæ Archiepiscopum*, *& Doctorem id sensisse*. Quæ ego Annati verba dum recolo, mirari subit, Catharinum de exorbitantibus Augustini paradoxis ex Ecclesiæ sensu locutum, tanto a Concellitis suis haberi odio, & a domesticis scholis non sine infamia rejici. Sed sunt illi, ut benè nosti, Augustini, quem ab illo depressum ægrè ferunt, intemperantes admiratores: utque Thomæ suo fidem, ac religionem obligarunt, ita ab Augustino Thomæ Magistro, tanquam e sacro manipulo pendent. Vestri fidem pluris æstimant, quàm ut cuiquam venditam velint.

XI. de Bajo, atque Jansenio haud aliter statui, quàm de Luthero, atque Calvino. Hos fidelissimos Augustini discipulos feci; non ut illos idcircò a latis Censuris absolverem, sed ut Magistrum unà cum discipulis inustum evincerem. Annon ita Petro l'Abbè visum, dum pendente coram Innocentio X. Jansenii caussa, Augustinum Hipponensem per Iprensis latus petendum ominabatur, in Antithesi Augustini, & Calvini? *Brevi*, inquiebat, *loquetur Roma quid senserit Augustinus*, *vel sentire debuerit*. Annon ita Petavio visum, dum Dissertatione posteriori de Concilii Tridentini authoritate, a venerandis Synodi Patribus temperamentum Augustini verbis additum scribit, ne Sancti Doctoris suffragio ea sententia firmaretur, quæ subinde inter Bajanas numero 64. inusta est? *Rigidum illum*, Petavii verba sunt, *ac nimis severum Augustini sensum*, *ut quidem nonnullis visum esse noverant*, (nullum esse opus bonum, nisi ex gratia Christi) *prudenti cautione moderati sunt*. Annon ita Morainio visum, dum Augustinum tanquàm vigesimæquintæ Baji propositioni subscribentem, ita perstrinxit disp. 12. Anti-Jansenii: *Perperam exponit id*, *quod Apostolus ad Rom.* 14. *ait*: Omne, quod non est ex fide, peccatum est, *quasi velit dicere Apostolus*, *omnia opera infidelium esse peccata*, *& sine vera fide nullum posse fieri opus bonum?*

XII. Ea sunt, Reverendissime Pater, adornatæ a me Traditionis potissima capita, tam disertis Theologorum vestrorum suffragiis comprobata, ut communem mihi cum illis caussam esse, nemo non videat, qui mea, & illorum dicta contulerit. Cætera, si quæ sunt, obiter, atque ex occasione insinuata, hæc, aut ad recensita capita revocantur, aut pari vestrorum suffragatione muniuntur. Sic datum illud a me prudentissimum monitum, (quid Augustini momenta valeant expendi duntaxat oportere, de ejus verò authoritate minùs curandum,) ex Lessio, & Hamelio sumtum est, quorum ea fertur assertio, inter notatas a Belgicis Academiis, numero

ro vigesima : *Si contraria sententia esset Augustini, non admodum referret*. Sic ad Vasquesii exemplum, facta identidem est tum Augustino, tum ejus discipulis interrogatio; quo ex tripode patefacta ipsis essent divinæ prædestinationis arcana? *Ab Augustino*, ajebat ille 1. *parte disp.* 97. *c.* 3. *& aliis, qui id docuerunt, petere possumus, undenam hujus voluntatis Dei certiores effecti sint*. Sic exprobrata illi sæpius, atque in invidiam traducta doctrinæ mutatio ter facta, Joanne Adamo præcentore, *par.* 3. *Calvini destructi cap.* 6. *Cùm Sanctus Augustinus sententiam suam in hac materia ter mutaverit, hoc nos ad credendum induxit, Sanctum Augustinum, quamvis eminentis esset ingenii, suis meditationibus non acquievisse, & post tot conatus, ad penetrandum prædestinationis Mysterium consumtos, coactum fuisse infirmitatem suam fateri*. Sic demum, de traditâ doctrinâ incertum, ac suspensum animo dixi Augustinum, nec non ad omnem statum vela vertere paratissimum, eodem Adamo exemplum dante *cap.* 3. *Libri laudati : Augustinus in sententiarum suarum, & fundamentorum, quibus eas confirmat, delectu, adeo felix non erat, quin mentibus nostris plenissimum ipsius doctrinæ non consentiendi, imò oppositam partem tuendi libertatem relinquat; quin, & ipsemet de opinionum, quas docet, certitudine addubitet*.

Tuum igitur erit, Reverendissime Pater, (quandoquidem te Societatis tangit honos) omni ope adniti, ut excitatæ contra adornatam a me Traditionem turbæ sileant; ne unà mecum periclitetur Scriptorum vestrorum pars nobilissima. Tuum erit, qua vales in Republicâ literaria authoritate, & gratiâ, eruditos a præconceptâ de Augustino opinione abducere, ne quantum ei tribuitur, tantum Theologis vestris detrahatur. Tuum tandem, (*In articulis damnatis ab Inquis. Vallis.* 28. *Martii* 1650.) Ecclesiam Catholicam (quod olim Schinkelii Scholæ vestræ succenturiati votum erat) *ab Augustini tutela, & pædagogia liberare*, ut Molinismus reflorescat. Mihi verò summorum Societatis vestræ Virorum suffragiis nixo, nihil est, quod scripsisse pœniteat : quin potiùs honori, & gloriæ duco, tantorum oraculorum voces edita Scriptione reddidisse.

Hæc Danieli (*Defense de S. Augustin, par le P. Gabriel Daniel.*) vestro haud ignota arbitror, tametsi Augustini contra me defensionem adornarit. Id enim ab ipso de industria factum nemo nescit, ut incommodam suspicionem amoveret, quâ Socii Parisienses vulgati nomine meo Libelli authores publicè ferebantur. Undè, & Augustinum, non jam Augustinum vindicandum aggressus est, quem eo præsertim obtentu catholicum dixit, quòd fuerit Molinianus. At bellas propheta ille visiones videt, & somnia somniat.

Cæterùm de lato in editam a me Traditionem Pontificio judicio,

cio, ad Sinarum Imperatoris tribunal provocare animus erat. Qui enim, vobis agentibus, & instantibus, pendentis coram Apostolicâ Sede, de prophano cultu eliminando, controversiæ cognitionem, (*Quo sensu literariæ sectæ professores Athei dicantur a multis expositum habes. Idololatras dicere alii malunt.*) atheus licet, & atheorum caput ascivit sibi, vobisque, ut spargitis, adjudicavit; quidni pari jure, latum in caussâ fidei judicium Pontificium reformare, ac porrò rescindere posset? At mihi, sine vestro consilio, quidquam moliri religio est. Si id ex juris formulis esse, vobisque probari intelligam, provocationis instrumentum brevi transmittam: precesque Grimaldo vestro, Mathematicæ Mandarino, literis delegabo, ut apud novum Judicem patronus accedat, faustamque diem, in proximè conscribendo Calendario, lapillo signet, quam pro obtinendo foro, agendaque lite, aucupari debeam.

Vale, si potes, Pater optime, frigidam senectutem stragulis fove, & ad nos serò, aut etiam (si datur optio) numquam veni.



SCHO-

SCHOLA
THOMISTICA
VINDICATA,

SEU

GABR. DANIELIS e Soc. Jesu

TRACTATUS THEOLOGICUS

adversus Gratiam se ipsa efficacem

CENSORIIS ANIMADVERSIONIBUS

CONFUTATUS,

Quibus Moliniana inventa, pro fidei dogmatibus ab eodem Daniele venditari; Augustini doctrinam non exponi, sed impeti; Scholam Angelicam iniquè traduci, ac sugillari, demonstratur.

Authore Fr. JACOBO HYACINTHO SERRY. *Ordinis Prædicatorum, Doctore Sorbonico, & in Serenissimæ Reipublicæ Venetæ Academia Patavina Theologo Primario.*

Illustrissimo, Excellentissimoque D.

SEBASTIANO FOSCARENO,

D. MARCI

PROCURATORI,

ET EQUITI,

ACADEMIÆ PATAVINÆ

MODERATORI.

F. HYACINTHUS SERRY Theologus felicitatem.



UOD Te summis æternæ Reipublicæ arcanis admotum, gravissimisque Imperii Veneti negotiis implicitum, curisque districtum, secundò interpellare non vereor, audaciam necessitas excusabit. Quem enim Scholæ Thomisticæ Vindicias adversùs æmulum Obtrectatorem adornans, Patronum, ac Mecœnatem ambirem, nisi qui publicatis non ita pridem Augustini Vindiciis, magni Nominis patrocinium commodavit? Quo duce, & auspice, pro gratia se ipsa efficaci in arenam descenderem, nisi quo primùm Agonotheta, pro summo victricis gratiæ Defensore, felici exitu depugnavi? Tuam itaque, SENATOR AMPLISSIME, *quòd bis in publica commoda pecem, benefaciendi facilitatem incusa, qua me pridem, meosque labores, in Tui tutela, atque præsidio latere permisisti.*

Hæc una fecit audaciam, utque secundò delinquerem, provocavit.

Necdum tamen ita frontem perfricui, quin meæ me fidentiæ aliquantò suppudeat; dum grande Nomen, totoque Orbe clarissimum, paucis pagellis, obscuroque ingenii fœtui præscribo. At Tu, MECOENAS OPTIME, *qua es humanitate, æqui, bonique consules, ut abs te nostra hæc claritudinem, & dignitatem accipiant. Leve quidem id munus, ac perexiguum, sed hoc ipso quòd sacrario tuo appenditur, pretiosum. Et quidem alii Literatorum vulgo exemti, quorum, & portus, & sinus, & perfugium es, cimelia tua donis amplissimis cumulabunt, nos numerus: æra minuta latenter, ac surda manu numeramus: quo possumus farre pio, & saliente mica, mollimus Superos. Tu modò propitiare: ac si quando a publicis curis feriari contigerit, eruditos oculos flecte, quibus literæ nostræ, ac disciplinæ beantur. Rarus honos mihi erit, a Viro sapientissimo legi, rarior ab optimo diligi. Vale summo Reipublicæ, & Academiæ bono; quo sospite fortunatum literarium regnum, Musasque reduces auguramur. Vale iterùm, ac me tui observantissimum, utì facis, perpetuò fove.*



PRÆ-

PRÆFATIO.

QUUM primùm de Danielis Libro per epiſtolas nuntiatum eſt, quo quid fidei circa divinæ Gratiæ efficaciam eſſet, quid præter fidem; quid ex Auguſtini mente, quid præter mentem, exponere niteretur: id ſtatim venit in mentem, ſat bene Theologum Molinianum domeſticæ Scholæ commodis proſpecturum, ſi quas ipſa ſententias amplectitur, præter fidem, aut etiam, ſi potis eſſet, præter Auguſtini mentem eſſe contenderet. Hoc etenim ultimum vallum, quo ſe olim cæteris depulſi munimentis Moliniani receperant, diù novi. Aſt ubi poſt menſem alterum, perlatum libellum legere contigit, rem longè ſecùs eſſe, quàm putaveram, intellexi. Vix enim pauca folia delibavi, cùm ſtatim nova cudi fidei capita deprehendi, recentium paradoxa ſacris Eccleſiæ dogmatibus accenſeri, privatas opiniones univerſo Theologorum cœtui frequentiùs adſcribi, probatiſſimas tandem, receptiſſimaſque ſententias, tectè ſaltem, ac per cuniculos, hæreſeos notis inuri. Idque, quod mirandum magis, fidentiâ tantâ, dictorumque ſecuritate, ac philautiâ, ut cùm ſua fermè omnia leviſſimis momentis expediat, quæ ne tyronem quidem morari queant, demonſtrationes tamen, ſi quas habet Theologica res, abſolutiſſimas dicat.

Potueram quidem, ac etiam fortàſſe debueram, ſurda aure tenuem ſcriptiunculam præterire, quæ prima duntaxat gratiæ congruæ rudimenta, ad ſublinienda ſimplicium ora, inſtillandumque illuſtribus fœminis Moliniſmum, vernaculo idiomate Lectoribus tradit. Verùm Amicorum hortatu, ac penè convicio, qui notam haud levem Scholæ Thomiſticæ inuſtam querebantur; multaque paſſim ajebant eſſe, quæ ſpecioſo verborum fuco, coactâque Conciliorum, & Auguſtini interpretatione, vera rudioribus viderentur, reponere coactus ſum. Quare ne quid fortè virgam effugeret, ſi deſultoria methodo Theologicam Danielis tractationem confutarem; totam a capite ad calcem, continuatâ ſerie, cenſoriis notis expungam: modeſtè tamen, & intra modum, ne quis obtrectandi libidine potiùs, quàm tuendæ veritatis ſtudio, hunc a me ſuſceptum laborem exiſtimet.

Neque tamen dum id operis molior, animus eſt, delibare de omni genere probationum, & infinita, quibus gratia ſe ipſa efficax ſuperſtruitur, argumenta proſequi, quod ambitioſi conſilii foret: ſed quod erit hujuſce aleæ, & inſtitutæ a me defenſionis maximè proprium, huic inſiſtam uni. In Danielis momenta duntaxat in-

quiram; & quàm procul a vero ſuperciliosus Scriptor abierit, paucis oſtendam. De reliquo, cumulatam graviſſimarum, quæ ſe ſe identidem offerunt, quæſtionum tractationem, præſtantiſſimis, quibus id curæ fuit, Theologis mittam. Unam paulò pleniùs duntaxat attingam, ut inauditum ejus, de Gratia (*De Correp. & Gratia cap. 12.*) *indeclinabiliter*, & *inſuperabiliter* agente, quam actualem eſſe nolit, paradoxum exſufflem; ne ſe ipſe, quaſi novo invento cœli convexa tetigerit, ſuperbiùs efferat; (*Animadv. 30.*) nobiſque Auguſtinianæ (quæ viro Moliniano ſtomachum movet) loquendi formulæ defenſoribus, erroris labem affingere pergat.

Tu interim, amice Lector, his utere. Ac ſi victricis Gratiæ, utì par eſt, ſtudio delectaris, Deum ſuppliciter venerare; ut, quæ conjunctis animis commentamur, cordibus etiam experiri donet: quò demùm, ejus, quam defendimus, ope, atque præſidio, (*Auguſt.*) *cum omnibus amoribus, terroribus, & erroribus*, vincamus hunc mundum.



SCHO-

SCHOLA THOMISTICA VINDICATA,

SEU

GABR. DANIELIS *e Societate Jesu Tractatus Theologicus*

Adversùs Gratiam seipsâ efficacem Censoriis Animadversionibus confutatus.



UT via, ac ratione procedat mea hæc Theologicæ Tractationis Confutatio, Libelli summam e Gallico Latinè redditam, per partes integra fide, & continuata serie repræsentabo, Lectorumque oculis sistam, ac suam cuique censoriam Animadversionem appingam. Ita fiet, ut qui Danielis librum ne viderunt quidem, (neque enim omnibus scribit) rem totam planè percipiant, ac de nostra concertatione, auditis veluti partibus, ex æquo judicium ferant.



ANI.

piscopo inscriptæ, eumdem Pontificem Maximum in Prædicatores occultis de caussis, minusque Pontificiæ dignitati honorificis, atque ita silentio involvendis, inclinatum obliquè significans.

Author *Epistolæ Leodii datæ*, mense Julio anno *1698*. & ad Abbatem *** Auxiliorum Historiam meditantem directæ, qui Gregorium Coronellum idcircò maxime a Clemente VIII. in Congregationum Consultorem adlectum, & ab actis, atque secretis datum obtendit, quòd esset Societatis professus hostis; a quo censuræ, atque judicia totius Consessus nomine lata, livore malo expedirentur.

Theophilus Raynaudus in *Discussione Libertatis Gibieufianæ*, ubi Guillelmum Gibieufum Oratorii Presbyterum Scholæ Thomisticæ partes agentem plautino sale defricat.

Theses a Molinianis Professoribus vindicatæ Tolosæ anno *1681*. Cadomi *1692*. Rhemis *1696*. Lugduni *1697*. Rothomagi *1698*. Lovanii 1704., quarum aliæ ob nimios excessus ab eruditissimis Præsulibus inustæ sunt.

Syndicus Academiæ Trevirensis, Societatis adversùs Dominicanum Congregationum Historicum procurator, & actor in *Justa querela*; qua eumdem brevi pagella mille conviciis excipit; *traductorem infamem*, *atri ingenii virum*, *impudentem*, *tenebrionem*, *sycophantam*, *lavernionem*, *mendacem*, *blateronem*, *impudentissimum*, *vespertilionem* appellans.

Danielis ipsius ad Natalem Alexandrum, & Prædicatorum Præpositum Generalem Epistolæ, frigidis Jansenismi accusationibus infartæ, Romanorum Pontificum, Regisque Christianissimi interdicto insuper habito.

Quibus addere liceat vulgatam nuper sub ascititio *Theodori Eleutherii* nomine Auxiliorum Historiam, de qua nihil hactenùs præter auditum habeo; conviciis, ut accipio, in Prædicatorum Ordinem, & scommatis infartam; *quorum onus haud portet centum rates incita remis*.

Hæc quisquis legerit, judicio demùm statuet, utri excessu peccarint: numve *literatus homo* (*Un homme des letres, & un honnete homme, ce n'est pas toujours la meme chose.*) (ut sua Danieli verba reddam) *idem sit semper*, *atque honestus*.

In hoc etiam erit æquis rerum æstimatoribus inquirendum, qui primi acuerint calamum, illudque Hieronymi dictum secunda adversùs Rufinum invectiva præ oculis habendum: *si hoc culpatur*, *ego in opere postremus sum*, *& necesse est*, *ut culpa a primis incipiat*. Qua de re dictum satis in Monito ad Lectorem, Historiæ nostræ vindiciis præmisso, ut quorumdam obmurmurationes repelleremus.

II.

II.

LIBELLI SUMMA.

Queritur Molinianus Disputator, (*Pag.* 4. 5.) Sedis Apostolicæ statuta ab iis Theologis violata, qui aut Scholæ suæ placita, tanquam fidei capita divendunt, aut partis adversæ sententiam invidiosis hæreseos, & erroris notis inurunt.

ANIMADVERSIO.

Quis tulerit Gracchos de seditione querentes? (*Juven.*) Mediam libelli partem queribundus Scriptor impendit, ut gratiam Molinistico sensu sufficientem, omnibusque promiscuè collatam, in fidei dogma transformet; gratiamque se ipsa victricem, Calviniano luto hærentem ostendat; & tamen de cæteris violata statuta fidenter expostulat, adhibitamque abs sese in scribendo moderationem maximam gloriatur. Id scilicet lippis proprium est, mala sua oculis inunctis non pervidere, in aliorum autem defectibus, tam cernere acutum, quàm aut aquila, aut serpens Epidaurius.

At si tanta illum, ut videri vult, Decretorum Pontificiorum religio tenet; quid, quæso, prægravem illam de Divinorum Auxiliorum efficacia controversiam, ex instituto pertractandam aggreditur, Pauli V. Urbani VIII. Innocentii X. ac XII. Decretis insuper habitis, atque a nemine, quod magis mirere, lacessitus, ac provocatus? Quid abstrusiora divinæ Gratiæ mysteria, subtilioribus Theologis inaccessa, vernaculo idiomate commentatur, ipsumque prophanum vulgus in sapientiæ sacrarium inducit? nisi forte est illa provida sagacitatis industria, ut qui viros eruditos, Augustinianorum dogmatum studiosos, suis partibus illigare haud potis est, illiteratos in Molinismum flecti cereos succenturiet. Idque (quæ summa calliditas est) hacce præsertim ætate temporum, qua novus in Jansenismum turbo detonuit: ut dum humanæ libertati noxiam hæresim iterato fulmine ictam inaudit consilii nescia plebs, Molinismum servandis arbitrii juribus plus satis intentum, uti puram, castamque Ecclesiæ doctrinam, probatumque damnati erroris antidotum amplectatur. Sic tamen, quod mirandum magis, suum ipse Molinismum exercitatis ingeniis suspectum novit, ut mali nescio quid ominis ipso ejus nomine contineri, sua satis scribendi ratione significet. Cùm enim vix toto Libello articulus exeat, quo suos ille Molinianos, & Scientiam mediam non salutet; ne cui tamen infausta nomina stomachum moveant, arte, studioque quæsita periphrasi, verborumque

que circuitu, non Molinianos, sed (*Les Theologiens*, *qui defendent le systême contraire à celuy de la Grace efficace par ellemême .... La science des veritès conditionelles.*) *Theologos contrarium Gratiæ se ipsâ victrici systema statuentes* dicere mavult : non Scientiam mediam, *sed futurorum*, *queis libera conditio adjecta est*, *cognitionem* appellat. Quasi sua, suosque citare per nomen pudeat.

Cæterùm si sua illa queribunda expostulatione, Dominicanum Congregationum Historicum sugillare hoc loco voluit, (quod conjicere pronum est) injuriam illi haud levem irrogat. Quamquam enim pro suscepti operis parte, instructas in Auxiliorum Congregationibus censuras retulerit propemodùm infinitas, queis Moliniana doctrina utì Semipelagiana inusta est; numquam tamen eam ex formâ juris, atque ex Apostolico tribunali, sancitoque judicio damnatam asseruit. Rem totam, ut gesta est, sincerè, ac simpliciter enarravit; Theologorum placita, Consultorum censuras, meditata judicia, ac demùm delineati Diplomatis Pontificii specimen, Lectorum, ut par erat, oculis subjecit : at tantùm abest, ut notatas inibi assertiones, hæreticas, aut re ipsa proscriptas ex animi sententiâ dixerit; ut contrà potiùs sub ipso Præfationis initio, ac deinceps *paragrapho* 12. disertè, ac prolixè admodùm significârit, nullam, quod jus attinet, censuris illis inesse vim, iis adstringi neminem, Molinæ systema a suis etiamnùm defendi posse, nullique fas esse invidiosas illi Pelagianismi notas inurere : seque idcircò duntaxat lata judicia passim in Historiâ prolaturum spopondit, ut unam facti fidem adstrueret, omni, quod jus attinet, censurarum, judiciorumque consideratione sepositâ. Hinc, & hoc ipso *paragrapho* 12. Innocentii X. Decretum expendens, quo nullam Auxiliorum Congregationis actis fidem habendam edicit, & ab neutrâ parte allegari posse decernit, pronam illi obedientiam spondet, ademtam iis actis juris fidem agnoscit, ab neutrâ dissidentium parte laudari posse profitetur; quod nempè Auxiliorum controversiâ semel in suspenso posita, fidem in judicio nullam faciant, quæcumque in partem alteram judicia lata sunt; nec unquam Sententiæ Pontificiæ vim habitura sint, donec ultima illi solennitas juris accesserit. Hoccine est Romanorum Pontificum Decreta revellere, & adversæ parti hæreseos notam audaciùs affricare?

III.

LIBELLI SUMMA.

(*Pag.* 3.) A Romanis Pontificibus fancitam, Theologos inter de Gratia diffidentes, pacem obtendit; poftque tot habitas concertationes, totque inftructa judicia ab iis demùm pronuntiatum ait, poffe utriufque Scholæ fententiam ex æquo defendi.

ANIMADVERSIO.

Purum id, putumque figmentum eft, *capite* 22. *libri* 4. *Hiftoriæ noftræ* data opera confutatum. Non ftatuta pax, fed datæ ad tempus induciæ; non finita lis, fed in fufpenfo pofita; non lata de Molinæ dogmatibus in erroris fufpicionem adductis Pontificia fententia, fed in commodiorem tempeftatem a Pontifice miffa. Quid aliud, amabò, fonat fiduciarium Pauli V. Refcriptum folutis demum congreffibus gemini inftituti præpofitis datum? *In causfâ de Auxiliis Sanctiffimus Dominus Nofter Difputantibus, & Confultoribus fignificavit, poffe illos reverti ad propria. Dixitque Sanctitas fua* SE OPPORTUNO TEMPORE PROMULGATURAM DECLARATIONEM, AC DETERMINATIONEM SUAM; *atque interim quàm feriò injunxit, ut in hujufce argumenti tractatione nullus partem alteram notâ aliquâ, vel cenfurâ afficere audeat, &c.*

Difpar ergo in Ecclefia Catholica utriufque fententiæ conditio; Scholarumque judicio certantium jura toto cælo diverfa. Quanquam enim, miffa in aliud tempus meditati judicii promulgatione, neutri parti adjudicata lis dici queat; præftat tamen interim Actoris, quàm Rei conditio; quique de fufcitato Pelagianifmo ex juris forma poftulatus eft, necdum quoad fententia prodeat, purgatus obtendi poteft. Sola quippe fententiæ denuntiatione purgari reum, notius eft, quàm ut multis demonftrari neceffe fit.

Nec eft, quod quifpiam opponat, Pauli V. Refcriptum utramque Scholam ex æquo petere; aut certè utrique ex æquo indultum, ut fua interim fenfa fine alterius morfu tueatur. Id enim reo indultum *interim* monuit Pontifex, dum meditata fententia publici juris fiat. Ad hæc cùm Moliniana dogmata, in tota cauffæ tractatione, ac demum in meditato diplo-

plomate Pelagianismi notata sint; e contrà Thomistica, sana, ac planè Augustiniana pronuntiata fuerint; consequens omnino est, concessam utrique parti licentiam sua interim sensa tutandi, donec instructa sententia ex juris formulis promulgetur, Molinianæ quidem Scholæ in erroris suspicionem vocatæ, occultoque judicio prædamnatæ indulgentiam esse, tolerantiam, ut summè permissionem; Thomisticæ verò eodem judicio comprobatæ, imò veriùs nusquam in suspicionem adductæ, jus summum, ac strictum.

Observationem hanc nostram Illustrissimo Rhemensium Archiepiscopo acceptam ferimus, Molinæ doctrinam (*Une doctrine, qui n'est, que tolerée dans l'Eglise.*) *ex sola Ecclesiæ tolerantiâ permissam* pronuntianti, solenni decreto die 15. Julii dato anno 1697. Quin, & hoc addit eruditissimus Præsul instituto nostro percommodum. *Equidem Clemente VIII. ad superos vocato, Paulus V. cujus consilia introspicere religio nobis est, meditatum judicium in suspenso posuit, & in commodiorem tempestatem consultò distulit. At nemo inde citra temeritatis notam propterea colligat, probatum idcircò fuisse Librum illum, de quo tandiu fuerat deliberatum. Post tam diligentem motæ litis tractationem, silentium Romanorum Pontificum approbationis loco jactare velle, hominum est nimis audacium, qui Sedem Apostolicam Protestantium calumniæ committunt, qui eam de contemtâ jam tandem Augustini doctrinâ, novisque Molinæ inventis in animum inductis accusant.*

Lege *caput* 19. *lib.* 4. *Historiæ nostræ de Divinis Auxiliis*, ubi hanc ipsam Danielis fabulam ad ravim usque a Sociis decantatam cumulatiùs confutavimus.

IV.


LIBELLI SUMMA.

(*Pag.* 6.) Id sibi potissimè constitutum ait, ita gravem illam de divinæ Gratiæ efficacia controversiam expedire, atque ad liquidum perducere, ut evoluto demum Libello, de utriusque sententiæ meritis Lectores facilè judicent.

ANIMADVERSIO.

Mirum! Decennio, & eo ampliùs desudarunt Romani Pontifices, ut geminæ Scholæ momenta perpenderent; nec ipsi soli, sed, & constituti ab Apostolica Sede Cognitores numero

multi, dies, noctesque laborarunt, ut caussam judicio maturarent: Daniel multarum vigiliarum oneri parcens, unius duntaxat, alteriusve horæ tædium, quæ evolvendo Libello satis erit, exposcit, ut de tota demum lite judicium ferri queat. Clementis VIII. vicem doleo, cui Daniele Consultore uti, negarunt superi. *O quid perdidit, qui te audire non potuit!* August. *lib.* 4. *Operis imperf. cont. Julianum* cap. 120.



ANI-

ANIMADVERSIONES

In tractationem praeambulam de Gratia sufficienti.

V.

LIBELLI SUMMA.



RATIÆ sufficientis naturam, quam ex fide Catholica profiteri necesse sit, his verbis exponit. (*Pag.* 9. & 10.) *Gratiae sufficientis nomine ea intelligitur, quae sufficiat, quaeque id habeat omne, quod ad effectum suum edendum necesse est, hoc est, ad actum bonum exerendum, ad quem hominem movet, tametsi eum reipsâ non edat .... Id ergo quaeritur in praesentiâ, quid nos de iis merè sufficientibus, & inefficacibus gratiis fides doceat, quibuscum id habetur omne, quod necesse est, ut actus, quem nobis inspirant, exeratur; quibuscum tamen ex renitentis voluntatis defectu non editur.*

ANIMADVERSIO.

Quin istud sufficientis gratiæ genus in Scholas invehere totis viribus adnitantur Moliniani Professores, quæ secum omnia complectatur, quæ sunt ad pietatis actum necessaria, nullus dubito: nec esset quod vehementiùs miraremur, si Daniel more Majorum, eandem nobis fabulam occentaret. Verùm quòd Scholæ domesticæ opinationem a cæteris quibusque Theologis summo consensu, imò cum stomacho confutatam, uti Catholicæ fidei professionem nobis obtrudat, nemo non indignabitur vehementiùs.

Thomistarum ne vel unum reperire est, qui hanc cum Navaretto assertionem non ponat, multisque probare non satagat. (*Tom.* 2. *Controv.* 19. §. 1.) *Quod Suarez dicit, auxilium sufficiens includere in se omnia, quae sunt necessaria ad operationem, falsum est, & contra D. Augustinum.* Horum nemo sapientissimi Lemosii de ea sufficientis Auxilii notione a Molinianis tradi solita, judicio non sponte subscribit: (*Tract.* 8. *de aux. suff. cap.* 1.) *Non est hoc verum auxilium sufficiens, quod a Theologis recipitur, & usurpatur; sed est illud, quod contra veram Christi Domini gratiam Julianus, Cassianus, & Faustus, & alii Massilienses introduxerunt.* Erunt ergo Thomistæ omnes, si penès Danielem judi-

judicium est, fidei desertores. Absit tam audax, tam iniqua censura.

Si quod itaque de Gratia sufficiente Catholica fides habet, Lectorum oculis sistere amat Molinianus Disputator, domesticæ Scholæ præjudicia deponat; ejusque naturam ita explicet, ut quæ universi catholicè sentientes communi calculo ex fidei regulis ponunt, ab iis longè secernat, quæ pauci, iique novissimi, ex mera Ecclesiæ indulgentia de suo addere permittuntur. Dicat cum Augustino, auxilium esse, sine quo non fit opus, non tamen, quo fit: quo datur homini posse, quod velit, non velle, quod possit: gratiam possibilitatis appellet, non actionis: illustrationem, & excitationem vocitet, qua suadetur pietatis opus, non persuadetur; invitatur voluntas humana, non trahitur; inspiratur velle, non datur. Aut certè, si Ecclesiæ sensum Scholæ verbis dicere gestit, gratiam actualem, & interiorem definiat, qua Deus intellectus illustratione; & voluntatis excitatione, dat homini posse bonum operari, si velit. Iis omnibus Catholicæ fidei professionem explicabit, ac secum Theologos universos consentientes habebit. Verùm ubi sacros limites prætergressus hac ipsa sufficienti gratia id omne contineri inquiet, quod ad pietatis actum reipsa exerendum necesse sit; non jam Ecclesiæ fidem, ut dictitat, sed domesticæ Scholæ opinationem venditabit, & a reliquo Theologorum choro procul abibit.

VI.

LIBELLI SUMMA.

(*A pag.* 14. *ad* 19.) Dari reipsa gratias sufficientes, ex sacris Literis probaturus, eaque versans Proverbiorum, & Isaiæ oracula: *Convertimini ad correptionem meam .... vocavi, & renuistis .... Quid est, quod debui ultrà facere vineæ meæ, & non feci ei? an quòd expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruscas?* Id principii loco ponit: jubere Deum, ac etiam expectare, ut convertamur, & bonos fructus feramus, vi gratiæ sufficientis.

ANIMADVERSIO.

Non is ego sum, qui gratias sufficientes, germano sensu acceptas, dari negem, easque sacris ex Literis colligi posse diffitear; sed Moliniana principia, utì fidei capita Lectoribus instillare malè habeo. Deum itaque gratias sufficientes aut præparantem, aut conferentem, obduratorum etiam hominum conversionem, ac bona ope-

opera non jubere modò, sed expectare, Catholica fides docet: verùm isthæc vi gratiæ sufficientis juberi, ac etiam expectari, quasi hujus unius ope reipsa exeri queant, Molinianæ Scholæ paradoxum est. Longè aliter Schola Thomistica, quam Catholicam, velit nolit, Daniel non negabit. Huic certò persuasum, quod, & in celeberrimis Auxiliorum Congregationibus propugnavit: (*Histor. de Aux. col.* 199. *Alvar. Disp.* 58. *n.* 3.) *Bonum usum auxilii sufficientis, non esse a solo auxilio sufficienti, sed efficaci*: atque idcircò peccatoris conversionem, cæteraque pietatis opera, quæ sacris in Literis præcipiuntur, Gratiæ efficacis ope futura (nisi ejus receptioni obicem posuerit) expectari. *Nihil enim*, inquit Augustinus *lib.* 2. *contra duas Epistolas Pelagianorum cap.* 10. *n.* 23. *in Scripturis sanctis homini a Domino video juberi, propter probandum Liberum Arbitrium, quod non inveniatur, vel dari ab ejus Bonitate, vel posci, propter adjutorium gratiæ demonstrandum.*

Certè qui Deum, concessa semel gratia sufficienti, peccatoris conversionem expectare fabulantur, vi ipsiusmet gratiæ sufficientis, quam is vel nutu solo, vel ob circumstantiarum opportunitatem, efficacem efficiat, in quartum Arausicanæ 2. Synodi Canonem impingunt: *Si quis, ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit; non autem ut etiam purgari velimus, per Sancti Spiritus infusionem, & operationem, in nobis fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui Sancto per Salomonem dicenti*: Præparatur voluntas a Domino; & *Apostolo salubriter prædicanti*: Deus, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate (apud Labb. Tom. 5. pag. 809.) Qua de re pleniùs *Animadversione* 26.

Cæterùm si quæras ex me, ut quid Deus id expectet a peccatoribus, quod gratiæ efficacis ope, qua destituti supponuntur, exerendum esset? reponam, quia, & hanc quoque concedere paratissimus est, nisi, & hac ipsa destitui, sua iniquitate mererentur. Ita Augustinus *lib.* 2. *de peccatorum meritis, & remiss. cap.* 17. *Ut autem innotescat, quod latebat, & suave fiat, quod non delectabat, gratia Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates: qua ut non adjuventur, in ipsis itidem caussa est, non in Deo, sive damnandi prædestinati sint propter iniquitatem superbiæ; sive contra ipsam suam superbiam judicandi, & erudiendi, si filii sint misericordiæ.* Cujus quidem Augustinianæ sententiæ rationem verè angelicam subministrat Doctor Angelicus *in* 1. *Sent. dist.* 40. *q.* 4. *art.* 2. *Hominem carere gratiâ ex duobus contingit: Tum quia ipse non vult recipere: Tum quia Deus non sibi infundit, vel non vult sibi infundere. Horum autem duorum talis est ordo, ut secundum non sit nisi ex suppositione primi. Cùm enim Deus non velit nisi bonum,*

non

non vult istum carere gratia, nisi secundum quod bonum est: sed quia iste careat gratiâ, non est bonum simpliciter: unde hoc absolutè consideratum non est volitum a Deo. Est tamen bonum, ut careat gratiâ, si eam habere non vult, vel si ad eam habendam negligenter se præparat: quia justum est; & hoc modo est volitum a Deo. Patet ergo, quòd hujus defectus absolute prima caussa est ex parte hominis, qui gratiâ caret: sed ex parte Dei non est caussa hujus defectus, nisi ex suppositione illius, quod est caussa ex parte hominis.

Addiderim, quò magis Danielis argutiæ vanitatem experiaris, ad statuenda fidei capita minùs efficax argumentum ex Scripturæ parabolis peti, nisi in sensum a Spiritu Sancto intentum accipiantur. Porrò tametsi vineæ figurâ, de quâ Isaiæ 5. sermo venit, quicumque peccator per translationem intelligi queat, culturæ verò eidem adhibitæ nomine, internæ, queis tangitur, gratiæ accipi possint, domum nihilominùs Israelis, sacra illa parabola verè, ac juxta literam adumbrari perspicuum est: *Vinea enim*, subjungit Isaias parabolæ sensum aperiens, *Domini exercituum*, *domus Israel est*: cultusque nomine impensa Israeli beneficia designari, perindè certum. Hæc autem nulla internarum gratiarum mentione facta, ad tria præsertim capita revocat D. Thomas; (*In Isaiam*) ad terræ videlicet Israelitis attributæ fertilitatem, Angelorum custodiam, & Regiam dignitatem. Quis ergo Danielem non rideat de gravi supercilio pronuntiantem *pag. 18. Manifestum est, vineæ cultum eo Scripturæ loco memoratum, gratias ipsas esse, queis Deus prævenit peccatorem?* Imò id longè manifestius, non posse sacrum oraculum, animæ peccatricis, gratiisque internis, nisi per translationem accommodari. Num autem vi gratiæ sufficientis præcipiat Deus, quasi præcipere justè non possit, nisi eam ad implenda, quæ jusserit, largiatur, Animadversione *9.* data opportunitate declarabimus.

VII.

LIBELLI SUMMA.

(*Pag. 21. & 22.*) Gratias sufficientes ex *Can. 25. Concilii Arausicani* probandas sibi sumit, his verbis expresso: *Hoc etiam secundùm fidem Catholicam credimus, quod acceptâ per Baptismum gratiâ omnes baptizati, Christo auxiliante, & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint, & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.*

ANI-

ANIMADVERSIO.

Perperàm prorsùs, atque immeritò. Neque enim ea Canonis verba, *Christo auxiliante, & cooperante*, de gratiis actualibus, ac merè sufficientibus accipi possunt; sed de habitualibus, & efficacibus, quæ ad pietatis, & salutis opera exerenda sunt necessariæ. Quis enim cooperantem gratiam merè sufficientem appellet, quæ det tantùm posse si volumus, non velle, quod possumus? cùm Augustinus *lib. de Gratia, & Lib. Arbit. cap.* 17. disertè pronuntiet: *Cùm autem volumus, & sic volumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur: tamen sine illo vel operante, ut velimus, vel cooperante cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.* Quis Deum cooperari per gratiam sibi fingat homini, nec volenti, nec operanti; quod utique ponere necesse fuerit, si qua gratia cooperans merè sufficiens asseratur? Actualem itaque gratiam efficacem insinuari eo loci certò liquet, aut certè habitualem, quam suo quoque sensu cooperantem ostendit Doctor Angelicus 1. 2. *q.* 111. *a.* 2. *Si accipiatur gratia pro habituali dono, sic est duplex gratiæ effectus, sicut, & cujuslibet alterius formæ: quorum primus est esse, secundus est operatio .... Sic igitur habitualis gratia, in quantùm animam sanat, vel justificat, sive gratam Deo facit, dicitur gratia operans; in quantùm verò est principium operis meritorii, dicitur cooperans.*

Laudati itaque Canonis sensus est, Christianos, vi sacri Baptismatis peculiari quadam ratione, facultateque magis expedita, posse, quæ ad salutem pertinent, adimplere, præsidio videlicet gratiarum, cùm habitualium, tùm actualium efficacium, quæ illis proculdubiò præstò sunt, nisi culpa sua sacræ regenerationis stolam amiserint. Aliunde enim, si rem absolutè, ac simpliciter spectes, quotquot etiam Sacramento regenerationis expertes impiam vitam degunt, possunt, quæ ad salutem pertinent, adimplere; nemoque omnium unus est, cui divina mandata impossibilia dici queant. An verò ex ea, quæ omnibus inest, implendorum mandatorum potestate, gratia sufficiens omnibus obvia possit extundi, examinabitur loco suo. (*Animadv.* 9. & 13.)

VIII.

LIBELLI SUMMA.

(*Pag.* 22.) Idem probandum instituit ex Concilio quarto Lateranensi, capite *Firmiter*, cujus sunt hæc ipsa verba: *Si post susceptio-*

ptionem Baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram pœnitentiam semper potest reparari.

ANIMADVERSIO.

Si cui gratia sufficiens actualis, atque interna hoc loco subolet, quia fortè sancitum legit, posse *semper* baptizatum hominem amissam regenerationis gratiam reparare; is quoque sibi fingat necesse est, internas superni ordinis gratias sufficientes, illustrationes videlicet mentis, ac pias voluntatis excitationes *semper*, ac quovis momento sceleſtissimis, & obstinatissimis peccatoribus, quales heu! inter baptizatos multi sunt, præstò esse. Quod quis credat?

Id unum itaque sibi vult sacra Synodus, posse semper peccatorem per veram pœnitentiam reparari, quia veræ pœnitentiæ gratiam accipere semper potest, ejusque culpæ semper tribuendum, si minùs accipiat; Deo nimirùm concedere paratissimo, nisi justo judicio retrahatur. Interpretamentum ex D. Thomæ principio sumptum est, *quæst.6. de Veritate art.3. ad 7. Dicendum quod aliquid potest dici posse dupliciter: Uno modo considerando potentiam, quæ in ipso est, sicut dicimus, quod lapis potest moveri deorsùm: Alio modo considerando id, quod ex parte alterius est; sicut si dicerem, quod lapis potest moveri sursùm, non per potentiam, quæ in ipso sit, sed per potentiam projicientis.* At de his plura *Animadversione* sequenti & 13.

IX.

LIBELLI SUMMA.

(*Pag.*13.) Concilii Tridentini oraculum advocat, *sessione 6. de Justificatione capite* 11. exaratum: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere, quod possis, & petere, quod non possis*: unde hanc consequentiam elicit, qua gratias sufficientes evincat: *Dum implendum, aut violandum divinum mandatum occurrit, gratia nobis præstò est, quæ implendi potestatem donet; aut certè orationis gratia datur, ut altera gratia postuletur a Deo, quæ eam nobis conferat potestatem.*

ANIMADVERSIO.

Mirari subit, consecutionem hanc uti dogma catholicum venditari, quam uti falsam, & absonam negat Theologorum pars nobilissima. Certè Lovanienses, ac Duacenses in censuris adversùs Lessium,

sium, & Hamelium adornatis, Estius *in* 2. *Sent. dist.* 26. Sylvius 1. 2. *qu.* 109. *art.* 4. Bellarminus *lib. 6. de Gratiâ, & Libero Arbit. c.* 15., & alii, quos recensere longum esset, implendorum mandatorum potestatem, quæ universis, vel sceleſtiſſimis hominibus inest, aliundè quàm ex immissis, quoties præceptum incumbit, illustrationibus, atque excitationibus, derivarunt. Quotquot etiam induratos, & obcæcatos, omni, ad certum saltem vitæ tempus, interiori gratia destitui profitentur viri Theologi, (quos sanè *nec paucos, nec infimi nominis esse*, jubente Eminentissimo Cardinali Noallio, publico instrumento declarare compulsus est Gabriel Bescheterius Soc. Jesu, die 3. Aprilis 1700.) eos nihilominùs gravissimorum criminum reos habent, quæ divinorum mandatorum violatione, in hoc ipso desertionis statu, indesinenter admittunt.

Quid quòd Augustinus, toties a Pelagianis lacessitus, trita illa, ac pervulgata accusatione; præcepta ex ipsius sententia fore impossibilia peccatoribus, utpotè quos gratia illa destitui contingat, quam ad illa implenda necessariam statuebat: nusquam ad præsentem quibusvis hominibus illustrationem, excitationemque confugit, ut hæc ipsis possibilia demonstraret?

Nusquam etiam Doctor Angelicus, in exponenda divinorum præceptorum, ut ipse loquitur, possibilitate, ad communem universis hominibus actualem gratiam confugisse legitur. Imò illos ipsos divinorum mandatorum violatione peccare contendit, quos Deus in præcedentium delictorum pœnam gratia etiam sufficienti destituit, seu illo ipso auxilio *sine quo*, cujus mentionem ingerit Augustinus *libro de Correptione, & Gratia cap.* 12. *Dicendum*, inquit D. Thomas 2. 2. *quæst.* 2. *art.* 5. *ad* 1. *quod si in potestate hominis esse dicatur aliquid excluso auxilio gratiæ, sic ad multa tenetur homo, ad quæ non potest sine gratiâ præparante, sicut ad diligendum Deum, & proximum: & similiter ad credendum articulos fidei, sed tamen hoc potest cum auxilio gratiæ, quod quidem auxilium quibuscumque divinitùs datur, misericorditer datur; quibus autem non datur, ex justitiâ non datur, in pœnam præcedentis, aut saltem originalis peccati, ut Augustinus dicit* in libro de Correptione, & Gratia.

Quàm itaque turpiter hallucinantur, qui quoties homini possibile mandatum inaudiunt, toties præsentem eidem sufficientem gratiam colligunt: quasi hæc una statuendæ, probandæque implendi mandati potentiæ ratio suppetat, eàque negatâ homini gratiâ divina mandata impossibilia censeantur!

Qui cumulatam hujus argumenti tractationem legere amat, consulat Historiam nostram de divinis Auxiliis in additis a pag. 82. ad 114. ubi hæc duo omni argumentorum genere demonstravimus:

mus : 1. ut peccatum divinorum mandatorum violatoribus imputetur, nullam supernaturalem mentis illustrationem, aut excitationem voluntatis esse necessariam : 2. impotentiam voluntariam, seu propriâ iniquitate contractam, obduratos, & excæcatos a peccato non excusare.

Nihilo feliciùs orationis gratiam, quibusvis peccatoribus obviam, quoties præceptum incumbit, ex eâ sacræ Synodi sanctione colligit Theologus Molinianus, idque utì fidei caput nobis occentat. Quasi verò, nisi hæc, ut minimùm adsit, qua implendi mandati potentiam cœlo devocent, mandatum impossibile censeatur, ejusque violatio nulli culpæ subjaceat. Commentum hoc non allatæ modò considerationes evertunt, sed, & sequens præcipuè, cuivis vel mediocriter erudito statim obvia.

Implendi mandati lege non justi modò, atque fideles, sed, & mortalium sceleftissimi excæcati, obdurati, hæretici, athei etiam, atque gentiles, pro suaquique conditione tenentur; ac ni impleant, peccato subjacent. Ecquis tamen illos, quoties præceptum incumbit, quoties peccant, piis illis ad orandum Deum cogitationibus, & affectionibus excitatos effutiet? Quis Gentiles, Deum verum ignorantes, Atheos numen omne perfractè negantes, de illo tamen orando sæpiùs cogitare sibi fingat; dicente Apostolo *ad Rom. cap.* 10. *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* Quis Philosophos illos, qui mundum negabant providentia regi, quique pro virtute neminem unquam Deo supplicasse sentiebant, de orando tamen pro virtutibus Deo, sæpius die quavis excitatos existimet? Quis Pelagianos gratiam ad peccata vitanda necessariam diffitentes, de hac tamen quotidie imploranda cogitasse dicat? Quis demùm Neronem, Caligulam, Heliogabalum, aliaque hujusmodi hominum monstra, tùm cùm in omnium sordium, & flagitiorum cœno se volutarent, sexcenties in dies piis ad orandum motibus agitatos fabuletur? Perperàm igitur sufficientem ad orandum gratiam omnibus obviam, ex implendorum mandatorum lege colligit novorum fidei dogmatum fabricator.

Neque juvat, quod aliquibus venit in mentem, mortalium sceleftissimos, ipsosque gentiles, ac barbaros, iis illustrationibus, & excitationibus cœlitùs immissis quotidie perfundi, sed ad eas minùs attendere. Id quippè doctè refellit Cardinalis Bellarminus *lib.* 2. *de Libero Arbitrio cap.6. Dicunt aliqui, Deum quidem perpetuò pulsare ad ostium cordis, & peccatores vocare, sed eos aliis rebus intentos non percipere vocationem .... Sed hæc responsio cum ipso experimento apertissimè pugnat, nam cùm vocatio, pulsus, tractus, excitatio illa Dei, sit actio nostra, quamvis non libera, nimirùm bona cogitatio, bonumque desiderium, repentè, ac divinitùs immissum;*

ſum; quomodò poteſt fieri, ut non ſentiatur a nobis, ſi ſit non ſolùm in nobis, ſed etiam a nobis? En in quantas anguſtias adiguntur, ut gratiam ſaltem orationis in omnes divinorum mandatorum tranſgreſſores effuſam, poſitam dicant, in excitatione, quæ non excitet, in cogitatione, de qua minimè cogitetur, in piis denique motibus, qui ab illis ipſis, qui moventur, nullatenùs ſentiantur: quaſi vel fieri poſſit, ut quis excitetur non excitatus, cogitet incogitans, immotus denique moveatur?

Qui ergo, inquies, germanus Tridentinæ Synodi ſenſus erit, dum ait: *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere, quod poſſis, & petere, quod non poſſis?* Reſpondeo, duplex: Prior quidem ab inſtituta de gratia ſufficienti quæſtione, toto cœlo disjunctus, ab Eſtio *in* 3. *Sent. diſt.* 27. & Bellarmino *lib.* 4. *de Juſtificatione cap.* 10. propugnatus, ut videlicet de juſtis in accepta juſtitia perſeverantibus intelligatur, a quibus divina præcepta ſervari dicuntur, adeoque non eſſe illis impoſſibilia, uti Lutherani ſtolidè delirabant; qui juſtis omnibus, etiam dum ſpiritu Dei aguntur, divina mandata eſſe impoſſibilia contendebant, quòd ſingulos illorum actus concupiſcentiæ veneno infectos arbitrarentur. Alter Canonis ſenſus eſt, ut de quibuslibet fidelibus accipiatur, quibus præcepta poſſibilia dicuntur, quia per gratiam efficacem, quam aut habent, aut certè implorare jubentur, impleri reipſa poſſunt. Auguſtinus enim *libro de Naturâ, & Gratiâ capp.* 42., & 43. unde ſacræ Synodi definitio expreſſa eſt, poteſtatem cum effectu conjunctam intelligit. Unde autem implendorum mandatorum ab effectu ſejuncta poteſtas, quæ peccatoribus etiam ineſt, repetenda veniat; nihil eo loci ſtatuit ſacra Synodus, ex quo decretorium pro gratia ſufficienti argumentum exeri poſſit. Neque enim iis vocibus: *Deus jubendo monet petere, quod non poſſis*, ſignificatur, orandi gratiam, quibuslibet peccatoribus ſemper adeſſe, dum agendi gratia ſunt deſtituti. Aliud namque eſt *admonere*, aliud *gratiam dare*: aliud Lex jubens, aliud ſpiritus adjuvans. Hæc ſi quis promiſcuè confuderit, univerſam Apoſtoli, & Auguſtini doctrinam everſum ibit.

X.

LIBELLI SUMMA.

(*Pag.* 24.) Alterum eodem ex capite ſacræ Synodi oraculum laudat: *Deus namque ſuâ gratiâ ſemel juſtificatos non deſerit*: cui gloſſema iſtud ad ſufficientem gratiam inde, colligendam, appingit: *Deus porrò juſtificatum deſerere cenſendus eſſet,*

esset, si gratiam implendi præcepti, dum instat occasio, denegaret.

ANIMADVERSIO.

Ita-ne Tridentina Synodus, semel justificatos a Deo minimè deseri, simpliciter dixit; unde quis fortè colligat, justitiam ab ea definiri, quæ nunquam excidat, nunquam amittatur? Quid subjecta Synodi verba, queis suspensus periodi sensus absolvitur, Danielis hæsere calamo, *nisi ab eis priùs deseratur?* Inde quippe contrarius sensus efficitur; Deum nempe justificatos ipsos, certo quodam sensu, aliquando deserere, dum nimirùm ab eis prior ipse deseritur.

Sed age fœdam, ac studiosam sacræ Synodi mutilationem condonemus. Perperam sacrum oraculum ad solam actualem, & sufficientem gratiam detorquetur, quod de habituali, qua formaliter, ut Schola loquitur, justi sunt, a præstantissimis Theologis explicatur: ut videlicet sensus sit, Deum sua gratia semel justificatos non deserere, justitiam habitualem, per quam justi sunt, subtrahendo, nisi per mortale peccatum priùs deseratur ab eis. Ita Estius in 2. *Sent. dist.* 26. §. 44. Sylvius in 1. *part. quæst.* 23. *art.* 5. Alvarez *disp.* 110. *n.* 19. Nugno 3. *part. quæst.* 26. *art.* 5. Nazarius 1. *part. quæst.* 23. *art.* 5. Ledesma *de Auxiliis art.* 12. *ad* 7.

Ecquo verò pacto gratiam sufficientem, qualem præsertim Daniel comminiscitur, quæ nunquam homini etiam scelestissimo prætò non sit, sacra Synodus statuisset? Certè si hæc illi mens esset, non utique pronuntiasset, *Deum suâ gratiâ semel justificatos non deserere, nisi ab eis priùs deseratur*: sed contrà potiùs, Deum sua illa sufficienti gratia semel justificatos, imò vel ipsos scelestissimos homines nunquam deserere, quantumvis ab eis ille deseratur.

XI.

LIBELLI SUMMA.

(*Pag.* 26.) Laudatæ primæ propositionis Jansenianæ damnatione, hanc ex adverso Ecclesiæ Catholicæ doctrinam esse contendit: *Nulla Dei præcepta justis esse impossibilia; quippè orationis gratiam saltem habent, ut implendi, dum instat occasio, præcepti gratiam obtineant.*

ANI-

ANIMADVERSIO.

Propofitionis Janfenianæ damnationi fubfcribo ex animo : verùm Molinianum interpretamentum, tanquam Ecclefiæ fidem obtrudi, molestè fero. Nulla Dei præcepta juftis volentibus, & conantibus, fecundùm præfentes, quas habent vires, effe impoffibilia, gratiamque, qua poffibilia fiant, non deeffe, Ecclefiæ fidem agnofco, pro qua fanguinem fundere mihi votum eft. Iifdem actualem gratiam ad orandum, fenfu Thomiftico fufficientem adeffe, ut nimirùm poffint orare fi velint, certò profiteor. Verùm gratiam ad orandum fufficientem talem illis adeffe, quæ (quod Daniel fatis innuit) ad orandum reipfa fit fatis, ut implendi præcepti efficacem gratiam cœlo devocent; quafi orandi reipfa, & implendi mandati gratiæ eo nomine diftinguantur, quòd illa fufficiens tantùm, atque verfatilis, ifta efficax cenfeatur; non fidem Ecclefiæ, fed Moliniani Scriptoris commentum agnofcò.

Utramque perinde efficacem noviffet Daniel, fi animos intendiffet. Qui enim *pag.* 8. efficacem ad implenda mandata gratiam novit, propterea quod Ezechielis 36. fcriptum legerit : *faciam, ut in præceptis meis ambuletis* : quidni quoque efficacem ad orandum gratiam intellexit, dum ita fupplicantem Ecclefiam animadvertit, *fac nos ea, quæ tibi funt placita, poftulare?* Qui efficacem actionis gratiam hifce Apoftoli verbis expreffam agnovit : *operatur in nobis velle, & perficere*; quidni orandi gratiam non abfimiliter efficacem, altera illa Apoftoli phrafi multò luculentiùs commendatam deprehendit, qua Deum orandi affectum ita in nobis operari docet, ut non tam nos, quàm Spiritus Sanctus in nobis orare dicatur? Ad *Romanos* 8. *Spiritus adjuvat infirmitatem noftram : nam quid oremus ficut oportet, nefcimus : fed ipfe Spiritus poftulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. Quo quidem eruditus oraculo D. Auguftinus, orationis gratiam, & ipfam efficacem effe tandem agnovit, *Epift.* 194. ad Sixtum : *ita dictum eft* interpellat, *quia interpellare nos facit .... Adjutorium igitur Spiritus Sancti fic expreffum eft, ut ipfe facere diceretur, quod ut faciamus, facit*. Diftinctiùs verò, atque ad inftitutum noftrum magis appofitè Divus Fulgentius *lib.* 2. *de Veritate prædeftinationis, & gratiæ, cap.* 4. *Dum præcipitur nobis, ut velimus, oftenditur quid habere debeamus : fed quia id ex nobis habere non poffumus, admonemur, ut a quo nobis datur præceptum, ab ipfo petamus auxilium; Quod tamen non poffumus pofcere, nifi Deus in nobis operetur, & velle*. Viden' ut orandi non fecus ac implendi præcepti gratiam perinde efficacem effe contendit; eamque non femper præfentem, ac quovis

vis sese momento ingerentem, sed dum orandi affectum Deus operatur in nobis?

XII.

LIBELLI SUMMA.

(*Pag.* 28.) Ex tertiæ propositionis Jansenianæ damnatione, gratiam sufficientem hoc ratiocinio colligit: *Inde manifestum est, Ecclesiæ doctrinam esse, ad merendum, vel demerendum, libertatem a necessitate requiri, hoc est, ad peccandum, vel demerendum divini præcepti violatione, desiderari, ut a mandati violatione abstinere possim: habeo igitur, dum præceptum transgredior, ejusdem implendi potentiam: eam porrò nisi gratiæ beneficio datam non habeo.*

ANIMADVERSIO.

Spisso errore libertatem a necessitate, quam ad merendum, vel demerendum necessariam, eo judicio sanxit Ecclesia, cum gratia sufficienti confundit: nativam scilicet animæ dotem, versatilem ad utrumlibet facultatem, naturæ rationali congenitam, cum gratuito beneficio. Quis id æquo animo ferat? Infideles, queis nunquam Evangelii lumen affulsit, peccatores obduratos, & excæcatos, admissorum delictorum culpa teneri, adeòque libertate ad demerendum necessaria præditos esse, nemo negaverit, illos tamen gratia sufficienti destitui, Ecclesia permittente, ne dicam probante, propugnat Theologorum illustrium bona pars: non itaque Ecclesiæ Catholicæ sententia est, libertatem ad demerendum necessariam nihil a gratia sufficienti distingui, aut illâ sublatâ non stare.

His fermè momentis, omnia quippè non reprobo, sufficientem gratiam (quam modone perperam accipiatur, lubenter admitto) ex sacris Literis, Ecclesiæque decretis pessimè colligit. Et tamen, si superis placet, vitreas argutias, e sacris illis fontibus miserè deductas, vana, ac propè Thrasonis ostentatione concludit: (*Pag.* 29.) *En certè absolutissimas, si quas habet Theologica disciplina, demonstrationes: demonstrationes dico, non humana ratione nixas, sed Scripturis, ac fidei definitionibus fultas, evidentique perinde, ac necessaria consecutione delibatas.*

XIII.

XIII.

LIBELLI SUMMA.

(*Pag 36.*) Id principii loco ſtatuit, *ſolam ſufficientem gratiam* poteſtatem conferre; peccatoribus quidem, ut convertantur, reprobis, ut ſalventur, juſtis, ut in accepta juſtitia perſeverent. Quin etiam ſubjungit, Catholicos Theologos planè omnes huic hæſiſſe firmiter, ut Calvinum ſufficientis gratiæ deriſorem impeterent.

ANIMADVERSIO.

Bellum profectò! Non ſunt ergo Catholicis Theologis adnumerandi Eſtius, Sylvius, Bellarminus, aliique bene multi, de quibus *Animadverſione 9.* ſermo fuit, qui converſionis edendæ, ac ſalutis obtinendæ potentiam, quæ nulli, vel obſtinatiſſimo, quandiù mortalem hanc vitam ducit, denegatur, aliunde quàm ex gratia ſufficienti, quæ ſingulis præſtò ſit, derivarunt.

Certè quoſdam ſaltem in præſentia auxilio ſufficiente deſtitui, in originalis peccati pœnam, diſerta Auguſtini ſententia eſt, *lib. de Corrept.*, *& Gratia cap.* 11. ubi de hac ipſa ſufficienti gratia, ſeu, quod idem eſt, de adjutorio, *ſine quo non fit opus*, *non quo fit*, quæſtionem inſtituens ita ſcribit: *Si autem hoc adjutorium, vel Angelo, vel homini, cùm primùm facti ſunt, defuiſſet; quoniam non talis natura facta erat, ut ſine divino adjutorio poſſet manere ſi vellet, non utique ſua culpa cecidiſſent; adjutorium quippe defuiſſet, ſine quo manere non poſſent. Nunc autem, quibus deeſt tale adjutorium, jam pœna peccati eſt; quibus autem datur, ſecundùm gratiam datur, non ſecundùm debitum.* Quinam illi ſint, ac quàm diù in fatali illo deſertionis ſtatu verſentur, haud expendo, nec præſens poſtulat inſtitutum: hoc dico tantùm, illos ex Danielis Theologia, nullo pacto tunc temporis poſſe ſalvari, æternamque, quæ cunctis parata eſt, felicitatem adipiſci; ſiquidem auxilio ſufficienti, quo ſolo poteſtas illa confertur, ſunt deſtituti. Cùm tamen ex Theologorum omnium aſſenſu nemo mortalium, vel unus ſit, qui quandiù mortalem hanc vitam degit, ad Deum converti, æternamque felicitatem adipiſci non poſſit.

Non unius igitur gratiæ ſufficientis ope ſua cuique poteſtas ineſt, peccatoribus quidem, ut convertantur, reprobis, ut ſalventur, juſtis, ut in accepta juſtitia perſeverent; ſed ex aliis quoque capitibus.

I. Externa, ut ita dixerim, poteſtate: quia quandiù in hac luce verſatur homo, & fidei, & converſionis, & perſeverantiæ gratiam

tiam accipere semper potest : ejusque semper culpæ tribuendum, si minùs accipiat. Quod Scholæ Angeli testimonio confirmavimus Animadversione nona.

II. Interna, at interim remotissima potestate, Libero nimirùm Arbitrio unicuique congenito. Etsi enim converti reipsa se solo non possit, nisi divinæ gratiæ præsidium accesserit; id tamen in optimi amici, ac Domini manu positum est. Quod autem per amicos possumus, per nos ipsos posse censemur; maximè si liberali, ac generosa indole sint, atque ad largiendum paratissimi.

III. Viciniori potestate per fidem : quia fidelis oratio potest necessaria quæcumque auxilia obtinere. Hinc Augustinus *lib. de Gratia, & Libero Arbitrio cap. 16. Magnum*, inquit, *aliquid Pelagiani se scire putant quando dicunt*, non juberet Deus, quod sciret non posse ab homine fieri. *Quis hoc nesciat? Sed ideo jubet aliqua, quæ non possumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus. Ipsa est enim fides, quæ orando impetrat, quod Lex jubet.*


IV. Longè viciniori potestate per gratiam sanctificantem, justi quicumque & implere mandata, & in accepta justitia perseverare possunt. Tum quia ad ordinem supernaturalem evecti, ac divinæ naturæ participes facti, habituale agendi principium habent, quo possint illo in ordine bonum agere, & quæcumque præcepta sunt, adimplere : tum quia contractæ cum Deo amicitiæ titulo, jus veluti quoddam habent, ad actualia, quæ sibi hic, & nunc necessaria sunt adjutoria, ut bonum reipsa perficiant. Non quòd illa Deus homini debeat tametsi justissimo, sed quòd sibi ipsi debitor sit, suisque promissis, & coalitæ amicitiæ legibus deesse non possit. Quocircà Augustinus Enarratione *in Psal. VII.* versiculum illum Regii Vatis exponens, *justum auxilium meum a Domino*, hoc inter auxilia justis, ac peccatoribus data discrimen instituit, quòd illa justitiæ quodammodò sint, ista unius misericordiæ. *Ibi*, inquit, *misericors auxilium est, quia nullum habet meritum peccator, qui adhuc justificari desiderat, credens in eum, qui justificat impium : hìc autem justum auxilium est, quia jam justo tribuitur. Dicat ergo ibi peccator* .,.. Salvum me fac, Domine, propter misericordiam tuam : *& dicat hìc justus* .,.. Justum auxilium meum a Domino.

Quatuor istis recensitis potentiæ modis, is quinto loco succedit, qui gratiæ sufficientis ope confertur; quam demùm ille coronat, ac prorsùs absolvit, qui gratiæ se ipsa victricis beneficio datur; quo nimirùm potestas ipsa transfertur, actuique conjungitur.

Quis itaque Danielem æquo animo ferat, solam nobis sufficientem suam gratiam obtrudentem, cujus unius ope sua cuique potestas insit, peccatoribus quidem, ut convertantur, reprobis, ut salven-

ventur, justis, ut in accepta justitia perseverent; quodque dolendum magis, hoc ipsum figmentum, Theologorum planè omnium Calvini debellatorum nomine venditantem?

Neque favet stabiliendo figmento laudatum ex D. Augustino celebre dictum *lib. de Gratia, & Lib. Arbitr. cap. 4. Homo gratia juvatur, ne sine caussa voluntati ejus jubeatur*: quod is pessima fide gallicè reddit: *Dieu commanderoit en vain a l'homme, s'il ne le secouroit en même tems par sa grace*: quasi verò toties infidelibus quibuscumque, atque obstinatissimis peccatoribus præsentem adesse gratiam dixerit sanctissimus Præsul, quoties præcepto tenentur. Absit. Sed id unum eo dicto significat; nunquam nisi opitulante gratia præceptum impleri; quanquam ea bene multos destitui suà culpà contingat, quibus idcircò præcepti transgressio, vitio vertitur, uti sexta Animadversione notatum est.



ANIMADVERSIONES

In tractationem de Gratia efficaci

XIV.

LIBELLI SUMMA.



YSTEMA gratiæ seipsa efficacis, quo sensu a Thomistis (*Pag.* 45. 46. 48.) asseritur, obscurum, confusum, & captu difficillimum dicit: quia quam seipsa efficacem, suaque ipsius natura cum effectu certissimè conjunctam appellant, nullam tamen voluntati necessitatem inferre contendunt. Scilicet duo hæc mutuò pugnare putat, seque illorum conciliationem nondum intelligentià assecutum profitetur.

ANIMADVERSIO.

Scholæ Thomisticæ invidiam conflare satagit Theologus Molinianus, quo ex capite se illa circumspicit, & Augustini magisterio gloriatur. Illud quippè sanctissimus Doctor efficacis gratiæ genus propugnavit, quod cum humana libertate difficillimè conciliari fassus est. *Ista quæstio*, inquit, *lib. de Gratia Christi cap.* 47. *ubi de arbitrio voluntatis, & Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur Liberum Arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem asseritur Dei gratia, Liberum Arbitrium putetur auferri*. Quibus paria scribit *lib. de Prædestinatione Sanctorum cap.* 14., *lib.* 2. *de peccatorum meritis, & remiss. cap.* 18., & *Epistolis* 214. & 215. ad Valentinum Abbatem. Tantùmque abest, ut eum a sententia dimoverit objecta toties a Pelagianis conciliationis difficultas, ut se eo maximè titulo cum Apostolo paria sentire contenderet. Quare procul ab Augustino abire convincuntur Scholæ Molinianæ Professores, qui facilem, & quibusvis obviam efficacis suæ gratiæ cum humana libertate conciliationem ostentant.

Neque tamen, quæ captu difficillima est, gratiæ se ipsa victricis cum humana libertate conciliatio, impossibilis repetenda venit. (*Vide Animadv.* 34.) Certè congenitam virtutis alicujus efficaciam, ejusque cum effectu infallibilem ex ipsa sui natura conjunctionem, unà cum motæ voluntatis indifferentia, ejusque in partem alte-

ram

ram potestate cohærere, pauca hæc, ut rationes theologicas missas faciam, exempla demonstrant.

I. Verbum divinum virtute suapte natura efficaci, Christi humanitatem ad omnes ejus operationes applicabat, ut planè repugnaret moventi Verbo humanam non obsequi voluntatem: Quis tamen humanæ in Christo voluntatis actus, liberos neget, indifferenti ad agendum, & non agendum potestate elicitos?

II. Naturalis, ac etiam personalis Christi Domini impeccantia ita intima ratione, suaque ipsius natura cum divini præcepti observantia conjuncta erat, ut spectata intimæ impeccantiæ conditione repugnaret in Christo præcepti transgressio. Nemo tamen divini præcepti observantiam Christo necessariam effutire audeat.

III. Divina vis, qua Spiritus Sanctus Canonicis Scriptoribus adest, se ipsa efficax est, cum effectu suo, hoc est, indeficienti scriptione ex ipsa sui natura ita conjuncta, ut planè pugnet, spectata divini præsidii efficacia, ut ii scribendo fallantur, & errent. Nemo tamen Canonicos Scriptores necessitate ductos, & libera in scribendo facultate destitutos effutiet.

IV. Æternum Dei decretum, quo electos suos prædestinat ad regnum, ita intima sui natura cum æterna illorum salute conjunctum est, ut planè pugnet, electum decreta sibi sorte, atque felicitate excidere. *Horum enim*, ut scitè loquitur Augustinus *lib. de Corrept., & Gratia cap.7. Si quisquam perit, fallitur Deus: sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Horum si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus: sed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus*. At hos nihilosecius salvari liberè, fidei caput est.

V. Gratia congrua, si Molinianis fides est, ex directione Scientiæ Mediæ alicui concessa, iis in circumstantiis, quibus prævisus est consensurus, tam intimo nexu cum futuro voluntatis assensu conjuncta est, ut fieri omninò non possit, ut cum voluntatis dissensu gratia congrua componatur: aliàs, & Scientia Media falleretur; & gratia congrua, congrua re ipsa non esset. An-non tamen suum illud systema cum humana libertate stare contendunt?

Hæc si Daniel intelligentià satis assequitur, gratiæ se ipsa victricis cum humana libertate concordiam faciliùs assequetur. Si minùs, ingenii tarditatem causari pergit; rogabimus, ut tot eruditissimos viros, qui strenuam in ea exponenda, probandaque concorcordia operam posuere, lectitare, ac, si potis est, refellere ne gravetur. Illiberalis enim ingenii est, aliena, quæ palato non sapiunt, ridere dogmata, ludisque, ac facetiis ludere; nihil tamen interim, quo refellantur, objicere. *Non tamen laboras, ut me intelligas, quod facillimè potes; sed laboras, ut me*

me refellas, quod non potes. Augustinus *lib.*32. *Operis imperfecti contra Julianum cap.*139.

XV.

LIBELLI SUMMA.

(*Pag.* 58. & 59.) *Calvini systema*, inquit Daniel, *de gratia necessitatem inferente Gallos Protestantes, si qui fortè sint, minùs solicitos habet. Eo in capite, sectæ suæ minùs pertinaciter adhærescunt.*

ANIMADVERSIO.

Sic sanè veritas habet. Protestantes, depositis præjudiciis, pristinos eo in capite Reformatorum suorum errores exuisse, certò liquet. Verùm id scivisse Danielem oportuit, dum Epistolam Ordinis Prædicatorum Præposito Generali inscriptam evulgavit. Ab inficeta declamatione temperasset, qua rem Polemistarum omnium suffragio comprobatam, uti merum, putumque paradoxum sugillavit: nec Dominicano divinorum Auxiliorum Historico succensuisset, quòd idipsum quarto Historiarum libro demonstrandum aggressùs esset. At carpendi cacoethes Moliniani declamatoris animum in transversum egerat.

XVI.

LIBELLI SUMMA.

(*Pag.* 74. 75.) Gratiæ se ipsa efficacis nomen a Calvino omnium primo usurpatum observat. Adeoque mirandum ait, Theologos nonnullos mali ominis vocem, uti peculiarem orthodoxæ doctrinæ notam consecrasse, eandemque uti certam, veramque sanioris Theologiæ tesseram ostentare. Cùm eam potiùs suspectam habere debuissent, ex quo primùm ab hæreticis usurpata est, errorique significando opportuna visa fuit.

ANIMADVERSIO.

Cui primùm gratiæ se ipsa efficacis nomen exciderit, nolim ego certò statuere, cui Theologos omnes, apud quos in usu fortasse fuit, lectitare non licuit. Num Daniel universos evolverit, ut id demùm certò decerneret, rescire ab ipso velim. Demus tamen, id

id nominis primùm excidiſſe Calvino, gratiæ neceſſitantis, ut vocant, dogma hæreticum procudenti; quidni, quæſo, in catholicum ſenſum a Romanæ communionis Theologis uſurpetur? Quandoquidem Auguſtino judice *lib. de Doctrina Chriſtiana cap.* 11. *Bonorum ingeniorum inſignis eſt indoles, in verbis verum amare, non verba*; ne Doctor verbis ſerviat, ſed verba Doctori.

Profectò ſi quæ vox in Eccleſia Catholica venerationem habet, ea principem locum obtinet, quam Nicænæ Synodi Patres, Catholicæ de Chriſti divinitate fidei teſſeram poſuere. *Conſubſtantialis ὁ μουσὶυ* vocem intelligo, fidei Formulis inſertam, Patrum codicibus inſcriptam, Conciliorum canonibus definitam, Catholicorum denique omnium uſibus conſecratam. Et hæc tamen, hæc, inquam, Paulum Samoſatenum profeſſum Trinitatis hoſtem, authorem habuit; a quo primùm in ſenſum hæreticum, ab Antiochenæ Synodi Patribus damnatum, uſurpata eſt, antequam legitimo ſenſui reddita, in fidei Formulam transferretur. Qua de re legendi veniunt S. Athanaſius, & S. Hilarius in ſuis *libris de Synodis*, ac poſt ipſos Card. Baronius *in Annalibus ad annum* 272. num. 13. An ergo *Conſubſtantialis* vocem, ſuſpectam, malique ominis dixerit Daniel, quòd hæc impio ſenſu accepta Paulum Samoſatenum authorem habuerit? Aut etiam Nicænæ Synodi Patribus ſuccenſebit, quòd eam, nihil infauſtam originem veriti, catholicæ profeſſionis notam eſſe voluerint, certamque ſancitæ fidei teſſeram conſecrarint?

Haud mitiori virga excipiendum, quod adjicit Molinianus Diſputator: Calvinum, errorem ſuum ea loquendi formula concluſiſſe, eamque reipſa errori ſignificando ſummè congruere. Longè aliter Tridentinis Patribus viſum, qui cùm novorum Reformatorum errores, ſuis ipſorum verbis, quantùm fieri potuit, expreſſos, damnandos aggreſſi ſint, gratiæ ſe ipſa efficacis innoxio nomini pepercere; hocque duntaxat altero errorem concludi declararunt: *Liberum Arbitrium motum, & excitatum a Deo non poſſe diſſentire, ſi velit*. Nempè intacto principio, conſecutionem a Calvino deductam anathemate petierunt, qua libertatis excidium ex efficaci per ſemetipſam gratia colligebat.

Certè ſive gratiam *ſe ipſa*, ſive *ſe ſola* efficacem dicamus, eandem tenemus loquendi formulam: imò longè majus poſtremæ hujuſce locutionis pondus videri poteſt. Et tamen gratiam ſe ſola efficacem ſi quis fortè dixerit, dicti vim ex Patribus, atque Conciliis mutuabitur. Quartæ quippè Synodi Toletanæ, ac ſubindè Conſtantienſis Concilii Patres, in Oratione ſingulis Seſſionibus præmitti ſolita, *Junge nos*, inquiunt, *tibi efficaciter ſolius tuæ gratiæ dono*. S. Auguſtinus *lib. de Gratia, & Libero Arbit. cap.* 5. *Ut Pau-*

Paulus de cœlo vocaretur, & tam magna, & efficacissima vocatione converteretur, gratia Dei erat sola. S. Prosper *in carmine contra ingratos cap.* 14.

Ut tamen his studiis auditor promoveatur,
Non Doctor, neque discipulus, sed gratia sola efficit.

Et *capite* 15.

Nec quod sola potest, curà, officioque ministri exequitur.

Quanquam quid juvat syllabarum numeros cavillari? Si Patres vocemus in censum, qui divinæ gratiæ vim, & efficaciam commendarunt, graviores longè dicendi modos observabimus, quàm qui nudo gratiæ *se ipsa efficacis* vocabulo continetur. Augustinus *invictissimam, fortissimam, omnipotentissimam gratiam* vocat: *insuperabilis fortitudinis, ineffabilis potestatis, magnæ, & efficacissimæ vocationis, occultissimæ, & potentissimæ potestatis*; qua liberum hominis arbitrium *indeclinabiliter, & insuperabiliter agitur*. Tertullianus *lib. de Anima* cap. 21. gratiam *naturà potentiorem* appellat, *quæ habet in nobis subjacentem sibi liberam arbitrii potestatem*. Origenes Homilia 20. *in Numeros*, Gratiam, quæ *quodammodò vim nobis facit, ut nos pertrahat ad salutem*. Basilius *libro de Spiritu Sancto cap.* 8. *Auxilium, quod per imperium suæ potentiæ operatur in nobis*. Et *Homil.* 31. *de Libero Arbitrio*, gratiam *insuperabilis potentiæ*. Athanasius *Oratione* 4. *adversùs Arianos*, *firmam, & inademtibilem gratiam*. Cyrillus Alexandrinus *lib.* 5. *Commentariorum in Isaiam*, vocationem, quæ electorum animas *tanquam irretitas, & illaqueatas teneat*. Quibus quidem loquendi formulis, gratiæ energiam luculentiùs commendarunt, quàm si se ipsa efficacem simpliciter nuncupassent.

XVII.

LIBELLI SUMMA.

(*Pag.* 75. 76. 77.) Spondet nuspiam, aut sacris in Literis, aut Ecclesiæ sanctionibus, aut Divi Augustini codicibus inventum iri gratiæ se ipsa efficacis definitionem; seu distinctis omninò verbis, seu aliis idem pari vi, atque virtute significantibus. Eam porrò ita bis, terque definit: *quæ a se ipsa, ac suapte natura, quacumque ad alterum relatione posthabita, certam, ac falli nesciam cum voluntatis assensu connexionem habet*.

ANI-

ANIMADVERSIO.

Errat toto oſtio vir Molinianus, dum gratiam ſe ipſa efficacem ab ſuis defenſoribus ita definitam oſtendit, ut ſua illi vis inſit ſuapte natura, *quacumque ad alterum relatione poſthabita*. Quanquam enim ſuam illi vim ineſſe contendant, ſuapte natura, omni vel ad bonum libertatis uſum, vel ad conſenſionem voluntatis, vel ad congruentes circumſtantias, vel demùm ad Scientiæ Mediæ directionem relatione ſepoſita; minimè tamen ejuſdem gratiæ ad omnipotentiam Dei, decretumque, relationem poſthabitam volunt; ſed hanc maximè illius definitione contineri contendunt. Cùm enim efficaciam illam obtineat, quatenus divinæ omnipotentiæ, divinique propoſiti inſtrumentum eſt, eaque ſit divini inſtrumenti conditio, ut tota illi a cauſſa principe virtus inſit, intimam ad divinam omnipotentiam, decretumque relationem importat. Ita ſapientiſſimus Lemos *To.* 4. *Panopliæ lib.* 4. *part.* 2. *tract.* 4. *cap.* 13. *Divina motio nihil ex ſe, ſeu ex natura ſua habet, niſi quod a Deo movente participat. Unde idem eſt, quod divina motio ex ſe, ſeu ex natura ſua efficax ſit, & quod, ut venit a Deo, & ejus, efficaci voluntate, efficax ſit*. Imò ſi quis efficaciam ex ſe, & ex natura ſua ita velit interpretari, ut divinam omnipotentiam, decretumque, unde originem ducit, ſecluſum velit, gratiam ex ſe, & ex natura ſua efficacem vocandam omnino negat. *Aliud eſt enim*, inquit; *quod in ſe efficaciam habeat, quod negari nequit, aliud valdè diverſum, quod ex ſe illam habeat .... Omnis enim in univerſum actio, & motio agentis cujuſcumque; & ſimiliter omne inſtrumentum in ſe virtutem habet datam ab agente, qua proinde ipſum agens agit. At illam virtutem ex ſe inſtrumentum, motio, vel actio non habet, ſed ex agente, & movente illam participat. Quia quidquid inſtrumentum habet in ratione formali inſtrumenti, ex cauſſa principali habet, non ex ſe, ut eſt ſatis notum. Et ſimiliter quidquid habet virtutis actio, ſeu motio, non ex ſe habet; ſed ex agente, & movente; ac proindè quidquid virtutis, energiæ, & efficaciæ habet auxilium gratiæ efficax, non ex ſe habet, ſed ex Deo ipſo, & ex efficacia voluntatis divinæ*. Idem habet Didacus Alvarez alter efficacis gratiæ vindex, in celeberrimis Auxiliorum Congregationibus, *Diſput.* 90. *num.* 4. Cùm dicitur auxilium gratiæ efficax ex ſe, prout venit a Deo, *illa particula*, ex ſe, *poteſt accipi dupliciter: primò ut præſcindit a Decreto abſoluto, & efficaci Dei volentis, ut homo hic, & nunc convertatur, vel piè operetur: & in hoc ſenſu nullus Catholicus dixit auxilium gratiæ eſſe efficax ſecundùm ſe, vel ex ſeipſo: nam lumine natu-*

ræ est per se notum, nihil fieri in rerum natura, nisi Deo volente, aut permittente, cùm per intellectum, & voluntatem ipse sit caussa omnium, quæ quomodolibet habent esse, ut Disp. 26. ostensum est. Secundo modo potest auxilium gratiæ dici efficax ex se, ita ut particula ex se, *vel* secundùm se, *importet independentiam a libera cooperatione nostri arbitrii. Itaque idem est dicere, auxilium gratiæ esse efficax secundùm se, vel ex seipso, ac si diceretur esse efficax antecedenter, & independenter a libera cooperatione nostri arbitrii : Et in hoc sensu intelligunt prædictam propositionem ejus assertores, in quo etiam verissima est.*

Ut itaque ex sacris Literis, Ecclesiæ sanctionibus, ac Divi Augustini codicibus, gratiæ se ipsa efficacis, qualem propugnat Schola Thomistica, definitionem quis eruat seu distinctis omninò verbis, seu aliis idem pari vi, atque virtute significantibus, satis superque est, si talem ex iis fontibus gratiam ostendat, quæ intimam, & cum voluntatis assensu certò conjunctam efficaciam habeat a se ipsa, hoc est, a summa Dei in voluntates hominum potestate, divinoque decreto se ipso efficaci, cujus hæc ipsa instrumentum est. Sic sanè Clementi VIII. persuasum, qui gratiam se ipsa efficacem celeberrimo scripto probaturus, id articulo 5. demonstrandum aggressus est : *Hæc gratia habet efficaciam ab omnipotentia Dei, & a dominio, quod summa divina majestas habet in voluntates hominum, sicut in cætera omnia, quæ sub cœlo sunt.* Persuasum, & id publicis Societatis actoribus, qui habita cum doctissimis Italiæ, Galliæ, Hispaniæ, Flandriæ, Germaniæ Sociis collatione, illum maximè Pontificii scripti articulum impugnandum susceperunt, *Congregatione* 2. sub Paulo V. celebrata, quòd rei summam eo capite verti certò scirent. (*Hist. de Auxil. lib.* 4. *cap.* 8.)

An itaque hujus generis gratia, ex sacris Literis, Ecclesiæ decretis, ac Divi Augustini scriptis erui possit, in sequentibus expendendum. Unum interim, alterumque Doctoris Angelici locum ad promulsidem dabo, ubi certam, ac falli nesciam efficacis gratiæ cum effectu connexionem, ex una divinæ voluntatis omnipotentia derivat. Ita 1. 2. *quæst.* 112. *art.* 3. *Si præparatio ad gratiam consideretur secundùm quod est a Deo movente, & tunc habet necessitatem ad id, ad quod ordinatur a Deo, non quidem coactionis, sed infallibilitatis .... Unde si ex intentione Dei moventis est, quod homo, cujus cor movet, gratiam consequatur, infallibiliter ipsam consequitur.* Et *quæst.* 6. *de malo articulo* 2. *ad* 3. *Deus movet voluntatem immutabiliter, propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non potest.* Viden', ut intimam gratiæ cum effectu conjunctionem, non aliunde quàm ex divinæ voluntatis imperio, decretoque derivat?

XVIII.

XVIII.

LIBELLI SUMMA.

(*Pag.* 79. 80.) Gratiam congruam eo principio sacris Literis exarato niti monet: Deo scilicet scientiam inesse futurorum liberorum, quæ conditione suspensa sunt: Exempli caussa, futuræ Tyriorum, & Sidoniorum conversionis, si ea sub illorum oculis miracula ederentur, quæ Corrozaitis, & Bethsaitis spectantibus acta sunt. Eo quippe constituto principio, consequens esse ait, posse Deum conversionem hominum certò decernere, gratia se ipsa efficaci penitùs ablegata.

ANIMADVERSIO.

Prodigio simile est, Molinianæ Scholæ Professorem emeritum ignorare, quæ prima, lactis instar, tyronibus instillantur: Gratiam congruam non qualicumque futurorum liberorum, quæ conditione suspensa sunt, notitia niti; sed ea, quæ divino decreto prævia sit. Est etenim Scientia Media, quam ex nomine appellare refugit Daniel, *scientia futurorum conditionatorum ante decretum*. Neque eam alia de caussa, Deo optimo maximo, in condendis decretis prælucere putant Moliniani, quàm quia decreto præviam arbitrantur. Nec imprudenter. Ecquo enim pacto condendis decretis præluceret ea cognitio, nisi prævia fingeretur? Tota eo cardine volvitur Thomistas inter, ac Molinianos celeberrima controversia, in id tota devolvitur disputatio. Quin certò futura illa noscantur, nemo nostrum ivit inficias; verùm quo medio, quove pacto ea sciri contingat, magna lis est, in qua pro sententiarum varietate, gratiæ congruæ fundamenta, vel ponuntur, vel suffodiuntur. Si etenim, quod Thomistæ contendunt, veritatem habet: ea nempe futura illo ipso decreto sciri, quo prædefiniuntur a Deo, vacat omnis gratiæ congruæ locus, cujus largitio ex Scientiæ Mediæ directione necessariò pendet. Si e contrario, quod Molinianis arridet, ante decretum sciuntur a Deo, non omninò gratia congrua repugnabit.

Quis itaque Molinianum Tractatorem non rideat, qui gratiæ suæ congruæ fundamenta jacturus, solam nobis futurorum, quæ conditione suspensa sunt, cognitionem occentat; num autem decretum Dei, cognitio illa prævertat, quo cardine volvitur gratia congrua, ne verbo quidem attingit? Hoc illi, hoc præ cæteris fuerat demonstrandum: Hoc opus, hic labor erat. Quod ut non egit, tota ab imo ruit superstructa gratiæ congruæ ma-

machina, fluxo, ac labili, imò nullo planè fundamento nixa, uti secutis Animadversionibus planum fiet.

XIX.

LIBELLI SUMMA.

(*A pag.* 81. *ad* 84.) Sacra Proverbiorum, Estheris, Paralipomenon, Isaiæ, & Ezechielis oracula, queis Deus cor Regis manu tenere dicitur, ut ad quodcumque voluerit, vertat illud; potentum corda transferre; facere ut in mandatis ambulent; auferre cor lapideum, & dare cor carneum; ita demùm aurem aperire, ut contradicat nemo: Hæc inquam oracula, ab gratiæ se ipsa efficacis defensoribus laudari solita, hoc expedito, ut arbitratur, responso declinat: Nempe gratiâ se ipsa efficaci penitùs ablegata, Deum hæc omnia certò præstare; quia sua illa futurorum conditione pendentium cognitione, sacris Literis exarata certissimè novit, quid quisque hac, vel illa gratia excitatus acturus esset. Quo semel explorato, suam cuique congruentem gratiam impartitur, ut quod ex conditione futurum ante præviderat, certò contingat.

ANIMADVERSIO.

(*Lege Animadv.* 32., & 33.) Lepidè narrat Fabulator. Verùm si quæ sacris Literis legitur futurorum certa notitia, decreto duntaxat prædefiniente subnixa est: si nihil etiam conditione pendulum prævidetur a Deo, quod non fuerit in antecessum æterno decreto sancitum: si homines nudis excitationibus invitatos nunquam pœnitentiam acturos prænoscit, nisi gratiâ se ipsâ victrici in eis operetur, ut agant: si nullum, nisi quem dare constituit, consensum explorat: si futura conditionibus illigata, nonnisi prædestinando cognoscit: quò demùm abibit gratiarum congruentium commentitia largitio? An-non, amabò, ad gratiam se ipsa efficacem, æterni decreti certissimum instrumentum confugiendum, ut, quæ Deus sacris Scripturarum oraculis adpromisit, certò contingant? Vanam igitur operam locat fervidus Actor, qui nuda in Deo futurorum cognitione posita, cæteris verò, quibus gratiæ congruæ moles incumbit, silentio missis, Scholæ suæ systema fabricatur. Qualemcumque enim futurorum, quæ liberis conditionibus pendent, cognitionem Deo vindicet, nisi hanc edendo decreto præviam, ac prælucentem ostenderit, litus arat.

XX.

XX.

LIBELLI SUMMA.

(*Pag.* 85.86.87.) Mardochæi dictum (*Esth.cap.*13.) *Domine, in ditione tua cuncta sunt posita, & non est, qui possit tuæ resistere voluntati, si decreveris salvare Israel .... Dominus omnium es, nec est, qui resistat majestati tuæ* : alterumque *Isaiæ cap.* 14. *Dominus exercituum decrevit, & quis poterit infirmare?* ab erudito, ut vocat, Thomista (*P. Serry adversus Launojum.*) in gratiæ se ipsa efficacis probationem nuper adducta, nimis probare inquit, aut certè nihil. Nimis, quia inde consequens esset, efficaci gratiæ resisti non posse, quod Synodus Tridentina damnavit : Nihil, quia de gratia iis in locis sermo non est, sed de salute temporali Judæis conferenda, Amane nequicquam in oppositum obnitente; necnon de inevitabili Assyriorum exitio, a Deo exercituum inferendo.

ANIMADVERSIO.

Quod me, bina Danielis Epistola, ludibriis dehonestatum non ita pridem, futilibusque erroris accusationibus appetitum, (*Pag.* 111.) *eruditum* modò *Thomistam*, ac etiam *celebrem Dominicanum*, ab eodem videam appellari, non ideo mente efferor, sed illud Augustini repono : *sic audire debeo contumelias tuas, quomodo laudes tuas, lib.* 3. *Operis imperfecti contra Julianum cap.* 10. At interim dum laudat, imponit. Non enim ea Scripturæ oracula usurpavi, ut gratiam se ipsa efficacem simpliciter demonstrarem, cui id unum consilii fuit, palam ostendere, Augustini loquendi formulam, ab Launojo erroris insimulatam (*ut divinâ gratiâ indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur*) Scripturæ phrasibus planè congruere, quæ absolutam Dei voluntatem efficacissimam, & insuperabilem probant. Quapropter quo fine, consilioque ea Scripturarum oracula laudáta sunt, non ultrà probant, quàm veritas habeat, sed quod instituto maximè congruebat : quodam videlicet sensu, efficaci gratiæ, ex Scripturæ phrasi, non posse resisti : adeòque Augustinum perperam ab Launojo censurà notari, quòd gratiam efficacem indeclinabilem, & insuperabilem dixerit. Quod enim Catholicum interpretamentum Scriptura patitur, patietur, & Augustinus.

Quamquàm quid vetat, oracula hæc ad gratiam se ipsa efficacem ex sacris Literis simpliciter demonstrandam, a Theologis usurpari? Siquidem, quæ ex iis, Daniele judice, elicitur consecutio, *igitur*

igitur gratiæ efficaci resisti non poterit, de potentia actui conjuncta, quam consequentem Scholæ proceres vocant, accipi debet. Qui verus gratiæ suapte natura efficacis character est.

Nugacis porrò Cavillatoris est, hæc ipsa oracula eludere velle, quòd illic non de gratia, sed de temporali Judæorum salute, & Assyriorum excidio sermo sit. Nemo quippe non videt, hæc generatim, & universim de Dei in decernendo quæcumque libuerit, ineluctabili potestate dicta esse, tametsi privato illic instituto accommodentur. Theologisque idcircò liberum esse, ex generali principio argumentum mutuari, quo Dei, quocumque seu naturæ, seu gratiæ ordine, indeclinabilem, & insuperabilem potestatem evincant.

Certè Augustinus non absimilia Scripturæ oracula, gratiæ, quod versat instituto accommodat: & quam Deus in rebus civilibus dirigendis, ac decernendis, supremam potestatem exercet, in salutis quoque negotio procurando, cordibusque ad Christianæ pietatis opera permovendis exercere potiori jure contendit. Sic *cap. 14. libri de Correptione, & Gratia*, cùm gravem sententiam statuisset: *Deo volenti salvum facere, nullum hominis resistit arbitrium. Sic enim velle, seu nolle in volentis, aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem*: hanc quæsitis ex Libris Regum, & Paralipomenon exemplis probandam aggredior. *Non est itaque dubitandum, voluntati Dei, qui* in cœlo, & in terra omnia quæcumque voluit, fecit, *& qui etiam illa*, quæ futura sunt, fecit, *humanas voluntates non posse resistere, quominùs faciat ipse, quod vult: quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, cùm vult, facit. Nisi fortè (ut ex multis aliqua commemorem) quando Deus voluit Sauli regnum dare, sic erat in potestate Israelitarum subdere se memorato viro, sive non subdere, quod utique in eorum erat positum voluntate, ut etiam Deo valerent resistere. Qui tamen hoc non fecit, nisi per ipsorum hominum voluntates, sine dubio habens humanorum cordium, quò placeret inclinandorum, omnipotentissimam potestatem. Sic enim scriptum est*: Et dimisit Samuel populum, *&c.* Quibus fusiùs enarratis ad gratiæ institutum sermonem convertit sanctissimus Doctor, elicitque conclusionem a minori ad majus. *Si ergo, cùm voluerit Reges in terra Deus constituere, magis habet in potestate sua voluntates hominum, quàm ipsi suas; quis alius facit, ut salubris sit correptio, & fiat in correpti corde correctio, ut cœlesti constituatur in regno?* Quis itaque mihi jure succenseat, si Augustini vindicias adornans, ejusdem disputandi rationem, ac methodum usurparim: ejusque exemplo, quæ de summa Dei, in rebus civilibus ad exitum, ut libuerit, ineluctabiliter perducendis, potestate Scriptura commemorat, ad gratiæ ordinem potiori jure retulerim?

Mi-

Miram hanc in eludendis hisce Scripturarum oraculis subtilitatem a Semipelagianis mutuatus est Daniel. Cùm enim supra laudatis exemplis ab Augustino premerentur, hæc ab instituto longè distare, atque ad rerum civilium, non ad gratiæ ordinem pertinere, non secùs ac Daniel, reponebant. Testis mihi sit Augustinus ipse *lib. de Prædestinatione Sanctorum cap. 20. Frustra itaque*, inquit, *etiam illud, quod Regnorum, & Paralipomenon Scriptura teste probavimus, cùm Deus vult fieri, quod nonnisi volentibus hominibus oportet fieri, inclinari eorum corda, ut hoc velint, eo scilicet inclinante, qui in nobis mirabili modo, & ineffabili operatur, & velle, ad caussam, de qua disserimus, non pertinere dixerunt*. Quos subinde ita refellit. *An fortè quia ostendimus hoc Deum egisse in cordibus hominum, & ad hoc perduxisse, quorum ei placuit, voluntates, ut Rex constitueretur Saul, sive David; ideo hæc exempla caussæ huic convenire non putant, quoniam non hoc est temporaliter regnare in hoc sæculo, quod est in æternum regnare cum Deo; ac per hoc existimant ad regna terrena facienda Deum inclinare, ad regnum verò cœleste obtinendum, Deum non inclinare, quorum voluerit, voluntates? Sed puto propter regnum cœlorum, non propter regnum terrenum esse dictum :* Inclina cor meum in testimonia tua, *&c.*

Pari jure quæsierim ego, an fortè Danieli placet, ut Deus naturæ Rector, & Conditor universa ditione suâ contineat, omniumque Dominus censeatur : idem tamen gratiæ Author, atque Largitor suprema authoritate, ac ditione devolvatur? Id si velit, haud ita morosus ero, quin alia iisdem fermè verbis concepta oracula subjiciam, quæ de Deo gratiæ Largitore dicta, diffiteri non poterit. *Ad Romanos* 9. v. 19. *Voluntati ejus quis resistit? Danielis* 4. v. 32. *Juxta voluntatem suam facit, tam in virtutibus cœli, quàm in habitatoribus terræ : & non est, qui resistat manui ejus. Sapientiæ* 11. *Virtuti brachii tui quis resistet?*

XXI.

LIBELLI SUMMA.

(*A pag.* 87. *ad* 92.) Paucas ex multis Scripturæ sententias colligit, Christianæ pietatis opera divinæ gratiæ tribuentes. Iis Pelagianos, non Molinianos peti contendit. Editaque Scholæ suæ professione, nihil a suis doceri ait, quod cum iis oraculis non optimè congruat.

ANI-

ANIMADVERSIO.

Num ea potissima sint Scholæ Thomisticæ fundamenta, numvè ex iis Scripturæ locis gratiam se ipsa efficacem proximè eliciant, non expendo. Molinianæ duntaxat Scholæ professionem, quam nobis pompatico sermone ostentat Daniel, penitiùs recognoscam; an fortè experiri hic quoque liceat, quod de Pelagianæ doctrinæ professione monuit Augustinus *lib. de Gratia Christi cap. 2. Quisquis hæc audit, & sensum ejus ignorat .... omninò eum putat hoc sentire, quod veritas habet. Quisquis autem, quid in eis apertiùs dicat, advertit, debet habere etiam ista verba suspecta.*

Docent, inquit ille, *gratiæ se ipsa victricis impugnatores, Deum operari in nobis velle, quia bonam voluntatem producit in nobis per gratiam prævenientem, qua nobis bonum inspirat, atque, ut illud agamus, certò operatur, dum illud a nobis fieri efficaciter vult.*

(*Vide Animadv. 26.*) Hæc primo conspectu sani coloris videri queunt: At si quis advertat, Semipelagianos, aut omnes, aut certè partem illorum alteram, ex celeberrimorum Theologorum sententia, gratiam quoque prævenientem, & interiorem non refugisse, quæ bonæ voluntatis initia inspiraret: nec alia de caussa initium fidei humanis conatibus tribuisse, quàm quòd suam illam prævenientem gratiam, versatilem, & ex humanæ voluntatis nutibus quoad effectum pendulam effutirent: facilè deprehendet, non omnem illicò suspicionem amoveri, quòd gratia præveniens grandioribus tibiis decantetur.

Exemplo nobis sit Augustinus, quem Semipelagiano circa initium salutis, & fidei errore, usque ad suscepti Pontificatus initia laborasse, nemo nescit. Is enim *lib.* 83. *Quæstionum*, quem eo etiamnùm errore detentus elaboravit, ita initium salutis, & fidei nativis viribus tribuebat, ut suo quoque modo Deum internis etiam gratiis operari in nobis velle, fateretur. *Parum est velle*, inquiebat quæst. *68. nisi Deus misereatur; sed Deus non miseretur, qui ad pacem vocat, nisi voluntas præcesserit, quia in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et quoniam nec velle quisquam potest, nisi admonitus, & vocatus,* SIVE INTRINSECUS, UBI NULLUS HOMINUM VIDET, *sive extrinsecus per sermonem sonantem, aut per aliqua signa visibilia; efficitur, ut etiam ipsum velle Deus operetur in nobis. Ad illam enim Cœnam, quam Dominus dedit in Evangelio præparatam, nec omnes, qui vocati sunt, venire voluerunt; neque illi, qui venerunt, venire possent, nisi vocarentur. Itaque nec illi debent sibi tribuere qui vene-*

venerunt; quia vocati venerunt: nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantùm sibi; quoniam, ut venirent, vocati erant in libera voluntate. Vocatio ergo ante meritum voluntatem operatur.

Nec refert quòd Deum sua illa præveniente gratia operari certò dicant Moliniani, ut bonum agamus, dum illud a nobis fieri efficaciter vult. Quis enim nesciat totum id de certitudine præscientiæ intelligendum, qua (ut illi quidem autumant) certò novit, quid quisque nostrum pro sua innata libertate facturus esset; nec non etiam de conditionata voluntatis efficacia, si nimirùm ipsimet pro nostra in antecessum libertate velimus? Audi Molinam 1. *part. quæst.* 19. *art.* 6. *disput.* 2. *Altero modo dicitur Deus velle aliquid, dependenter quidem ab arbitrio creato, qua liberum est, atque adeò sub conditione, si creatum arbitrium id etiam velit, at ea ratione absolutè, quòd cùm prævideat per arbitrium ipsum liberè futurum, ex hypothesi, quòd eum ordinem rerum velit creare, quem re ipsa creare constituit, ei placet, absolutaque jam voluntate vult, ut fit, quod ita liberè futurum est, potestque non esse. Hac ratione Deus Optimus Maximus vult omnia bona, quæ per arbitrium nostrum sunt futura non solùm voluntate conditionali, si nos quoque ea velimus; sed etiam voluntate absoluta, quatenùs ipsi prævidenti ea futura placent, eademque divina ejus, ac singularis bonitas per arbitrium nostrum intendit, ac vult. Quòd autem hæc etiam absoluta Dei voluntas semper impleatur, ex eo est manifestum, quia nititur certitudini præscientiæ divinæ, quòd ita res futura sit per nostrum arbitrium, consequiturque in Deo eandem præscientiam.*

Et *quæst.* 22. *art.* 4. *Omnia, quæ ab arbitrio creato pendent, sub quibus beatitudinem etiam, & merita comprehendimus, solùm voluit Deus voluntate conditionata, si scilicet Homines, & Angeli idem quoque vellent.*

Quæst. 23. *art.* 4., & 5. *disp.* 1. *mem.* 11. *Cùm ergo, quòd Deus de utroque non idem, sed contraria præsciverit, dependens fuit ex eo, quod uterque eorum pro sua libertate erat facturus, qui si vellent, possent reipsa, quod fecerunt, non facere, fit, ut quòd decreta illa rationesve providendi, vel prædestinationis rationem habuerint solùm, vel providentiæ circa vitam æternam, dependens fuerit tanquam a conditione sine qua non ex eo, quod unusquisque eorum pro sua innata libertate erat facturus. Quod Deus ideo altitudine sui intellectus prævidit futurum, quia pro eorum libertate ita erat futurum, & non e contrario.*

Et in *Concordia quæst.* 14. *art.* 13. *disp.* 32. *Deus opera nostra bona moralia, quæ a cooperatione libera arbitrii nostri, & non a*

solo concursu Dei generali pendent ut existant, vult in primis voluntate conditionata, si, & nos pro nostra libertate ea velimus; eo pacto, quo vult omnes homines salvos fieri, si & ipsi velint. Praevidens verò, quæ eorum pro nostra libertate sint futura, complacet in illis, vultque absoluta voluntate, ut sint.

Molinæ succinit Suarez *lib.1. Opusculorum cap.3. Non oportet,* inquit, *ut Deus absoluta, & efficaci voluntate velit, nostram voluntatem agere, ad hoc, quod ipsa agat; sed satis est, quod eam agere permittat, aut sinat, atque adeò, ut velit eam agere non simpliciter, sed subintellecta conditione, si ipsa velit.* Dictum benè! *si ipsa velit,* Deo non agente; ut velit, sed sinente duntaxat, ac permittente.

Pergit Molinianæ doctrinæ Defensor: *Docent*: inquit, *gratiæ se ipsa efficacis oppugnatores, operari Deum in nobis boni operis perfectionem; quia nedum nobis bonum inspirat, faciendique voluntatem in nobis, atque nobiscum operatur, verùm etiam, ut perficiamus adjuvat gratiâ suâ.*

Qua gratia adjuvat voluntatem? Novane, ac peculiari, quæ a præveniente distincta sit? *Non video,* inquit Molina in *Concordia. disp.37. præter auxilium particulare gratiæ prævenientis, & concursum Dei generalem, necessarium esse auxilium aliud particulare gratiæ, ut liberum arbitrium, aliquem illorum actuum* (credendi scilicet, sperandi, diligendi & pœnitendi) *possit elicere .... Quare esto Deus quodcumque aliud particulare auxilium denegaret, ex illis solis sequeretur effectus.* Imò Theologiæ Molinianæ principium est, gratiam adjuvantem, & cooperantem solo nomine a præveniente distingui, nil novi, quod a Deo sit, superaddere; sed ob unam liberi arbitrii consensionem eo titulo cohonestari. *Illa eadem gratia,* subjungit Molina §. Deinde, *quæ liberum arbitrium prævenit, ac excitat ad actus, quibus se ad justificationem disponit, dicitur cooperans, si arbitrium cum ea consentiat, atque simul pro sua libertate influat .... Non sunt ergo distinctæ gratiæ, præveniens, & cooperans, atque adjuvans, sed una, & eadem, quæ spectata antequam liberum arbitrium cum ea cooperetur, eliciatque actum liberum, per quem ad justificationem disponitur, dicitur præveniens: spectata verò prout cooperante jam cum illa libero arbitrio, ipsa etiam cooperatur, & influit in eundem actum, dicitur cooperans, & adjuvans.* Quibus similia habet *disp.38. §. ex dictis,* & §. *quarto.* An-non igitur ollas ostentat Molinianus Actor, ac vani nominis umbram jactat, dum suam illam cooperantem, & adjuvantem gratiam nobis obtrudit, quæ nihil libero arbitrio virium addat, nil novi, quod a Deo sit, præ se ferat?

Stat nihilominùs in incœpto, suamque illi alio ex capite advocatio-

cationem accommodat. *Docent*, inquit, *Dei opus esse, ut credamus in eum. Quia juxta ipsos Deus ipse est, qui fidem inspirat, ac etiam desiderium fidei, idque planè gratuitò: nobisque ad id misericordia sua gratiam præparat, qua nos certò credere facit, dum efficaciter vult, ut credamus.*

Quem sensum habeat tertium illud Molinianæ professionis caput, ex dictis compertum arbitror, dum de primo capite ageremus. Addiderim pugnare aliunde cum Molinæ principiis. In primis enim externa duntaxat adjumenta, gratiamque forinsecùs insonantem necessariam autumat, ut quis absolutè, & simpliciter credat, quamquam non, ut ad salutem oportet. *In Concordia disp.7. Propositis, & explicatis iis, quæ credenda sunt, adhibitis insuper argumentis, quæ afferri solent, ut homines meritò sibi persuadeant, ea revelata esse a Deo, & jussa credi, & denique accedente externa vocatione ad fidem, per Concionatores, aliosque Ecclesiæ Ministros, in facultate liberi arbitrii est, cum solo concursu generali Dei, rebus propositis assentiri tanquam a Deo revelatis, actu tamen, qui sit merè naturalis, quique ex parte intellectus non sit satis ad justificationem.*

Secundò, desiderium fidei, primosque ad eam impetrandam conatus, dispositiones, ac motus nudis naturæ viribus adscribit, *disp.9.* Cùm quis *edoctus fuerit, supernaturalem assensum esse ad salutem necessarium, ex solis suis naturalibus optet ita credere, aut etiam conetur ex dono, & auxilio Dei supernaturali assentiri. Denique auxilium illud sibi donari petat, aut ad illud recipiendum satagat se disponere.* Et *disp.43. Patet liberum arbitrium posse illos* (motus gratiæ prævenientis) *desiderare, & petere a Deo, & quodammodo se ipsum aptare, & disponere, ut juxta communem cursum, ac ordinem divinæ providentiæ faciliùs sibi a Deo donentur.*

Tertiò, prævenientem gratiam gratuitâ misericordiâ conferri, eo duntaxat sensu contendit, quod nullum eam meritum antevertat, non quòd nulla eam dispositio, conatus, desiderium antecedat. Quod nedum laudatis modò testimoniis liquet, verùm etiam *disp.11.* ubi peccato infidelitatis teneri docet illos ipsos, quos præveniens gratia non tangit, si fortè Evangelio obluctentur, nec viribus suis naturalibus adnitantur; *quia Deus suo auxilio, & gratia præstò est, ad præveniendum in eodem instanti, quoscumque præviderit, ex suis naturalibus ad assensum conaturos.* Cujus quidem doctrinæ summam probat Franciscus Suarez *lib. 3. Opusculorum cap. 2. num. 6.* tametsi verbis paulò mitioribus, quæque minùs invidiæ pateant, declarari velit. *Non omittam*, inquit, *hoc loco advertere, quosdam Scholasticos, Doctores non ignobiles, aut recentiores tantùm, sed etiam graves, & antiquos docuisse, posse*

 homi-

hominem per vires naturæ aliquid efficere, quo primum gratiæ auxilium, seu primam vocationem obtineat, atque ita exposuisse illud : facienti, quod in se est, Deus non denegat gratiam, *de illo, qui per vires liberi arbitrii, quod in se est, facit. Sed horum Theologorum sententia piè explicanda est, & non statim cum Semipelagianorum errore involvenda : habet enim Catholicum sensum, quamvis fortasse commodiùs, magisque sine occasione, aut vestigio suspicionis, posset aliis verbis declarari. Studuerunt ergo hi Doctores Catholici, ut sufficientiam, & necessitatem gratiæ declararent, invenire modum, quo sit in potestate hominis habere illam, etiam quoad primum auxilium; quia alioquì non apparet, quomodo sit in potestate illius salutem obtinere, si non est in potestate illius eam inchoare.*

Iis verò naturæ conatibus, sin minùs ex operum merito, saltem ex lege, & pacto, gratiam prævenientem debitam esse, comminiscitur Ludovicus Molina *disp.* 10. *Quotiescumque liberum arbitrium ex suis viribus naturalibus conatur, præstòve est ad conandum totum id, quod ex sese potest, tam circa ea, quæ fides habet addiscenda, & amplectenda, quàm circa dolorem de peccatis, ac justificationem, a Deo confertur gratia præveniens, auxiliave, quibus id faciat, ut ad salutem oportet.* Et *disput.* 10. num. 1. *Inter leges, quas tam ipse* Christus, *quàm Pater æternus statuerunt de auxiliis, & donis, quæ nobis Christus promeruit, merè gratis conferendis, una, eaque rationi maximè consentanea fuit, ut quoties ex nostris viribus naturalibus conaremur facere, quod in nobis est, præstò nobis essent auxilia gratiæ, quibus ea, ut oportet, ad salutem efficeremus.* Cui calculum adjicit Suarez loco paulò antè laudato §. *Hinc verò*, nullo medio interjecto. *Hinc verò ulteriùs fit, quòd si homo habens solùm naturale lumen rationis, ita se gereret, ut nullum novum impedimentum gratiæ adhiberet, infallibiliter opportuno tempore auxilium, vel vocationem gratiæ reciperet, non ex suo merito, sed ex generali illa liberalitate Dei, qua stat ad omnium ostium, & pulsat. In hoc ergo sensu dixerunt illi Authores*, facienti, quod in se est, Deum non denegare gratiam : *& clariùs diceretur, non ponenti obicem, & impedimentum per id, quod ex se facere potest, Deum ex sua liberalitate dare gratiam, quam homo promereri non potest.* Ita Suarez, cui non satis advertere libuit, quod habet Doctor Angelicus *lib.* 3. *contra Gentes cap.* 160. *Illi, qui in peccato sunt, vitare non possunt per propriam potestatem, quin impedimentum gratiæ præstent, vel ponant, nisi auxilio gratiæ præveniantur.* Quare totam illam lascivientis ingenii fœturam, Suaresii judicio contemto, *cum Semipelagianorum errore involvit* Clerus Gallicanus, in celebri Censura,

ra lata in Comitiis generalibus anno 1700. cujus fragmentum repræsentavimus in Additis ad Historiam nostram *pag.* 25.

Cætera Molinianæ professionis capita, a Daniele ambitiosiùs elata, ex dictis interpretationem accipiunt, ne quem fortè specioso fuco deludant. *Docent*, pergit ille, *nihil nos sine Deo facere posse*, *quia omnem actum supernaturalem gratiæ*, *Dei effectum esse profitentur* : *Aliàs ne minimum quidem pietatis actum edi posse contendunt*. Speciosum id quidem : verùm, quam illi gratiam velint, quibusve illam conditionibus illigent, dedimus manifestum.

Inquiunt, subjungit, *cum D. Paulo*, *neminem posse dicere*, Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto. *Ac quemadmodum cum Tridentina Synodo profitentur*, *neminem sive fidei professione*, *sive peccati detestatione in Deum posse converti*, *nisi eum divina misericordia prævenerit*, *ita illud Christi Domini dictum ingeminant* : Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus, qui misit me, traxerit eum. Quis sacra Scripturarum oracula non reverenter excipiat? An-non illa quoque Semipelagiani ipsi, ac Pelagiani se venerari, atque excipere profitebantur? At ut sunt illa rerum, nervorumque plenissima, videndum, num ea illi sensu vacuent, qui, quam descripsimus gratiam prævenientem, admittunt.

Suorum professionem hoc demùm epinicio concludit, *Ex his Scripturarum oraculis colligunt*, *gloriam omnem in Deum conversionis authorem esse referendam*. *Ac licèt eidem*, *ut fides docet*, *libertate nostra cooperemur*, *huic tamen uni adscribunt*, *quòd susceptæ gratiæ virtute*, *libero bene utamur arbitrio*. Quin ita sit colligendum, nullus ibit inficias : num autem ita ex antedictis colligi queat, ac re ipsa colligant Moliniani, haud satis certum. Propriam libero arbitrio laudem debitam contendit Molina in *Concordia disp.* 9. §. Ut quæ : *Deus*, *& ante receptionem gratiæ*, *& in ipsa gratiæ receptione*, *ac posteà in augmento illius*, *suum locum libero relinquit arbitrio* : *quatenus ita ipse esset author omnium bonorum*, *omniaque ei accepta referrentur*, *ut nihilominùs libero arbitrio propria industria*, *& laus servaretur*. Quod, quo sensu, sit dictum, Auxiliorum Congregatio pronuntiavit, die 21. Januarii anni 1603. Jam quod bonum liberi arbitrii usum attinet, is certè assensu gratiæ præstito maximè constat : nunquam enim meliùs libero arbitrio utitur homo, quàm cum divinæ gratiæ motibus obsecundat. Id porrò innatæ libertati sexcentis locis adscribit 1. *part. quæst.* 23. *art.* 4., *&* 5. *disp.* 1. *mem.* 11. §. *Denique*. *Sint duo homines justi animo*, *& corpore*, *cæterisque adjunctis per omnia pares* : *ponamusque Deum constituisse eodem prorsùs modo utrique opitulari*, *ac providere*; *tunc oblata utrique eadem peccandi occasione*, *ex aspectu ejusdem mulieris pulchræ*, *pro sola innata liber-*

libertate utriusque, fieri potest, ut unus in peccatum consentiat, alter minimè, sed se ipsum cohibeat. Quibus paria habet in *Concordia quæst.* 14. *disp.* 12. §. *Ex dictis*. Ac ne quis de gratiæ duntaxat prævenientis æqualitate dictum existimet, æqualem utrique gratiam adjuvantem obtendit *quæst.* 14. *art.* 13. *disp.* 37. §. *Illud*. *Ab inæquali conatu, & influxu liberi arbitrii provenire potest, ut conferente Deo duobus hominibus* ÆQUALE AUXILIUM GRATIÆ ADJUVANTIS, *unus eorum intensiùs operetur, meliùsque se disponat ad gratiam justificantem, quàm alius, & ut conferente eisdem inæqualia auxilia, æquè operentur, aut is interdum plus, qui minori suffultus est auxilio*. Unde *quæst.* 23. *art.* 4., & 5. *disp.* 1. *mem.* 10. §. *Unde quando*, assensum arbitrii collata gratia benè utentis, effectum prædestinationis, & gratiæ esse negat, quatenùs ab arbitrio est.

Mensuram cumulat Leonardus Lessius *lectione* 7. *de Prædestinatione*, ubi in Deum converso sermone, hæc habet : *Posuisti omnia in arbitrio nostro, perinde ac si solis naturæ viribus regnum obtinendum esset. Justificati enim per gratiam tuam, non minùs facile, in accepta justitia perseverare, & legem divinam implere possunt, quàm hominibus politicis per naturam facile est, justitiam, politicam, externamque, & legem ejus implere. Collocasti itaque, & perseverantiam, & prædestinationis complementum, & totam salutem nostram in arbitrio nostro, ut si velimus, salvi simus*.

XXII.

LIBELLI SUMMA.

(*A pag.* 93. *ad* 97.) Primum, ut vocat, gratiæ congruæ fundamentum ponit, scientiam nempe futurorum, quæ a liberis conditionibus pendent, quam Deo inesse productis Scripturarum oraculis planum facit.

ANIMADVERSIO.

Quàm turpiter hallucinetur Molinianus Disputator, dum suam illam futurorum scientiam, gratiæ congruæ fundamentum comminiscitur, *Animadversione* 18., & 19. satis ostendimus. Gratiam congruam non nudâ futurorum, quæ conditione suspensa sunt, scientia niti, sed ea solùm, quæ divino decreto prævia sit, vel ipsis Molinianæ Scholæ tyronibus notum est. Hanc Deo inesse, ni probet Daniel, ludit operam.

XXIII.

XXIII.

LIBELLI SUMMA.

(*Pag.* 95.) Scientiam futurorum, quæ liberis conditionibus illigantur, quondam a Thomistis oppugnatam dicit, donec Molinianorum rationibus victi, aliam pugnandi rationem inierint.

ANIMADVERSIO.

Antiqua calumnia est millies confutata. Certè quod habitas de divinis auxiliis disputationes attinet, tantùm abest, ut certam illic futurorum, quæ a liberis conditionibus pendent, notitiam Deo ereptam voluerint Scholæ Thomisticæ Professores, ut contrà potiùs Bastidam, quem Daniel imitari gestit, in eo astruendo dogmate inutiliter desudantem duriùs exagitarint, tanquam qui a Thomistis (*Histor. de Auxil. lib.* 3. *capp.* 38. & 39.) negari fingeret, quod summo illi consensu fatebantur, eaque arte subdolè moras necteret, ne lis quantocitiùs Apostolico judicio finiretur. Quapropter dissimulatum ab eo, aliòque detortum gravissimæ disputationis argumentum, ad legitimos cardines reduxerunt, ab eo capite disputationem exorsi: num quæ Deo inest certa futurorum, quæ conditionibus illigantur, notitia, decreto innixa sit, an illud e contrario antevertat?

Struendæ nobis calumniæ occasionem arripuere quondam aliàs Moliniani, quòd futura conditione suspensa, non nisi ex conjectura dignosci dicerent aliqui de Schola Thomistica. At illos de conjecturali cognitione locutos esse palam est, non, quæ re ipsa in Deo sit, spectata ratione divini decreti, sed, quæ ipsis futuris contingentibus materialiter tantùm, ut Schola loquitur, spectatis debeatur; prout scilicet in nuda caussarum contingentium dispositione continentur, divini decreti, cujus ope noscuntur, consideratione seposita. Legendi ea de re Joannes a Sancto Thoma *tom.* 1. *in* 1. *part. disp.* 20. *quæst.* 14. *art.* 1., & Seraphinus Piccinardus *tom.* 3. *de Approbatione Doctrinæ Sancti Thomæ lib.* 7. *quæst.* 1. *art.* 3.

XXIV.

XXIV.

LIBELLI SUMMA.

(*A pag.* 98. *ad* 104.) Alterum gratiæ congruæ fundamentum jacit, Deum nempè in decretis edendis, futurorum liberorum, queis est adjecta conditio, notitiâ regi. Quod ratione, & authoritate probandum aggreditur. Ratione quidem, quia si quascumque futurorum, & conditionum complexiones scientiæ hujus beneficio novit, haud dubitandum, quin ea, ad sua condenda decreta dirigatur. Maximè cùm nec scientiâ simplicis intelligentiæ, qua nuda possibilia contemplatur, nec scientiâ visionis, qua res duntaxat futuras, decretoque jam præfinitas novit, regi queat. Authoritate verò, quia *Sapientiæ cap.* 4. ereptum ex hac luce puerum innuit Spiritus sanctus, quòd illum, si longiorem vitam duceret, sæculi contagione corrumpendum prævidisset: & *Matthæi* 24. breviatos extremæ persecutionis dies significat Christus Dominus, quòd ipsos etiam electos casuros prænovisset, si in longum tempus produceretur.

ANIMADVERSIO.

Eam futurorum notitiam, si quocumque Decreto præviam, uti debuerat, demonstrasset, haud ita imprudenter, divinæ menti in condendis decretis prælucere colligeret. Verùm cùm id, tanquam nihil interesset, ne leviter quidem attigerit, nemo non videt, quàm temerè spuriam consecutionem eliciat. Qua enim, amabò, sorte edendo decreto præluceat, nisi prævia statuatur? Non alia ergo in condendis decretis notitia regitur Deus, quàm quæ simplicis intelligentiæ a Theologis vocitatur, qua nimirùm, & se, & suam omnipotentiam comprehendit. Ex quo enim sua illi omnipotentia perspecta est, infinita in ejus thesauris contineri media, certò videt, gratias nimirùm efficacissimas, queis voluntates hominum quascumque libuerit, quando, & ubi voluerit, pertrahere tam potenter, quàm suaviter potest; juxta illud Augustini celebre dictum in *Enchiridio ad Laurentium cap.* 98. *Quis tam impiè desipiat, ut dicat, Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere?* Non aliâ illi scientiâ opus est, qua loci, ac temporis opportunitates, temperamenti, ac genii cujusque rationes exploret: quandoquidem, ut loquitur D. Prosper in *Carmine contra ingratos cap.* 15. Omnipotentis Dei gratiæ:

.... *Tem-*

.... Tempus agendi
Semper adest, quæ gesta velit, non moribus illi
Fit mora; nec caussis anceps suspenditur ullis.

Quod in Pauli conversione, ut cæteros sileam, demirari licuit, tum maximè ad Christum efficacissima vocatione conversi, cùm ardentiùs impugnaret, spiransque minarum, & cædis in Discipulos fureret: de quo proinde Augustinus *cap.* 2. *de Prædestin. Sanctorum*: *Aversus*, inquit, *a fide, quam vastabat, eique vehementer adversus, repentè est ad illam gratiâ potentiore conversus*. Aut certè, si quid valent obtinendo gratiæ se ipsa effectui circumstantiæ congruentes, eas saltem scientiâ decretum antevertente explorari, nihil est opus; utpote, quæ ipsomet Dei decreto, ac peculiari benevolentia providentur; utque congruant, divina omnipotentia præstatur. *Ut adulterium non committeres, suasor defuit; ut suasor deesset, ego feci. Locus, & tempus defuit; & ut hæc deessent ego feci .... Agnosce ergo gratiam ejus, cui debes, quod non admisisti .... Nullum est enim peccatum, quod facit homo, quod non possit facere & alter homo, si desit rector, a quo factus est homo*. Ita Deum loquentem inducit Augustinus *Sermone* 99.

Sed nec feliciùs authoritate certat Theologus Molinianus, quàm ratione. Sapientis effatum, *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus*; nec non Christi oraculum, *Nisi breviati fuissent dies illi, non fuisset salva omnis caro; sed propter electos breviabuntur*. Longè aliter, quàm Augustinus, imò ex directo contra Augustini mentem exponit. Utrumque ex Dei præscientia dictum obtendit Daniel, qua, & futuram pueri, si diutiùs viveret, corruptionem; & futurum electorum, si persecutionis tempus produceretur, errorem certò præviderit: contrà ex diametro sanctissimus Doctor *lib. de Prædest. Sanctorum cap.* 14. *Hæc est tota caussa cur dictum est, a quocumque sit dictum*: raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus: *Dictum est enim secundùm pericula vitæ hujus*, NON SECUNDUM PRÆSCIENTIAM DEI, *qui hoc præscivit, quod futurum erat .... idest, quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, ut tentationum subtraheretur incerto, non quòd peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset*. Qua loquendi ratione significat sanctissimus Præsul, Deum pueri immatura ætate prærepti peccatum utì futurum, si diutiùs viveret, minimè cognovisse; sed solis spectatis sæculi periculis, teneram animulam futuris tentationibus subduxisse. Quod idem de contracto postremæ persecutionis tempore sentiendum.

Demus nihilominus Danieli, quod optat, Deum futuram pueri, si diutiùs viveret, corruptionem, & futurum electorum, si persecutionis tempus produceretur, errorem certissimè prævidisse: Ad Scientiam Mediam confugere non est opus, qua isthæc, necdum edito decreto, perviderit. Satis Deo erit scientia immoto decreto nixa, quam *visionis* Theologorum vulgus appellat. Eodem quippè decreto, quo Deus perseverantiæ donum, ad certum vitæ tempus puero largiri constituit, eum, si diutiùs viveret, & vitiatæ naturæ infirmitati relinqueretur, tentationum impulsu vincendum, certissimè novit. Non absimiliter, quo decreto statuit Deus Electis Antichristi tempore victuris, auxilium efficax impartiri, ad tot, talesve duntaxat tentationes superandas, hoc ipso novit haud dubiè, illos, si plures, majoresve tentationes ingruerent, esse casuros.

Disjectis jam gratiæ congruæ fundamentis tota ruat necesse est moles incumbens, qua parte gratiæ se ipsa efficacis systemati adversatur.

XXV.

LIBELLI SUMMA.

(*Pag.* 105.) A sacris Scripturis ad Ecclesiæ decisiones transitum facit; in quibus gratiæ se ipsa efficacis, nec nomen, nec definitionem inveniri, pro certo habet.

ANIMADVERSIO.

De his dictum suprà, *Animadversione* 16., & 17.

XXVI.

LIBELLI SUMMA.

(*Pag.* 107. 108. 109.) Non videt, quibus Logicæ legibus gratia se ipsa efficax ex quarto Arausicanæ Synodi *Canone* extundi possit: *Si quis, ut a peccato purgemur, Deum voluntatem nostram expectare contendit; non autem, ut etiam purgati velimus, per Sancti Spiritus infusionem, & operationem in nobis fieri confitetur, resistit Spiritui Sancto per Salomonem dicenti*: Præparatur voluntas a Domino; & *Apostolo salubriter prædicanti*: Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.

ANIMADVERSIO.

Oculo, in quem Molinianus humor illapsus est, non licet esse tam acutum; purgato licet. Et quidem si gratia a se ipsa, seu ab omnipotentia Dei, cujus est instrumentum, efficaciam non habet, sed eam a voluntate, sub certis circumstantiis constituta mutuatur, nunquid suam ab ipsamet efficaciam expectat? si autem a voluntate efficaciam expectat, annon Deus ab ea, ut purgemur, & purgari velimus, expectare dicendus erit; cùm non purgemur, nec purgari velimus, nisi suam collata gratia habeat efficaciam?

Neque officit, quod objicit Logicus Molinianus, Deum ex directione Scientiæ Mediæ gratiam largientem, hanc ipsam utì certum edendæ conversionis instrumentum impartiri. Id quippe non obest, quin hac ipsa hypothesi voluntatem nostram expectare dicatur. Imò cùm Scientia Media, futurum sub congruis circumstantiis voluntatis assensum explorans, eundem non efficiat, sed prævideat tantùm *pro innata libertate futurum*, utì Molina (*Animadv.* 21., & 32.) figmenti author, & parens disertissimè profitetur: idcircò maximè voluntatem nostram, ut purgemur, purgarique velimus, expectare dicendus est Deus, si gratiam, non nisi ex directione Scientiæ Mediæ efficacem impertit. Nec ipsa in tempore certum conversionis nostræ instrumentum est, nisi expectata hominis voluntate, si nonnisi ex prævisо ab æternitate voluntatis assensu, certitudinem habitura prævisa est. Annon, quæsò, Deum voluntatem nostram expectare contendit Ludovicus Molina in *Concordia quæst.* 14. *art.* 13. *disp.* 32. §. *Nonum est*, dum ait: *Deus opera nostra bona moralia, quæ a cooperatione libera arbitrii nostri, & non a solo concursu Dei generali pendent, ut existant, vult in primis voluntate conditionata, si, & nos pro nostra libertate ea velimus: eo pacto, quo vult omnes homines salvos fieri, si, & ipsi velint. Prævidens verò, quæ eorum pro nostra libertate sint futura, complacet in illis, vultque absoluta voluntate, ut sint.*

Arausicanæ Synodi perspecta mens est, si quo capite Semipelagianorum, quos in oculis habuit, situs esset error, paulò penitiùs observetur. Ii quippè initium salutis, & fidei ita nativis viribus adscribebant, ut tamen ad id versatilem gratiam, ac libertatis nutibus subditam non refugerent. Quocirca lectorum oculis denuo sistam, quod aliàs annotavi: fuisse scilicet, post latam etiam in Jansenium damnationem, ac esse etiamnum hodie Theologos primæ notæ, ac numero multos, (*Gonetum*, Contensonium, *Salmaticenses*, *Piccinardum*, *Massoulieum*, *&c.*) qui Semipelagianos, aut

 omnes,

mnes, aut certè partem illorum alteram, interioris inspirationis gratiam prævenientem, ad initium bonorum operum, ac ipsius etiam fidei propugnasse dicant, adstruantque haud levibus argumentis, partim ex Cassiani, Fausti, Gennadii professione, partim ex datis ad Augustinum Epistolis. Ac re ipsa quidem, de Massiliensibus ita pronunciat doctissimus Aquitanus: *Nec considerant se gratiam Dei, quam comitem non præviam volunt esse meritorum, etiam illis voluntatibus subdere, quas ab ea secundùm suam phantasiam* NON NEGANT ESSE PRÆVENTAS. Hilarius verò id ab eis summo consensu positum monet, *ad nullum opus, vel incipiendum, nedum perficiendum, quemquam sibi sufficere posse.*

Si quis etiam seposito partium affectu, Augustinum perpendat iis in libris, queis illos exagitavit, compertum habebit, solam illam gratiam ab eis explosam esse, quæ nocere libertati, necessitatem inducere, inutilem denique correptionem efficere videretur: quæ sanè incommoda nequidem per umbram patitur interioris inspirationis gratia, cujus vis, ac potestas ex voluntatis nutu suspensa est. Imò idem illos de initio fidei, ac de finali perseverantia statuisse notat sanctissimus Præsul *cap. 17. libri de Dono perseverantiæ: Hi initium fidei, & usque in finem perseverantiam sic in nostra constituunt potestate, ut Dei dona esse non putent, neque ad hæc habenda, atque retinenda Deum operari nostras cogitationes, & voluntates.* Porrò Massilienses interioris inspirationis gratiam ad perseverantiam agnoscebant, nec hanc alio sensu in nostra potestate sitam effutiebant, quàm quòd invincibili, indeclinabili, & insuperabili gratia ab Augustino commendata nobis a Deo dari pernegarent (*De Correpț., & Grat. cap.* 12.) Quare sanctissimus Doctor *cap.* 7. libri hujus, veram Massiliensium hypothesim fore ait, si primævæ integritatis privilegio homines potirentur: quæ tamen minùs adhuc vera foret, si interioris inspirationis gratiam respuissent, quam Augustinus in statu innocentiæ necessariam agnovit *libro de Correptione, & Gratia. Non est hoc*, inquit, *omnino in viribus liberi arbitrii, quales nunc sunt; fuerat in homine antequam caderet .... Post casum autem hominis non nisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere .... ut homo non recedat ab eo.*

(*Vide Animadv.* 21.) Neque movere quemquam potest, quod passim apud Augustinum, Prosperum, & Hilarium legere est, contendisse scilicet Massilienses, initium fidei a nobis, non ex Dei dono esse, ex libero arbitrio sobolescere, nec illud Deum in nostris cordibus operari, sed ex bono naturæ usu proficisci. Quasi verò in hypothesi gratiæ interioris, mòdò versatilis illa sit, liberoque arbitrio subdita, supponi hæc ipsa non possint, ac etiam

de-

debeant? Certè Augustinus gratiam interiorem Adamo, atque Angelis datam contendit, auxilium videlicet sine quo bonum velle non possent: & tamen has ipsas loquendi rationes usurpat, de Adamo, & Angelis sermonem instituens; ob id unum quòd illos efficaci gratia destitutos contenderet, Auxilio nimirum, quo Deus in eis operaretur, ut vellent, *lib. de Corrept., & Gratia cap.* 11. *Angeli sancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi .... Quod tunc ita liberum erat, ut benè velle posset, & malè. Capite* 10. *Per ipsum liberum arbitrium in veritate steterunt*. Capite 12. *Perseverare, & non perseverare in hominis relinquebatur arbitrio*. Quid ergo vetat Augustinum, ejusque discipulos, ita de initio fidei juxta Semipelagianorum hypothesim pronuntiasse, tametsi ii internam ad illud gratiam ponerent; ob id videlicet unum, quòd eam libero arbitrio subditam effutirent? Ratio etiam in promptu est. Cùm enim interna inspiratio, Dei dono licèt immissa, non nisi versatilis poneretur ab eis, nec ipsa sui tribueret usum, sed e contrario eum, quantus quantus esset, a libero arbitrio emendicaret, a quo indifferentiæ determinationem, applicationemque sortiretur, reliquum erat, ut fidei initium libero arbitrio, ceu primo fonti, atque radici tribueretur. Quamquam in hoc hæretici non essent, sed summè Catholici, quòd vellent gratiam ad fidei, & salutis initium necessariam, talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.

Quæ cùm ita sint, ut ad institutum, unde divertimus, redeamus: non ideò Semipelagiani, Deum, ut a peccato purgemur, voluntatem nostram expectare contendebant, quòd nulla prorsùs inspiratio, & excitatio præcederet; sed quòd versatilis, & indifferens inspirationis, atque excitationis determinatio, applicatio, & usus a libero expectaretur arbitrio. Quare dum oppositum Arausicana Synodus statuit, versatilem, humanisque nutibus subditam gratiam explosisse censenda est; eamque ex opposito statuisse, quæ nulla prorsùs ratione voluntatem expectat, sed intimà efficacià sibi faciat consentientem.

Quamquam etsi daremus, Semipelagianos gratiam prævenientem etiam versatilem, ad salutis initium pernegasse; eosque primos voluntatis conatus, excitanti gratiæ præludentes agnovisse; ab insigni sacræ Synodi depravatione excusari non posset Molinianus Interpres, qui id unum laudato Canone (*Pag.* 109.) definitum obtendit: *Deum non expectare, ut ipsum voluntas humana determinet, ad nobis gratiam conferendam*. Quandoquidem nihil eo Canone de prima excitantis gratiæ collatione decernitur: nec Deus voluntatem nostram nullatenùs expectare dicitur, ut sua nos excitante

tante gratia præveniat, sed ut a peccato purgemur, purgarique velimus. Cujus eam rationem assignat, quòd illa ipsa, qua purgari volumus, bona voluntas, Spiritus Sancti infusione fiat in nobis. Ut hinc meritò colligamus, Deum etiam post excitatum misericorditer liberum arbitrium, consensum ejusdem, ut purgari, & justificari velit, nullatenus expectare, sed facere: atque ita efficaciam gratiæ a libera cooperatione, per Scientiam Mediam explorata, nullo pacto pendere, sed illi ipsi esse congenitam.

XXVII.

LIBELLI SUMMA.

(*Pag.* 110., & 111.) Gratiam se ipsa efficacem extundi non posse ait, ex Concilio Tridentino, *sessione 6. de Justificatione*, *Can.* 3. quo tamen, ut ait, universa Ecclesiæ doctrina de Gratia præveniente continetur: *Si quis dixerit, sine Spiritus sancti inspiratione, atque adjutorio hominem credere, sperare, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.*

ANIMADVERSIO.

Quàm multa ex Capitibus, Canonibusque sessionis sextæ Synodi Tridentinæ a gratiæ se ipsa efficacis defensoribus exerantur, nihil hìc attinet enarrare, ut Danielis in iis excutiendis negligentiam rideamus. Legat, qui spartam hanc exequi velit, eruditissimi Patris Antonini Reginaldi, de mente Concilii Tridentini circa gratiam se ipsa efficacem, præclarissimum opus. Age tamen, & in uno sextæ sessionis Canone 3. hæreamus.

Ex hoc gratiam se ipsa efficacem facilè erui, brevi observatione demonstro. Ubi semel gratia adjuvans, ut ab excitante distinguitur, prævenit voluntatem, se ipsa efficax reputanda est. Quia cùm nemo adjuvetur, nisi & ipse aliquid operetur, (hoc enim adjutoris, & adjutorii nomen sonat) fieri nequit, ut gratia adjuvet aliquem, nisi, & is operetur, & agat. Adeòque si gratia adjuvans, etiam ut ab excitante distincta est, voluntatem re ipsa prævenit, haud dubiè colligendum, dari gratiam prævenientem, quacum voluntatis operatio certo, & infallibili nexu connectitur: idque ex ipsius adjutorii natura, non ex voluntatis assensu; cùm illum ipsum nexum habeat, ut prævenit voluntatem. Id porrò gratiæ se ipsa efficacis nomine intelligi, novit Daniel. Jam verò non solùm excitantem, sed etiam adjuvantem gratiam, prævenientem

tem

tem, & ipsam esse, laudatus Canon disertè significat; dum adjutorium non secùs ac inspirationem, prævenire hominem statuit, ut credat, speret, pœnitentiam agat.

At si quid lucis ea verba desiderant, hanc a *Capite* 5. *ejusdem sessionis* accipiunt, ubi hæc ipsa prævenientis gratiæ doctrina paulò fusiùs explicatur. *Declarat præterea* sancta Synodus, *ipsius justificationis exordium in adultis, a Dei per Christum Jesum præveniente gratia sumendum esse : hoc est, ab ejus vocatione, qua, nullis eorum existentibus meritis, vocantur, ut qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam, ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando disponantur*. Quis non hic adjuvantem gratiam, eandem prævenientem vocari videat? In primis enim de gratia præveniente, quæ justificationis exordium est, sermonem habens sacra Synodus, Dei vocationem esse docet, qua per excitantem, & adjuvantem gratiam, ad justificationem homines vocat. Secundò homines per excitantem, & adjuvantem gratiam ad justificationem, & conversionem disponi decernit : dispositionem autem præcedere necesse est. Tertiò, homines ita per excitantem, & adjuvantem gratiam disponi ait, ut vi utriusque actum, quo assentiuntur, & cooperantur, eliciant. Cooperatio igitur, & assensus, excitantis, & adjuvantis gratiæ effectus est : quod utique fieri nequit, nisi gratia adjuvans, præveniens & ipsa sit.

XXVIII.

LIBELLI SUMMA.

(*Pag.* 112. 113. 114.) Pergit ad Augustinum, in quo ut primùm gratiæ se ipsa efficacis, & definitionem, & nomen desiderari monuit, observatione dignum ait, Jansenium, ejusque discipulos palam profiteri, Thomistarum systema de gratià se ipsa efficaci, hoc est, physicam prædeterminationem ex Augustini mente non esse. Indeque consecutionem hanc elicit: *gravem subesse rationem, ut gratiam se ipsa efficacem, qualis a Thomistis asseritur, Augustini dogma non esse existimemus.*

ANIMADVERSIO.

De primo jam dictum *Animadversione* 16., & 17. Quod alterum attinet, observatione longè dignius existimo, Theologum Molinianum, Jansenii, ejusque defensorum authoritate certare contra Tho-

Thomiſtas, ubi de internoſcenda Auguſtini mente quæſtio vertitur. Certè ut ſuam illam ex præmiſſa obſervatione conſecutionem eliciat, Janſenium, ejuſque defenſores, optimos Auguſtini interpretes habere debet : aliàs imprudenter ſancti Doctoris mentem ex illorum atteſtatione, atque ſuffragio colligeret. An ergo Danieli placet, ut illos eo titulo, ac nomine habeamus? Id ſi velit, vereor ut non ſatis Societatem ſuam habeat conſentientem.

Sed quid lectores ſuos æquivocis, quid flexibus detinet, & illudit, ut Thomiſtas a cæteris victricis gratiæ defenſoribus damnatos effutiat? Duo gratiæ ſe ipſa efficacis ſyſtemate contineri nemo neſcit. Alterum, quod Theologici inſtituti maximè eſt, ex Scripturis, Conciliis, ac Patribus delibatum : Alterum ad philoſophicas inſtitutiones propiùs attinens. Primum, quo ſtat Theologici dogmatis ſumma, gratiam ponit ſe ipſa ut a Deo eſt, efficacem, omni, congruentium circumſtantiarum conſideratione ſepoſita. Atque id nemo verus Auguſtini diſcipulus negat. Alterum, quod appendicis inſtar haberi poteſt, inquirit, quì fieri tandem poſſit, ut gratia eo pacto efficax, voluntatis ſuapte natura indifferentis, ac liberæ conſenſum rapiat, eumque, ut loquitur Auguſtinus, *indeclinabiliter*, *& inſuperabiliter* eliciat ? Num ſola, quæ gratiæ congenita eſt, delectatione victrici, an ſuperaddita prædeterminatione aliqua phyſica, quæ paſſivam voluntatis indifferentiam tollat ? Quo capite Thomiſtæ ab aliis plerique Auguſtini diſcipulis diſſident. Perperam ergo qualecumque illud doctrinæ diſſidium exagerat Theologus Molinianus; ut, qui in nonnullis duntaxat Auguſtiniani ſyſtematis appendicibus diſſident, in ipſa ſyſtematis ſumma diſſidere videantur. Maximè cùm, & ipſi gratiæ ſe ipſa efficacis oppugnatores graviori inter ſeſe diſſidio committantur ; non civili illo duntaxat, verùm etiam domeſtico; nec oppoſiti duntaxat ſyſtematis appendices, ſed ipſam doctrinæ ſummam petente.

Addam, Janſenium, ad quem nos Molinianus Actor provocat vel invitos, phyſicam prædeterminationem minimè ſuſtuliſſe, ſed de variis illius admittendæ rationibus diſputaſſe. Pro gratia enim phyſicè prædeterminante decertat, tamquam pro aris, ac focis *lib.* 8. *de Gratia Salvatoris cap.* 3. cui hunc titulum dedit. *Adjutorium Chriſti determinat, ac etiam* PRÆDETERMINAT PHYSICE' *voluntatem, ut velit, & ardentiùs velit, & ex quo capite iſtud accidat*. Idque vult unum, illius admittendæ neceſſitatem, non ex indifferentia voluntatis, aut ſub cauſſarum altiori ſubordinatione, ſed ex una læſæ, ac fauciatæ voluntatis infirmitate, juxta Auguſtini ſententiam, derivari.

XXIX.

XXIX.

LIBELLI SUMMA.

(*A pag.* 115. *usque ad* 122.) Duo elidit Augustini loca, ex libro de Gratia Christi petita, queis gratiam se ipsa efficacem adstruunt aliqui: primum quidem ex *capite* 10. desumtum, his verbis: *Sed nos eam gratiam volumus iste aliquando fateatur, qua futuræ gloriæ magnitudo non solùm promittitur, verùm etiam creditur, & speratur; nec solùm revelatur sapientia, verùm & amatur; nec suadetur solùm omne, quod bonum est, verùm & persuadetur .... Hanc debet Pelagius gratiam confiteri, si vult non solùm vocari, sed esse Christianus.* Alterum ejusdem fermè sententiæ ex *capite* 25. delibatum: *Desinat itaque jam Pelagius*, &c. Ex iis scilicet gratiam duntaxat interioris inspirationis, & illuminationis extundi contendit Daniel, qualem Pelagiani profiteri detrectabant, sola legis, atque doctrinæ gratia contenti.

ANIMADVERSIO.

Sic fanè, qui altissimas, gravissimasque quæstiones extremis labris attingunt, expedire se laqueo putant. At qui rem totam ab intimis principiis petunt, haud ita expeditam putant argumenti difficillimi solutionem. Enimverò, qui eo ad gratiam se ipsa efficacem adstruendam momento nituntur; alterum præmittunt Historiæ Pelagianæ caput, multisque probare satagunt: nimirùm Pelagianos tertio saltem, ac quarto erroris statu, illuminationis, & inspirationis gratiam agnovisse, illosque nihiloseciùs ab Augustino, tanquam in lege, atque doctrina hærentes fuisse exagitatos, quòd is nudas illas illustrationes, ac suasiones, legis, atque doctrinæ loco haberet: juxta illud ejusdem *Capitis* 10. *Ad doctrinam pertinet, cùm suadetur omne, quod bonum est.* Quo quidem Magistri principio nixus Prosper Aquitanicus, Semipelagianam gratiam in internis certè illustrationibus, ac suasionibus positam, tanquam normam legis habentem exsufflat in *Carmine contra ingratos*:

Non hoc consilio tantùm, hortatuque benigno,
Suadens, atque docens, quasi normam legis haberet
Gratia: sed mutans intùs, mentem, atque reformans;
Vasque novum ex fracto fingens, virtute creandi.

Hæc de postrema Pelagianæ sectæ periodo, Clementi VIII., da-

tisque Censoribus sententia stetit, in celeberrimis Auxiliorum Congregationibus : eamque subinde gravissimis tractationibus propugnarunt Thomas de Lemos, Didacus Alvarez, aliique primæ notæ Scholæ Thomisticæ Professores. Jam si sic est, quis non videat in fumum abire Danielis effugium ; aliudque Augustino in animo fuisse, quàm ut illas ipsas a Pelagianis gratias extorqueret, quas ipsimet postrema erroris periodo fatebantur?

Hoc igitur erat Moliniano Disputatori demonstrandum : Pelagianos postremo erroris agone, nullam internam gratiam agnovisse, solamque gratiæ loco externam legem, atque doctrinam prædicasse. Erant illi Theologorum aliter statuentium fundamenta suffodienda, ut superstructi argumenti vim elideret. At tantùm laboris, & operæ in Theologica tractatione non posuit, ut rem omnem a radicibus rimaretur.

Ad hæc, qui Augustini momenta ex *libro de Gratia Christi* delibata, propositasque ab eo Pelagianæ sectæ Magistris, si Catholici esse vellent, fidei professiones urgere solent, eam præcipuo loco habent, quæ *Capite* 24. exarata est : *Legant ergo, & intelligant, intueantur, atque fateantur, non lege, atque doctrina insonante forinsecus, sed interna, & occulta, mirabili, ac ineffabili potestate, operari Deum in cordibus hominum non solùm veras revelationes, sed etiam bonas voluntates.* Quo ex loco colligunt, gratiam, qua Deus bonas voluntates operatur in nobis, non a scientia futuri consensus, & circumstantiarum exploratrice, sed a divina omnipotentia, supremoque in voluntates imperio certitudinem obtinere ; qui gratiæ se ipsa victricis character est. Ecquid enim tam ineffabilis, tamque mirabilis potestatis esset, tunc solùm efficaciter hominem vocare, cùm capta circumstantiarum opportunitate consensurus haud dubiè prævidetur? Providæ sapientiæ dicatur id esse, bene est : at mirabilis, & ineffabilis potestatis, nemo dicet, nisi qui verbis abuti velit.

XXX.

LIBELLI SUMMA.

(*A pagina* 123. *ad* 130.) Celeberrimum Augustini locum expendit, ex *capite* 12. *libri de Correptione, & Gratia* desumtum : *Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divinà gratià indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur, &c.* Eaque denuò congerit, quæ in peculiari Divi Augustini Defensione (*Defense de S. Augustin contre M. de Launoy.*) commentus erat, ut undecimum, ac duodecimum libri illius caput, (quo sanctissimus Doctor *adjutorium*,

torium quo in statu naturæ lapsæ tam disertè defendit) non de gratia actuali, ad quoslibet pietatis actus necessaria, intelligendum ostenderet; sed de peculiari providentia, qua electos suos per varios vitæ casus, ad beatum tandem finem perducit.

ANIMADVERSIO.

Toto aberrat ostio Theologus Molinianus : ac quo magis de novo sibi invento gloriatur, ac plaudit, eo majori cura venit exagitandus. Quod ut ego feliciùs exequar, falsa a veris, quæ suo illo procuso systemate miscet, cautè secernam.

Certum in primis, Augustinum de gratia perseverantiæ sani, ac lapsi hominis ex instituto disputare, & qua parte una ab altera distinguatur, multis ostendere.

Certum pariter, gratiam perseverantiæ, in statu naturæ lapsæ, in peculiari quadam actuali gratia sitam non esse, qua fiat, ut electi in ipso fidei, ac dilectionis actu animam agant. Ea quippè sors non omnibus accidit.

Certum demùm, magnum illud, & inæstimabile perseverantiæ donum, non in solis gratiis actualibus positum esse, quibus electos ad vitæ æternæ meritum comparandum, edendosque pietatis actus efficaciter movet : sed peculiarem etiam providentiam importare, qua Deus ita varios vitæ casus ordinat, disponit, ac dirigit, ut tametsi lapsu temporis, & labantur, & surgant, attamen nonnisi in charitate, atque justitia ex hac luce rapiantur.

At falsum omnino est, ea, quæ Augustinus de adjutorio, quo perseverant, & salvantur electi, deque beneficiis, quibus electi certissimè liberantur, iis in capitibus cumulatissimè disputat, de peculiari providentia debere intelligi : ad gratias autem actuales, quibus velle, & perficere operatur in nobis, quæque in perseverantiæ partem veniunt, nullatenùs, aut saltem minùs præcipuè pertinere.

Falsum pariter, quæ de gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter agente statuit sanctissimus Doctor, ide gratia actuali, nulla omninò ratione accipi posse. Quæ duo a vero procul abire, adversùs novi systematis architectum, demonstrare aggredior.

Futilis, ac ludicra in primis est observatio, *ex qua una totam mysterii hujus altitudinem pendere*, ait *pag.* 123. *Augustinianæ Defensionis*. Idcircò scilicet Augustinum, tam disparem integri, ac sani hominis gratiam ad perseverandum posuisse; quòd lapsi hominis perseverantia non ab una, alterave actuali inspiratione pendeat, sed a peculiari insuper providentia, qua Deus ita varios vitæ casus disponit, regit, & ordinat, ut charitate demùm informati animam agant : cùm contrà Adami in statu innocentiæ perseve-

feverantia, ex unico voluntatis actu penderet, quo Dæmonis tentationem superaret. Ecquis, quæsò, id certò futurum Danieli revelavit? Equidem ita in Angelis contigisse, ut primo plenæ libertatis actu confirmationem in gratia, & æternam beatitudinem obtinerent, propugnat Angelica Schola: verùm Adamum in statu innocentiæ confirmatum iri, ex quo primùm tentationi restitisset, negat ubique passim Doctor Angelicus. Sic 1. *part. quæst.* 100. *art.* 2. cum hanc sibi objectionem, quarto ordine proposuisset: *Angelus adhærens Deo, aliis peccantibus, statim est in justitia confirmatus, ut ulteriùs peccare non posset: ergo similiter, & homo si tentationi restitisset, confirmatus fuisset*: Respondet: *Ad quartum dicendum, quod non est simile de homine, & Angelo. Nam homo habet liberum arbitrium vertibile, & ante electionem, & post: non autem Angelus, sicut suprà dictum est, cum de Angelis ageretur.* Sic in 2. *Sent. dist.* 20. *quæst.* 2. *art.* 3. ad 5. *Dicendum, quod probabile videtur, quòd si Adam in prima tentatione perstitisset; nondùm statim confirmationem justitiæ fuisset adeptus.* Sic demùm *quæst.* 5. *de malo art.* 4. *ad* 8. *Dicendum, quod secundùm quosdam, si Adam non peccasset tentatus, statim confirmatus fuisset in justitia; & omnes posteri ejus confirmati in justitia nascerentur .... Sed hoc credo esse falsum.* Quibus omnibus paria habet *Quodlibeto* 5. *art.* 8. Et quidem superata priori tentatione, annos longè multos ducere potuit primus homo, antequam ad beatam immortalitatem perveniret. Quis porrò certò spondere audeat, eum toto illo temporis tractu nullam alteram cum Dæmone luctam subiturum, Deo ita permittente, ut ejusdem obedientiam, ac fidem probaret magis?

Quid plura? Demus Adamum priori tentatione superata, statum perseverantiæ, justitiæque confirmationem adepturum fuisse: non illicò consequens foret, filios, ac nepotes, justitiæ confirmationem jure natalium habituros. Explicatissima Doctoris Angelici sententia est in 2. *Sent. dist.* 20. *quæst.* 2. *art.* 3. *ad* 5. *Si tamen*, inquit, *concedatur, quòd Adam confirmatus fuisset statim post victoriam tentationis, adhuc non sequitur, quòd filios confirmatos in justitia genuisset.* Quin etiam 1. *parte quæst.* 100. *art.* 2. probat ex instituto, *quòd pueri in statu innocentiæ nati, non fuissent in justitia confirmati.* Fuissent igitur illi, quantumvis ab ortu justi, & innocentes, tentationibus exercendi. Ecquis sciat quot, quantisve, & quàm diù? Ingentis, quippe temeritatis est, res ex uno Dei nutu pendentes certò statuere, nulla Scripturarum, ac Traditionis accedente suffragatione.

Figmentum igitur est longè maximum, cui tota novi systematis moles incumbit: Innocentem hominem ideò tam diversa ad per-

perseverandum gratia eguisse, quòd hæc ex uno duntaxat actu penderet, quo primam vinceret tentationem.

A vero longiùs abit, quod tam labili, tamque futili fundamento superstruit Theologus Molinianus, de *adjutorio*, *quo* perseverant, & salvantur electi, deque gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter agente; quod novem, ut cætera mittam, argumentis evinco.

I. Si homo nulla naturæ infirmitate, nulla carnis corruptione vitiatus, originalis culpæ purus per omnia nasceretur; solaque arbitrii libertate, genioque versatili, peccatis admittendis obnoxius, mortalem hanc vitam degeret, qualem Pelagiani fabulabantur; doni perseverantiæ certitudo ex ea perinde providentia penderet, qua Deus electorum casus ita regere dicitur, ut quiquid illis in diem accidat, beato tandem fine solvantur. Siquidem cum ea in hypothesi Pelagiana, electi ob inconstantiam saltem arbitrii, identidem laberentur, & surgerent, in prædestinationis suæ finem certo pervenire non possent, nisi Deus ita cuncta disponeret, ut nonnisi in gratia constituti, ex hac luce raperentur. Attamen Augustinus *Adjutorii quo*, gratiæque indeclinabiliter, & insuperabiliter agentis necessitatem, ex ipsa vitiatæ naturæ infirmitate derivat, geminis illis capitibus ad examen vocatis, ut infirmus, ac vitiatus homo in accepta justitia perseveret. Non itaque ad peculiarem illam providentiam astruendam collimant, quæ geminis capitibus scripsit sanctissimus Doctor: nec eò tendunt graves illæ, rerumque, atque nervorum plenæ sententiæ, ut id ex naturæ corruptione demonstret, ac probet, quod omni naturæ corruptione posthabita, perseverantiæ perinde pars magna foret.

II. Agitatas ab Augustino adversùs Pelagianos, ac Semipelagianos de gratia controversias, ad actualem, & efficacem potissimè pertinere, nemo nescit: seu hanc ad omnia pietatis opera necessariam evinceret contra primos, seu ad initium fidei, atque in bono perseverantiam, necessariam diceret contra secundos. Hanc porrò de duplici stantis, ac lapsi hominis adjutorio concertationem adversùs Semipelagianos Adrumetinos institutam esse, palàm est. De gratia igitur actuali sermo venit. Atque id adjutorii nomen sonat, ab Augustino toties usurpatum, quod de gratia adjuvante, atque adeò actuali solet accipi.

III. Idem sanctissimus Doctor octavo capite libri ejusdem de *Correptione*, *&* *Gratia* peculiari divi Petri confessioni, quæ singulari gratiæ actualis auxilio edenda illi erat, tum in consessu Pontificum, & Sacerdotum, uti narratur *Act.* 4. tum maximè tempore passionis suæ, atque martyrii, ea ipsa accommodat, quæ de auxilio quo ad perseverandum necessario, deque gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter agente commentatur capitibus undecimo[1], ac

ac duodecimo. *An audebis dicere, etiam rogante Christo, ne deficeret fides Petri, defecturam fuisse, si Petrus eam deficere voluisset, hoc est, si eam usque in finem perseverare noluisset? Quasi aliud Petrus ullo modo vellet, quàm pro illo Christus rogasset, ut vellet. Nam quis ignorat, tunc fuisse perituram fidem Petri, si ea, quæ fidelis erat, voluntas ipsa deficeret; & permansuram, si eadem voluntas maneret? Sed quia* præparatur voluntas a Domino, *ideò pro illo Christi non posset esse inanis oratio. Quando rogavit ergo, ne deficeret fides ejus, quid aliud rogavit, nisi ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam voluntatem? Ecce quemadmodùm secundùm gratiam Dei, non contra eam libertas defenditur voluntatis. Voluntas quippè humana non libertate consequitur gratiam, sed gratiâ potiùs libertatem, & ut perseveret, delectabilem perpetuitatem, & insuperabilem fortitudinem.* Adjutorium igitur, quo fit opus, gratiaque indeclinabiliter, & insuperabiliter agens, ad peculiares etiam pietatis actus (qualis profectò erat Christi confessio, de qua paulò antè dicebamus), gravesque tentationes certis in occasionibus superandas, ex Augustini sententia, maximè pertinebat.

IV. Si gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter agens, nil nisi peculiaris providentia est, qua Deus ita varios electorum casus ordinat, atque disponit, ut quidquid in diem accidat, sancto tandem fine quiescant; nec ad peculiares pietatis actus pertinere putanda est: nulla igitur peculiari occasione insuperabilem electo fortitudinem tribuet gratia Servatoris; sed ad hoc valebit unicè, ut infirmitatem erigat si ceciderit; & ad optatum finem destinatò perducat. At perseverantiæ gratiam, talem, tantamque certis in casibus esse, *ut insuperabilem fortitudinem* tribuat, Augustini diserta vox est.

V. *Adjutorium quo* statui naturæ lapsæ peculiare, de quo disputat Augustinus *capite* 11. constans servandæ justitiæ propositum operatur, efficitque, ut illam velit electus, ac diligat, contrariosque obices vincat, qui constantiæ, ac perseverantiæ, ut rationem virtutis induit, actus sunt. *Hæc prima est gratia, quæ data est primo Adam, sed hac potentior est in secundo Adam. Prima est enim, qua fit, ut habeat homo justitiam si velit: secunda ergo plus potest, quia etiam fit, ut velit, & tantùm velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem, voluntate spiritus vincat.* Quis verò neget, gratiam ad edendos virtutis actus necessariam, illosque in nobis, atque nobiscum operantem, actualem & ipsam esse?

VI. Ejusdem adjutorii vim adstruit Augustinus exemplo Martyrum *cap.* 12. quorum victorias, fortitudinem, atque constantiam

Ada-

Adami lapsui, atque socordiæ opponit. *Hoc Sanctorum martyria docuerunt. Denique ille* Adam, *& terrente nullo, & insuper contra Dei terrentis imperium libero usus arbitrio non stetit in tanta felicitate, in tanta non peccandi facilitate: Isti autem, non dico terrente mundo, sed sæviente ne starent, steterunt in fide; cùm videret ille bona præsentia, quæ fuerat relicturus, isti futura, quæ accepturi fuerant, non viderent. Unde hoc, nisi donante illo, a quo misericordiam consecuti sunt, ut fideles essent, a quo acceperunt spiritum non timoris, quo persecutoribus cederent, sed virtutis, & charitatis, & continentiæ, quo cuncta minantia, cuncta invitantia, cuncta cruciantia superarent?* Dicat modò qui volet, gratiam, quæ miram illam fortitudinem indit, quæque virtutis, charitatis, & continentiæ spiritum donat, externâ duntaxat providentiâ contineri, quæ varios electorum casus ita disponit, ut tametsi labantur in dies, sancto demùm fine quiescant.

VII. Gratiam, quæ operatur velle, actualem nemo non dicet. At *adjutorium quod* ab Augustino descriptum, utì peculiare naturæ lapsæ præsidium, gratiaque indeclinabiliter, & insuperabiliter agens, quæ ita Danieli nostro stomachum movet, illa ipsa gratia est, quæ in electis operatur, ut invictissimè velint, bonamque ipsis voluntatem indit. *Tantùm quippè*, Augustini verba sunt, *Spiritu Sancto accenditur voluntas eorum, ut ideò possint, quia sic volunt, ideo sic velint, quia Deus operatur, ut velint. Nam si in tantâ infirmitate vitæ hujus (in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat) ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorio Dei, sine quo permanere non possent, manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur, ut vellent, inter tot, & tantas tentationes, infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, & ideò perseverare non possent, quia deficientes infirmitate, nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut possent. Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur; & ideò quamvis infirma non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur .... Fortissimo quippè dimisit, atque permisit facere, quod vellet; infirmis servavit, ut ipso donante invictissimè, quod bonum est, vellent, & hoc deserere invictissimè nollent.*

VIII. Massilienses ex Augustini doctrina, geminis illis capitibus explicata, eaque præsertim loquendi formula (*ut divinâ gratiâ indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur*) offensionem passos esse, ex Hilarii ad Augustinum *Epistola* certò liquet. *Molestè ferunt ita dividi gratiam, quæ vel tunc primo homini data est, vel nunc omnibus datur, ut ille acceperit perseverantiam, non qua fieret, ut perseveraret, sed sine qua per liberum arbitrium perseverare non posset:*

ſet : nunc verò ſanctis in regnum per gratiam prædeſtinatis non tale adjutorium perſeverantiæ datur, ſed tale, ut eis perſeverantia ipſa donetur; non ſolùm, ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint, verùm etiam, ut per hoc donum nonniſi perſeverantes ſint. His verbis Sanctitatis tuæ ita moventur, ut dicant quandam deſperationem hominibus exhiberi. Si enim, ajunt, ita Adam adjutus eſt, ut & ſtare poſſet in juſtitia, & a juſtitia declinare; & nunc ita ſancti juvantur, ut DECLINARE NON POSSINT, (viden' ut ad Auguſtini verbum, *indeclinabiliter*, alluderent Maſſilienſes?) *vel ſic, quidam deſeruntur, ut, aut nec accedant, aut ſi acceſſerint, & recedant : ad illam voluntatem pertinuiſſe dicunt exhortationis, vel comminationis utilitatem, quæ, & perſiſtendi, & deſiſtendi obtinebat liberam poteſtatem; non ad hanc, cui nolle juſtitiam* INEVITABILI *neceſſitate conjunctum eſt, præter illos, qui ſic concreati ſunt his, qui cum univerſa maſſa damnati ſunt, ut exciperentur per gratiam liberandi. Unde in hoc ſolo volunt, a primo homine, omnium diſtare naturam, ut illum integris viribus voluntatis juvaret gratia volentem, ſine qua perſeverare non poterat : hos autem amiſſis, & perditis viribus credentes tantùm, non ſolùm erigat proſtratos, verùm etiam ſuſfulciat ambulantes. Cæterùm, quidquidlibet donatum ſit prædeſtinatis, id poſſe, & amitti, & retineri propria voluntate contendunt. Quod tunc falſum eſſet, ſi verum putarent, eam, quoſdam perſeverantiam percepiſſe, ut niſi perſeverantes eſſe non poſſint.* Quis non videat, Maſſilienſes Auguſtini dictum de gratiis actualibus, in partem perſeverantiæ venientibus accepiſſe : Hilariumque motus illorum facilè ſedaturum, ſi illi Danielis interpretamentum veniſſet in mentem, quin Auguſtinum Epiſtolis fatigare neceſſe eſſet?

Neque aliter dictum accepit D. Proſper, quippè qui Magiſtrum per Epiſtolas rogat, ut oſtendat, *quomodò per iſtam præoperantem, & cooperantem gratiam, liberum non impediatur arbitrium.* Quod minùs appoſitè quæreretur, niſi Auguſtinum de actuali gratia locutum, pro certo haberet. Nemo enim adeò fuerit hebes, ut liberum arbitrium externa illa providentia lædi ſuſpicetur, qua quis poſt varios vitæ caſus, ac lapſus, tunc demùm ex hac luce eripitur, dum Deo, fide, & charitate conjunctus eſt.

Sed, quid interim Auguſtinus, ut dictis fidem afferat, & Maſſilienſium offenſionibus medeatur? Num fortè id a ſe de Dei providentia dictum reſpondit, qua varios vitæ caſus ita dirigit, ut electi, quidquid demùm accidat, nonniſi ſancto fine quieſcant? Audiamus. *Ut non diſcedamus a Deo*, inquit ille, cap. 7. de Dono perſeverantiæ, *oſtendit dandum eſſe nonniſi a Deo, cum poſcen-*

ſcendum oſtendit a Deo. Qui enim non infertur in tentationem, non diſcedit a Deo. Non eſt hoc omnino in viribus liberi arbitrii, quales nunc ſunt; fuerat in homine antequam caderet. Quæ tamen libertas voluntatis in illius primæ conditionis præſtantia, quantùm valuerit, apparuit in Angelis, qui, Diabolo cum ſuis cadente, in veritate ſteterunt, & ad ſecuritatem perpetuam non cadendi, in qua nunc eos eſſe certiſſimi ſumus, pervenire meruerunt. Poſt caſum autem hominis, non niſi ad gratiam ſuam Deus voluit pertinere .... ut homo non recedat ab eo. Nihil hìc de peculiari providentia, quamquam & ipſa perſeverantiæ pars magna ſit. Unus de gratia actuali ſermo eſt, quam ſcilicet Oratione Dominica poſtulamus, quamque *cap.* antecedenti ſanctiſſimus Doctor ex S. Cypriano Martyre his verbis exponit: *Quando autem rogamus ne in tentationem veniamus, admonemur infirmitatis, & imbecillitatis noſtræ, dum ſic rogamus, ne quis ſe inſolenter extollat, ne quis ſibi ſuperbè, & arroganter aliquid aſſumat, ne quis aut confeſſionis, aut paſſionis gloriam ſuam ducat, cùm Dominus ipſe humilitatem docens dixerit; Vigilate, & orate ne veniatis in tentationem; ſpiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma: Ut dum præcedit humilis, & ſubmiſſa confeſſio, & datur totum Deo, quidquid ſuppliciter cum timore Dei petitur, ipſius pietate præſtetur.*

IX. Si, quod Daniel de certitudine perſeverantiæ contendit, veritatem habet, conſequens erit, Latronis pœnitentis perſeverantiam, aliorumque benè plurium, qui extremis duntaxat vitæ metis admoti fidem catholicam amplectuntur, plenamque ſceleribus vitam mutant tùm fermè cùm deſerunt, ob id unum certitudinis, & indeficientiæ gaudere titulo, quòd ante converſionem ex hac luce erepti non ſint. En tibi, ſi Danieli fidem damus, quò demùm recidat *Magnum illud, & inæſtimabile*, ut Tridentina Synodus loquitur, *perſeverantiæ donum*. En quò demùm devolvatur *præſcientia illa, ac præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur quicumque liberantur. Lib. de Dono perſeverantiæ cap.* 14.

Clamat Theologus Molinianus, gratiam actualem nullam eſſe, cui non poſſit humana voluntas obſiſtere: nullaque idcircò ratione de gratia actuali accipi poſſe Auguſtini dictum, *ut divinâ gratiâ indeclinabiliter, & inſuperabiliter ageretur*. Antecedens do lubens, atque ut fidei caput agnoſco, ſi de poteſtate antecedenti (ut Schola loquitur) ſermo fiat. Neque aliud ſibi voluit Auguſtinus prægravi illa, atque nervoſa loquendi formula, qua conſequentem duntaxat reſiſtendi, ſeu gratiæ declinandæ, ac ſuperandæ poteſtatem inficiatur. Certè utì voluntatem humanam divinâ gratiâ *indeclinabiliter, & inſuperabiliter* agi docuit Auguſtinus, ita *im-*

mutabiliter moveri docuit D. Thomas *quæst.6. de Malo*, *art. unico ad* 3. pari omninò sermonis energia. Nec dubitandum, quin de actuali gratia sermonem instituat. Neque tamen idcircò sublatam voluit hominis libertatem: *Deus*, inquit, *movet immutabiliter voluntatem propter efficaciam virtutis moventis*, *quæ deficere non potest*: *sed propter naturam voluntatis motæ*, *quæ indifferenter se habet ad diversa*, *non inducitur necessitas*, *sed manet libertas*. Quid itaque sublatam verebimur humani arbitrii libertatem, si de gratia actuali Augustini sententiam accipiamus?

Ergo, instat ille, haud aliud sibi volunt, *indeclinabiliter*, *&* *insuperabiliter*, quàm *infallibiliter*: liberumque nobis erit, de infallibilitate, ex Scientiæ Mediæ directione suborta Augustinum interpretari. Spuria est consecutio. Infallibilitas enim ex Auxilii *indeclinabilitate*, ut ita loquar, *&* *insuperabilitate*, profectà, ex ipsa auxilii conditione, atque natura sobolescit, etsi nullum illi Scientiæ Mediæ lumen affulgeat. Augustinus porrò binis illis capitibus intimam ipsam adjutorii naturam expendit, nulla præfulgentis, ac dirigentis Scientiæ Mediæ injectà mentione. Præterea *adjutorii quo* status naturæ lapsæ efficaciam, & infallibilitatem astruit eo loci sanctissimus Doctor, quatenùs ab *adjutorio sine quo* status naturæ innocentis distinctum est: quamque uni indeclinabilitatem, & insuperabilitatem adjudicat, alteri negat. At si de infallibilitate ex Scientiæ Mediæ directione sobolescente, Augustinum intelligas, nihil eo in capite inter utrumque adjutorium discriminis intercedet; cùm, & ipsum *adjutorium sine quo*, Scientiæ Mediæ lumine præfulgente, effectum suum, si Molinianis fidem adjungimus, certissimè sortiatur: nec alia de caussa Deus falli nescius futuram Angeli, auxilio *sine quo* duntaxat instructi, perseverantiam certissimè noverit, quàm, quòd illam Scientiæ Mediæ lumine explorarit.

Neque movet, quod adjicit Theologus Molinianus: Voluntatis arbitrium excisum iri, si ea *insuperabilitas*, *& indeclinabilitas*, de qua loquitur Augustinus, efficaci, & actuali gratiæ tribuatur; quia sic in caussam antecedentem, quæ idcircò necessitatem inferet, refundetur. Sunt hæc Molinianæ Scholæ præjudicia, a Thomistis millies occupata; qui humanæ voluntatis arbitrium, quacumque suppositione antecedenti non tolli, multis evincunt; ac tum maximè, quòd a Deo totius libertatis fonte originem ducit: qualis illa profectò est, quæ ex gratia se ipsa efficaci, ac prædeterminante succrescit. Sic sanè Doctor Angelicus 1. *part. quæst.* 19. *art.* 8. ubi cùm hanc ipsam Danielis objectionem obviam sibi fecisset ordine tertio: *Illud*, *quod habet necessitatem ex priori*, *est necessarium absolutè*, *&c.* ita respondet: *Dicendum*, *quòd posteriora habent*

bent necessitatem a prioribus secundum modum priorum. Unde & ea, quæ fiunt a voluntate divina, talem necessitatem habent, qualem Deus vult ea habere, scilicet vel absolutam, vel conditionalem tantùm. Et sic non omnia sunt necessaria absolutè. Cui congruit illud D. Anselmi *lib. de Concordia cap. 1. Quoniam, quod Deus vult, non potest non esse; cùm vult hominis voluntatem nulla cogi, vel prohiberi necessitate ad volendum, vel ad non volendum, & vult effectum sequi voluntatem, tum necesse est voluntatem esse liberam, & esse, quod vult.*

De celeberrimo Augustini loco diximus paulò fusiùs, quàm Animadversionum ratio postulare videbatur. At eam nobis necessitatem imposuit inauditum Danielis paradoxum; quod is tamen adeò fidenter ostentat, ut contrarium statuentibus erroris notam affricare non vereatur. Neque enim alia de caussa, D. Augustini vindicias a nobis contra Launojum adornatas vellicare aggressus est, quàm quòd celebre sancti Doctoris dictum (*ut divinâ gratiâ indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur*) de actuali, & efficaci gratia interpretati, hanc ipsam *indeclinabilem, & insuperabilem* vocaverimus. At eandem poterat universis Thomistis calumniam importare, quibus hoc idem S. Augustini oraculum efficaci gratiæ accommodare familiare est. Poterat, & Clementi VIII. Pontifici Maximo eandem erroris notam inurere, qui gratiæ efficacis effectum certum, & infallibilem ostensurus articulo 10. celeberrimi scripti, hoc idem Augustini oraculum suo accommodat instituto: quod utique fecisset minùs appositè, nisi de gratia actuali locutum sanctissimum Præsulem, pro certò poneret, & indubitato. At sacrum caput humili veneno aspergere non est ausus: haud enim impunè tulisset.

Cæterùm num Augustinus geminis illis capitibus ad examen adductis viam ineat, Scholæ Thomisticæ, de gratia hominis innocentis, adversam, (quod ultimo tandem loco Daniel observat) (*Animadv. 39.*) data opportunitate expendemus.

XXXI.

LIBELLI SUMMA.

(*A pag.* 130. *ad* 134.) Nihil ab Augustino, de summa Dei in corda hominum potestate, supremoque in voluntates imperio dictum contendit, quod non æquè a gratiæ congruæ Defensoribus propugnetur, eoque cum dogmate conciliari perinde non possit.

ANIMADVERSIO.

Sit ita nec ne, videamus. Augustini hæc verba sunt, *capite 14. libri de Correptione, & Gratia : Cùm homines per correptionem in viam justitiæ seu veniunt, seu revertuntur, quis operatur in cordibus eorum salutem, nisi ille, qui quolibet plantante, atque rigante, & quolibet in agris, vel arbustulis operante, dat incrementum Deus; cui volenti salvum facere, nullum hominis resistit arbitrium?* Ut quid porrò Deo volenti nullum hominis resistit arbitrium? Reponet gratiæ congruæ vindex, quia Deus iis in circumstantiis vocat electos, quas congruentes fore certissimè novit, ut vocanti præstent assensum. Augustinus e contrà, non secùs ac gratiæ se ipsa victricis propugnatores, divinæ voluntatis omnipotentiæ totum istud adscribit; quod nulla ei voluntas tametsi libera possit obsistere, (potestate utique consequenti) illiusque efficaciam superare. *Sic enim*, subjungit ille, *velle, seu nolle in volentis, aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem .... Non est itaque dubitandum, voluntati Dei, qui* in cœlo, & in terra, omnia quæcumque voluit, fecit, *& qui etiam illa*, quæ futura sunt, fecit, *humanas voluntates non posse resistere, quominùs faciat ipse, quod vult : quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, cùm vult, facit. Nisi fortè (ut ex multis aliqua commemorem) quando Deus voluit Sauli regnum dare, sic erat in potestate Israelitarum subdere se memorato viro, sive non subdere, quod utique in eorum erat positum voluntate, ut etiam Deo valerent resistere. Qui tamen hoc non fecit, nisi per ipsorum hominum voluntates, sine dubio habens humanorum cordium, quò placeret, inclinandorum omnipotentissimam potestatem.*

Mirum, gratiæ congruæ Defensores ad suam illam exploratricem scientiam perpetuò confugere, ut Deus quando, & ubi res congruunt, homines vocet, ac tum maximè, dum consensuri vocationi prævidentur; ne, & ipsa vocationis gratia in irritum cadat : cùm ex adverso nonnisi ad omnipotentissimam potestatem confugiat Augustinus, quæcumque voluerit, quandocumque voluerit pro imperio certissimè facientem. Quid plura? Ex prævia illa congruentium circumstantiarum, ac futuri consensus exploratione oriri volunt Moliniani, cur liberum non lædatur arbitrium : Augustinus ex opposito sartam tectamque probat humani arbitrii libertatem, efficacissimà licèt gratià motam, quia *Deus* (quæ totius capitis clausula est) *magis habet in potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas.* Hoccine est, nihil ab Augustino de summa Dei

in corda hominum potestate, supremoque in voluntates imperio dictum esse, quod non æquè a gratiæ congruæ Defensoribus propugnetur?

Non absimilia ex aliis longè multis paris formæ, ac roboris, Augustini locis, argumenta exeri possunt, si non leviter, ac defunctoriè perstringantur, sed severiori trutina pensitentur.

In Enchiridio ad Laurentium cap. 98. Quis tam impiè desipiat, ut dicat, Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere? Id dicant necesse est, qui irritam vocationem fore putant, nisi exploratis in antecessum congruis circumstantiis fiat. Ac per hoc alteri Augustini dicto repugnant, *lib. de Gratia, & Lib. Arb. cap. 20.* Hominum voluntates *ita esse in Dei potestate, ut eas, quò voluerit, quando voluerit, faciat inclinari.*

Libro de Prædestinatione Sanctorum cap. 8. Hæc itaque gratia, quæ occultè humanis cordibus divinà largitate tribuitur, a nullo duro corde respuitur. Quorsum ita, si consulas Molinianos, nisi quia sub congruis circumstantiis tum maximè datur, cùm consensurus certissimè prævidetur? Longè aliter Augustinus: quia videlicet gratia ipsa prævenienti efficacitate duritiem cordis aufert, ne dissentiat. *Ideo quippè tribuitur,* inquit ille, *ut cordis duritia primitùs auferatur.*

Capite 10. *libri* ejusdem: *Quando promisit Deus Abrahæ in semine ejus fidem gentium, dicens*: Patrem multarum gentium posui te: *unde dicit Apostolus*, Ideò ex fide, ut secundùm gratiam firma sit promissio omni semini: *non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit. Promisit enim, quod ipse facturus fuerat, non quod homines: Quia etsi faciant homines bona, quæ pertinent ad colendum Deum; ipse facit, ut illi faciant, quæ præcepit; non illi faciunt, ut ipse faciat, quod promisit: Alioquin ut promissa Dei compleantur, non in Dei, sed in hominum est potestate.* Pone nunc fidei gratiam, ex liberi arbitrii, sub opportunis circumstantiis constituti, prævisо consensu efficaciam obtinere; fidem gentium, nec de sua prædestinatione, nec de sua potestate promittet Deus, sed de sua præscientia, ac de hominum voluntate: cùm ex prævisо voluntis assensu, *ex innata* (ut Molina loquitur) *libertate futuro*, indifferentis, atque versatilis vocationis determinatio pendeat, sine qua in irritum vocatio recidet: nec jam secundùm gratiam firma erit promissio, sed secundùm opportunitatem circumstantiarum, a quibus gratia firmitudinem obtinebit.

Libro de Gestis Pelagii cap. 3. Procul dubio plus est agi, quàm regi: qui enim regitur, aliquid agit, & a Deo regitur, ut rectè agat.

agat. Qui verò agitur, agere aliquid ipse vix intelligitur: Et tamen tantùm præstat voluntatibus nostris gratia Salvatoris, ut non dubitet Apostolus dicere: Quotquot spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei. Quibus paria habet *libro de Corrept., & Gratia* cap. 2. Profectò qui gratiam naturâ ipsâ versatilem assensu suo efficacem reddit, ob congruentes loci, ac temporis circumstantias, multum agere intelligitur; nec tam ipse agitur, quàm regatur.

Libro de Dono perseverantiæ cap. 6. Tutiores vivimus, si totum Deo damus; non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus. Quod alibi sæpiùs inculcat, nimirùm *cap. 13. ejusdem libri, & in Enchiridio cap. 32.* Totum autem Deo non datur, nisi in hypothesi gratiæ per se ipsam efficacis, quæ sola voluntatis humanæ consensionem, & operæ collationem operatur in nobis. Ex adverso, in hypothesi gratiæ congruæ, Deo nos ipsos ex parte, & nobis ex parte committimus: cùm det ille gratiam, cujus efficaciam ex nostræ voluntatis assensu suspenditur.

Libro de Gratiâ, & Libero Arbitrio cap. 21. Agit omnipotens Deus *in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat, quod agere ipse voluerit, qui omninò injustè aliquid velle non novit*. At quî quæso, fieri potest, ut gratia se ipsa versatilis, ex motu, seu assensione voluntatis efficaciam expectans, ipsum etiam voluntatis motum, atque assensum operetur in nobis? Cùm enim non agat gratia nisi ex efficacia; qua forte fieri potest, ut eum ipsum motum agat, ex quo suspenditur efficacia?

Libro 4. ad Bonifacium cap. 9. Oramus ergo non solùm pro nolentibus, verùm etiam pro repugnantibus, & oppugnantibus. Quid ergo petimus, nisi ut fiant ex nolentibus volentes, ex repugnantibus consentientes, ex oppugnantibus amantes? A quo nisi ab illo, de quo scriptum est: Præparatur voluntas a Domino? Quas fundant preces gratiæ congruæ Defensores, haud satis scio: id tamen certum, si ex doctrinæ principiis orare velint, id illos Deum maximè rogaturos, ut opportunas locorum, ac temporum occasiones probè captet, genium exploret, consideratè, ac circumspectè cuncta disponat: quod ni fecerit, nunquam volentes ex nolentibus faciet, nunquam ex oppugnantibus amantes, nunquam ex repugnantibus consentientes. Jam si tales illi preces fundere solent, a Deo ergo utì cuncta sciente petunt, non ut a primo rerum principio, supremoque Domino, voluntatem nostram quò voluerit, quando voluerit, pro nutu, atque arbitrio inclinante; atque ita in actu religionis exerendo, a supremi dominii recognitione, quæ religionis maximè propria est, procul abeunt.

LI-

XXXII.

LIBELLI SUMMA.

(*A pag.* 134. *ad* 142.) Semipelagianos in usu Scientiæ Mediæ à Molinianis toto cælo distare probat : I. quòd illi ad præscientiam bonorum, malorumve operum, quæ pueri mundo sublati, si diutiùs viverent, edidissent, confugere soliti essent, ut illos ex meritis prædestinatos, aut reprobatos ostenderent : Moliniani non item ; II. Quòd illi conditionatam, ut Schola loquitur, peccatoris conversionem prævideri a Deo dicerent, non ex gratia, sed ex naturæ penu futuram : isti longè aliter.

ANIMADVERSIO.

Ludit, illuditque vir Molinianus suis servandis finibus nimis intentus. Quasi verò id unum in Semipelagianis damnaverit Augustinus, quòd Deum bonorum, malorumve operum, quæ pueri, si diutiùs viverent, edidissent, rationem habere dicerent, ut illos idcircò prædestinaret, ac reprobaret : ac non etiam illud alterum exsufflarit, quod ipsis cum Molinianis commune erat, Deum nempè hæc ipsa opera uti futura prævidisse? Quid itaque sibi vult *lib.* 2. *ad Bonifacium cap.*7. dum ait : *Quomodò præscivit ea futura, quæ, illis in infantiâ morituris, quia præscientia illius falli non potest, præscivit potiùs non futura?* Quid dum *cap.* 14. *de Prædestinatione Sanctorum*, vulgare Sapientiæ dictum exponens, ita habet : *Dictum est secundùm pericula vitæ hujus, non secundùm præscientiam Dei, qui hoc præscivit, quod futurum erat, non quod futurum non erat* : Quid dum *lib.* 1. *de Anima cap.* 12. scribit : *Quomodò rectè dicitur præsciri futurum, quod non est futurum?* Quid denique Prosper fidus Augustini Discipulus, sibi voluit, dum illud Semipelagianorum somnium Magistro narravit, destinatâ ad ipsum Epistolâ : *Quia præterita non extant, futura, quæ non sunt futura confingunt, novoque apud illos absurditatis genere, & non agenda præscita sunt, & præscita non acta sunt?*

Demus itaque Molinianos haud ita turpiter sua illa abuti Scientia Media, ut prædestinari, ac reprobari parvulos dicant, bonorum, malorumve operum prævisione, quæ si adultam ætatem attingerent, edidissent : suos tamen a Semipelagianis nec planè segregat fervidus Actor, nec satis Augustino consociat, nisi aut Semipelagianis Scientiam Mediam ignotam ostendat, aut eam Augustino probatam evincat. Qua de re nihilominùs toto illo articulo nihil

nihil habet. Nec imprudenter. Quis enim scientiam illam exploratricem, divinis decretis prælucentem, Semipelagianis ignotam esfutire audeat, quibus familiare proloquium erat apud Faustum totius sectæ Coryphæum *lib. 2. de Gratia, & Libero Arbitrio capp. 3. 6.*, & 7. *Nisi præscientia exploraverit, prædestinatio nihil decernit?* Quod de futuris non absolutis, sed conditione suspensis dictum agnoscit Franciscus Suarez *Tractatu de Prædestinatione cap. 6.* Num verò opera bona explorari a Deo dicerent Massilienses, non ex gratia, sed ex natura; quod secundo loco Molinianus Scriptor obtendit, ex Divo Prospero discimus, data ad Augustinum Epistola, ubi hanc illorum professionem esse ait, quam ab antiquis Patribus haustam temerè jactabant. *Penè omnium par invenitur, & una sententia, qua propositum, & prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt; ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuscujusque præviderit, &* SUB IPSO GRATIÆ ADJUTORIO, *in qua futurus esset, voluntate, & actione præscierit.* Et paulò suprà, sub initium Epistolæ, id eos sentire narrat: *Qui autem credituri sunt, quive in ea fide, quæ deinceps per Dei gratiam sit juvanda, mansuri sunt, præscisse ante mundi constitutionem Deum; & eos prædestinasse in regnum suum, quo* GRATIS VOCATOS *dignos futuros electione, & de hac vita bono fine excessuros esse præviderit.* Cui succinit Doctor Angelicus 1. *part. quæst.* 23. *art.* 5. Semipelagianorum errorem ita referens: *Fuerunt alii, qui dixerunt, quòd merita sequentia prædestinationis effectum, sunt ratio prædestinationis: ut intelligatur, quòd ideò Deus dat gratiam alicui, & prædestinavit se ei daturum, quia præscivit eum* BENE USURUM GRATIA.

(*Vide Animadv.* 3.) Cæterùm Augustinum Scientiæ Mediæ non abusum duntaxat, sed, & usum data opera confutasse, parco pluribus ostendere. Non modò quia nihil ea de re, hoc ipso, quem eventilamus, articulo, disputat Theologus Molinianus, unde ad eam telam retexendam invitemur: verùm etiam, quia adnotationum, quas adornamus, conditio non patitur, ut tanti moliminis opus aggrediamur. Theologos Salmaticenses, Lemosium, Alvaresium, Gonetum, Contensonium, Jueninum, Massoulieum adeat, quisquis eo delectatur argumento.

Unum intactum præterire non possum, quod Daniel præ cæteris observari vult, ut se suosque a Semipelagianis procul abire demonstret: Deum scilicet, ut ait, ex Scholæ Molinianæ sententia, bonum gratiæ usum ex conditione futurum certissimè quidem prævidere, *nequaquam tamen propter hujuscemodi bonum usum*, gratiam impartiri. Ita profectò habet Ludovicus Molina *quæst. 23. art.* 4., & 5. *disp.* 1. *mem.* 11. *conclusione 6.* At quo sensu ista

ista dicantur, apertè significat hoc ipso in loco, §. *Illud addendum*, ubi sic scribit : *Quamvis Deus alligatus non fuerit usui liberi arbitrii prævisio, aliisve circumstantiis ex parte adulti prædestinandi, ut hoc, vel illo modo illi providere, ac opitulari constitueret, potuisse tamen ad circumstantias, & ad usum respicere; decensque, ac rationi valdè consentaneum fuisse, ut id ita faceret : in multisque re ipsa ad multa respexisse, constituendo aliqua propter circumstantias, & usum prævisum, quæ alioquin non constituisset.* Quo ex loco intelligere facile est, bonum usum liberi arbitrii ex æternitate prævisum, caussæ quidem, si penes Molinam fides est, aut etiam conditionis vim non habere, qua Deus strictò veluti jure ad conferendam gratiam adigatur : ex decentia tamen, rationique congruente incitamento, Deum ad eandem impartiendam gratiam invitare. Quod certè Semipelagiano luto haud leviter adhæ-rescit. Unde & hunc universæ Tractationi colophonem apponit : *Ut universim, quoad hactenùs dicta, quasi minorem quamdam propositionem subsumamus, unde nostrum institutum concludamus: quæ auxilia, & dona confert Deus in tempore* PROPTER ALIQUEM BONUM USUM LIBERI ARBITRII ANTECEDENTEM; *& quæ peccata permittit, aut quam pœnam aliam infligit propter malum arbitrii usum antecedentem; eadem ex æternitate conferre, permittere, aut infligere statuit propter eundem bonum, aut malum usum prævisum futurum ex hypothesi, quòd hunc, vel illum ordinem rerum condere vellet. Illud etiam, quod ad exaltationem, laudem, & honorem Christi, sanctissimæque illius Matris spectat, mihi videtur admodùm verisimile, sacratissimis eorum duorum animabus, non solùm excellentiora dona Deum conferre decrevisse, sed etiam easdem prævidisse meliùs, quàm cæteras,* PRO SUA INNATA LIBERTATE USURAS SUO ARBITRIO; *eaque ratione in tantam dignitatem potiùs quàm cæteras electas fuisse.* Quæ Molinæ verba Danielis observationem falsi convincunt.

XXXIII.

LIBELLI SUMMA.

Augustinum a Molinianæ Scholæ partibus stare probat. I. Quòd scientiam futurorum, quæ conditione suspensa sunt, Deo vindicet *lib.* 22. *de Civitate Dei cap.* 1. ubi futurum Luciferi, & Adami lapsum Deo, antequam illos creare decerneret, notum ostendit. Et *libro de Correptione, & Gratia cap.* 8. ubi Deo perinde exploratum ait, justos longè multos, si diù viverent, esse casuros.

II. Quòd Deum ea in decretis edendis, futurorum notitia dirigi doceat, iis ipsis in locis.

III. Quòd *lib.* 1. *ad. Simplicianum quæst.* 2. phrases istas interserat; gratiam congruam fronte veluti præferentes. *Quamvis multi uno modo vocati sint, tamen quia non omnes uno modo affecti sunt, illi soli sequuntur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei .... Igitur non volentis, nec currentis, sed miserentis est Dei, qui hoc modo vocavit, quomodo aptum erat eis, qui secuti sunt vocationem .... Si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut & moverentur, & intelligerent, & sequerentur .... Illi electi, qui congruenter vocati: illi autem, qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non secuti, quamvis vocati .... Etsi multos vocet, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est, ut sequantur .... Cujus miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat .... Cùm ergo alius sic, alius autem sic moveatur ad fidem, eademque res sæpe aliò modo dicta moveat, alio modo dicta non moveat; aliumque moveat, alium non moveat; quis audeat dicere, Deo defuisse modum vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque conjungeret, in qua Jacob justificatus est?* Quibus illum alterum Augustini pannulum assuit, ex *cap.* 14. *libri de Dono perseverantiæ: Ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus, vel audiant verba, vel signa conspiciant.*

ANIMADVERSIO.

Eadem semper oberrat chorda, domesticæ Scholæ præjudiciis occupatus. Et quis, quæsò, futura conditione suspensa, quæ re ipsa futura sint (utì Adami, ac Luciferi lapsus) Deo ignota commentus est ùnquam? Tota, quo medio dignoscantur Thomistas, inter ac Molinianos controversia vertitur: iis, quidem decretum, quo futura fiant, si bona sunt, aut quo permittantur, si mala sint, statuentibus; istis circulationes nescio quas, decreto quolibet, ut dignoscantur ablegato, pro sua cujusque minerva, quæritantibus. Utri feliciùs Augustini mentem attingant, ex hisce illius sententiis disce, queis futura solâ eorumdem prædestinatione, atque decreto sciri, constantissimè docet, *libro de Prædestinatione Sanctorum cap.* 9. cùm Semipelagianos illud arrodere animadverteret, quod *libro de sex Quæstionibus Paganorum* scripserat, *quæstione* 2. *Tunc voluisse Christum hominibus apparere, & apud eos prædicari doctrinam suam,*

quando

quando sciebat, & ubi sciebat, qui in eum fuerant credituri: quasi hanc illorum scientiam decretum omne avertentem, futurique consensus exploratricem admisisset, difficultatem hoc brevi responso occupat: *Cernitisne me sine præjudicio latentis consilii Dei, aliarumque caussarum, hoc de præscientia Christi dicere voluisse?* Quibus satis innuit, nullam se istiusmodi scientiam agnovisse; sed eam duntaxat, quæ latenti divinæ voluntatis consilio subnixa sit. Eodem *libro cap.* 10. *Prædestinatione sua Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus.* Tum *cap.* 17. *lib. de dono persever. An fortè nec ipsa dicunt prædestinata? Ergo nec dantur a Deo, aut ea se daturum esse nescivit. Quòd si, & dantur, & ea se daturum esse præscivit; profectò prædestinavit .... Si nulla est prædestinatio, quam defendimus, non præsciuntur a Deo: præsciuntur autem: hæc est igitur prædestinatio, quam defendimus.* Ac demùm *cap.* 18. *Deum prædestinasse est, hoc præsciisse, quod fuerat ipse facturus. Tractatu* 68. *in Joannem*: *Fecit ergo* ea futura *prædestinando, facturus est operando.* Quæ omnia iisdem fermè verbis leguntur lib. de *Prædestinatione SS. cap.* 17. 18.

Quamquàm, quid juvat multa congerere, ut Augustinum procul ab usurpanda scientia illa decretum antevertente, futurique consensus, ac boni libertatis usus exploratrice, demonstremus: cùm ob id maximè Doctori sanctissimo Molinianæ Scholæ primipilus insultet, quod supina illius ignoratione Ecclesiam turbarit, virosque non paucos eruditione, ac pietate præcipuos imprudenter offenderit? *Intereà*, inquit ille, 1. *p. quæst.* 23. *art.* 4. *disp.* 1. *mem.* 6. *sub ea caligine D. Augustinus ad hoc non attendit*; prædestinationem scilicet ex præscientia usus liberi arbitrii factam esse. Et in Concordia non longè a fine, post explicatum Scientiæ Mediæ arcanum: *Nos pro nostra tenuitate, rationem totam conciliandi libertatem arbitrii cum divina gratia, præscientia, & prædestinatione, quam tota hac quæstione tradidimus, sequentibus principiis, ex quibus eam deduximus, quæque variis in locis tradidimus, inniti judicamus. Quæ si data, explanataque semper fuissent, fortè neque Pelagiana hæresis fuisset exorta .... neque ex Augustini opinione, concertationibusque cum Pelagianis, tot fideles fuissent turbati, ad Pelagianosque defecissent; facileque reliquiæ illæ Pelagianorum in Gallia, quarum in Epistolis Prosperi, & Hilarii fit mentio, fuissent extinctæ: ut patet ex iis, in quibus homines illos, cum Catholicis convenisse, & ab eis dissensisse, eædem Epistolæ testantur: concertationes denique inter Catholicos facilè fuissent compositæ.*

Si qua igitur futurorum scientia in decretis edendis regitur Deus, non illa utique decretum quodcumque prævolat, sed suo quo-

que decreto subnixa est. Quod ni ponas, non futura sub conditione res erit, sed merè possibilis reputabitur. At de his recole, quæ diximus *Animadversione* 24. Ubi haud aliam Deo necessariam scientiam, quæ condendis decretis præfulgeat, demonstravimus, quàm, quæ *simplicis intelligentiæ* a viris de Schola dicitur; qua se nimirum, suamque omnipotentiam comprehendit: simulque perpendimus, an, & quo sensu, ex Augustini mente præscire dicatur Deus, justos aliquos, si diutiùs viverent, esse casuros.

Illud nobis in præsentia severiori criterio examinandum, quod tanta pompa ex 2. *Quæstione libri* 1. *ad Simplicianum* explicat Theologus Molinianus. Qua in re illud primùm mirari subit, omnes illum ingenii nervos intendere, ut Augustinum gratiæ, ac vocationis congruæ partibus addicat, a quibus illum, quàm longissimè abfuisse monuit Societatis maximum sydus Franciscus Cardinalis Toletus, uti, & sese ab hocce commento professus est alienissimum. Locum integrum tametsi oblongiorem exscribere lubet, ex 54. *Annotatione in cap.* 5. *Lucæ*, ubi de Matthæi vocatione instituto sermone, D. Chrysostomi sententiam congruæ vocationi speciei adsaventem expendit. *Huic doctrinæ adversari videtur, quod ipsemet Paulus de sua vocatione ad Galatas* 1. scripsit: Cùm placuit ei, qui me segregavit ab utero matris meæ, & vocavit per gratiam suam, ut revelaret in me filium suum, ut evangelizarem illum in gentibus, continuò non acquievi carni, & sanguini. *Non dicit Paulus, quando novit me obediturum, sed quando illi placuit, qui per gratiam me vocavit. Non expectat Deus semper arbitrium nostrum; quia sua gratia ipsum excitat, ipsique dat velle, & perficere, & qui etiam rebelles convertit, & compellit voluntates. Tunc ergo vocavit, quando illi placuit, & si ante vocasset, utique respondisset, & obtemperasset. Non ergo ratio, aut tempus vocationis hujus, & similium referri debet in hominis arbitrium, sed in Dei beneplacitum, cui sic visum est, sicque disposuit. Potest autem intelligi Chrysostomus sic; tunc vocasse discipulos, quando sciebat illos obtemperaturos, nimirum per ipsius gratiam. Sciebat enim, quando ipse operaturus erat in eis, ut obtemperarent vocanti, & tunc vocavit, nisi sic intelligas, doctrinam non probo. Nec solùm doctrinæ huic Chrysostomi in hac parte non consentio, sed contrariam omninò veram existimo; nimirùm tunc vocasse discipulos multos, & præsertim Matthæum, quando plùs erant impediti, magisque detinebantur, ne venirent; sic Petrum, & Andream vocavit, quando retia mittebant in mare, nec expectavit, ut jam essent missa, nec prævenit antequam mitterentur; sed dum mittebant, hoc enim majus adferebat impedimentum; sic Paulum vocavit, quando in via erat, nec prævenit pro-*

fectio-

fectionem ejus, priusquam accepisset literas a summo Sacerdote, & vocavit, dum opus fervebat, minùsque ad obsequendum paratus erat; sic nunc Matthæum vocat, non antequam sederet, sed dum ad ipsum telonium sedebat, & ipsi operi incumbebat; in hoc enim virtus vocantis magis clarescit, & magnitudo gratiæ revelatur; minùsque homo de sua virtute, meritisve potest præsumere TOTUS EST AUGUSTINUS IN HAC DOCTRINA, *quam in hac parte probo*.

Neque minùs admiratione dignum, quod in astruenda congrua vocatione præsidium fermè omne mutuetur ex libris ad Simplicianum, ab Augustino juvene, ante subortam Pelagianam hæresim adornatis, quibus Bellarminus Societatis lumen alterum, hoc ipso in capite authoritatem ademit; tanquam doctrinam, libris aliis maturiori ætate contra Pelagianos, ac Massilienses exaratis, contrariam continerent. *Augustinus*, inquit ille *lib.* 2. *de Gratia*, & *Lib. Arb. cap.* 15. *cùm scripsit libros ad Simplicianum, adhuc juvenis erat, neque multa invenerat in hac difficillima quæstione, quæ postea majori diligentia investigavit, & reperit*. Tum laudatis nonnullis sanctissimi Præsulis sententiis ex *Epistola* 194. *ad Sixtum*, & *Epistola* 186. *ad Paulinum* excerptis: *Vides*, inquit, *quàm aliter sapiat Augustinus senex, quàm Augustinus juvenis? Nam senex scripsit ad Sixtum, & Paulinum, juvenis ad Simplicianum*. Cui quidem purpurati Scriptoris censuræ nihil officit, quod Augustinus ipse *lib.* 2. *Retractationum cap.* 1., *libro de Prædestinatione Sanctorum cap.* 4., & *lib. de Dono perseverantiæ cap.* 21. æmulos ad libros Simpliciano inscriptos identidem mittat, sanam illic, castamque sententiam percepturos. Perspicuum quippè est, id non universim a sanctissimo Præsule factum, sed occasione duntaxat liberalis ad gratiam vocationis, ac necessariæ ad initium fidei Dei gratiæ, quam, jam tunc divina revelatione perfusus, priori ad Simplicianum libro, defenderat. *Videant*, inquit, *utrùm in libri primi posterioribus partibus, eorum duorum, quos mei Episcopatus initio, antequam Pelagiana hæresis appareret, ad Simplicianum Mediolanensem Episcopum scripsi, remanserit aliquid, quo vocetur in dubium, gratiam Dei non secundùm merita nostra dari; & utrùm ibi non satis egerim, etiam initium fidei esse donum Dei*. Imò nonnulla se minùs limatè, minùsque circumspectè hoc ipso in libro posuisse, haud obscurè innuit, dum adjicit, se *proficienter Deo miserante scripsisse, non tamen a perfectione cœpisse*. Quare quod attinet subtiliores gratiæ controversias, de ipsis Augustini libris, ante Pelagianam hæresim adornatis, hoc idem citra invidiam dici potest, quod is de veterum Patrum opusculis observavit, *cap.* 14. *libri de Prædestinatione Sanctorum*: *Quid igitur opus est, ut illo-*

illorum scrutemur opuscula, qui priusquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem, in hac difficili ad solvendum quæstione versari: quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur?

Utcumque tamen se res habeat, Augustinum ad Simplicianum scribentem, totum in ære suo temerè jactat Molinianus Disputator. Quamquam enim diminutè, minùsque limatè scripserit juvenis, haud tamen abscessit a vero: quæque de congrua vocatione insinuavit identidem, alio planè sensu accipi voluit, quàm quo nunc a Molinianis accipitur. Et quidem Augustinum, de externa duntaxat vocatione congrua disputare, quæ signis, verbis, ac miraculis fiat; non de interna, quæ secretiori divinæ gratiæ illustratione, atque excitatione præstatur, nemo negaverit. Ea quippè vocationis exempla ponit, quæ externum duntaxat excitamentum plus satis innuunt. *Nathanael*, inquit *Lib. 1. ad Simplicianum q. 2. unam sententiam, quam ab illo Christo audivit, respondit*: Rabbi, tu es Filius Dei..... *Miraculo facto in Cana Galilææ, crediderunt in eum Discipuli ejus..... Multi nec suscitatis mortuis crediderunt. De cruce, atque morte ejus conterriti etiam Discipuli titubarunt, & tamen Latro tunc credidit, cùm eum non præstantiorem videret in operibus, sed consortio crucis æqualem. Unus etiam de numero Discipulorum post ejus resurrectionem, non tam viventibus membris, quàm recentibus cicatricibus credidit: Multi ex eorum numero, a quibus crucifixus est, qui videntes eum miracula facientem contemserant, Discipulis eum prædicantibus, & in nomine ejus talia facientibus crediderunt...... Eadem res sæpe alio modo dicta movet, alio modo dicta non movet*. Nihil hìc præter signa, miracula, verba memorat Augustinus. Si itaque vocationem hanc, ob id unum in electis congruam, aptam, idoneam, convenientem censuit Augustinus, effectumque in iis sortiri existimavit, quòd illorum genio, inclinationi, ac nativis affectibus planè respondeat; consequens est, Augustinum hæresim putidissimam docuisse: solam nimirùm vocationem externam, gratia interna penitus ablegata, ad conversionem, & fidem abundè sufficere.

Quid ergo? De convenientia, aptitudine, congruitate, quam facit gratia, non natura, intelligendus est Augustinus. Ita scilicet, ut ex tam multis eodem modo externè vocatis, vocantem nonnulli sequantur, quia in eis interna divinæ gratiæ vis pios illos cordis affectus operatur, queis vocationi capiendæ idonei, aptique fiant. Nec alio sensu, Deum electos suos ita vocare contendit sanctissimus Doctor, quomodò scit eis congruere, ut sequantur, vocantemque non respuant, quàm quòd gratiæ suæ vim, & efficaciam probè norit, qua fit, ut illis vocatio congruat, eidemque ipsi consentiant.

Hanc

Hanc ipsam esse S. Augustini mentem, eandemque gratiam congruam, qualis a Molinianis asseritur, hoc ipso, qui nobis objicitur loco confutasse liquet, egregia illa, ac præclara sententia, qua totam fermè illam quæstionem absolvit. *Quis habet in potestate tali viso attingi mentem suam, quo ejus voluntas moveatur ad fidem? Quis autem animo amplectitur aliquid, quod eum non delectat? Aut quis habet in potestate, ut vel occurrat, quod eum delectare possit, vel delectet cùm occurrerit? Cùm ergo nos ea delectant, quibus proficiamus ad Deum, inspiratur hoc, & præbetur gratia Dei, non nutu nostro, & industria, aut operum meritis comparatur: quia ut sit nutus voluntatis, ut sit industria studii, ut sint opera charitate ferventia, ille tribuit, ille largitur.* Certè si nullus habet in potestate sua, ut eum delectet, quod menti occurrerit, dum vocatur ad fidem; non est igitur in hominis potestate, ut vocatio congrua sit; cùm nisi delectet, congrua esse non possit. Si autem id in hominis potestate non est, non igitur a genio, & a nativis affectibus pendet: nihil enim tam in hominis potestate est, quàm, quod a genio, ac nativis affectibus pendere dicitur. Rursùs, si divina præstatur gratia, ut vocatio ipsa delectet, divina perinde præstatur gratia, ut congrua sit; ideò quippè delectat, quia congruit. Juxta quod *lib. 2. de Peccatorum meritis, & remissione cap.* 17. scriptum est: *ut autem innotescat, quod latebat, & suave fiat, quod non delectabat, gratia Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates.* Denique si nutum ipsum voluntatis largitur gratia, suam a nutu voluntatis efficaciam sortiri non potest, quantumcumque locorum, ac temporum adjuncta sint congrua: cùm nutum non operetur, nisi ut efficax.

Quod igitur a Molinianis systema defenditur, ab Augustini hypothesi longè distat: nec ab eo nisi vocabuli similitudinem mutuatur, qua paulo fidentiùs abutuntur, ut illudant. Vocatio quippè, de qua disserit Augustinus, in electis congrua meritò nuncupatur, quia hanc ipsis efficacissima gratiæ vis aptam, & idoneam facit; pro cupiditatis superandæ mensura charitatem impartiens, ut terrenus amor cœlesti amore pellatur: quo nihil humanæ infirmitati congruum magis. *Quid enim debet esse jucundius, vel infirmis gratia, qua sanantur, vel pigris gratia, qua excitantur, vel volentibus gratia, qua juvantur? Epist.* 106. At vocationem congruam nuncupant Moliniani, qua nulla magis incongrua, & dignitati gratiæ, & infirmitati naturæ.

Eundem fermè sensum habet, quod ex *cap.* 14. *libri de Dono perseverantiæ* petitum est: ac nisi benigniori interpretamento emolliatur, purum putumque Pelagianismum sonabit: cùm non nisi *naturale intelligentiæ munus, & congrua signa, vel verba* desidera-

re

re videatur sanctissimus Doctor, ut quis moveatur ad fidem? De externa itaque suadendi, movendique vi, quæ verbis, ac miraculis inest, loquitur Augustinus; qua homines ingenio valentiores, *objectivè* duntaxat, ut Schola loquitur, excitantur: ita tamen, ut iners externa illa vocatio maneat, nisi oculto efficacis gratiæ dono trahantur ad fidem. Unde subjungit e vestigio: *Et tamen si Dei altiori judicio a perditionis massa non sunt gratiæ prædestinatione discreti, nec ipsa eis adbibentur, vel dicta divina, vel facta, per quæ possent credere, si audirent utique talia, vel viderent.*

XXXIV.

LIBELLI SUMMA.

(*A pag.* 161. *ad* 170.) Difficilem gratiæ se ipsa efficacis cum humana libertate concordiam probat, raucida illa, tritaque argutia, quam vertit in omne latus: *Gratia se ipsa efficax, ut à suis Defensoribus ponitur, ipsa sui natura intimum cum voluntatis assensu nexum babet: igitur tam impossibile est non sequi voluntatis assensum, quàm res suà ipsarum naturà, ac proprietatibus exui: buic itaque gratiæ resisti non potest*. Addit, Thomistas, ut eo se laqueo liberent, & Tridentinæ Synodi Canonem quartum sessionis sextæ elidant, distinctionem *sensus compositi, & divisi*, ab annis centum excogitasse: quam etsi intelligentià se non assequi fateatur, oppugnare tamen instituit.

ANIMADVERSIO.

De his cumulatè dictum *Animadversione* 14. ubi congenitam virtutis alicujus efficaciam, ejusque cum effectu infallibilem ex ipsa sui natura connexionem, unà cum motæ voluntatis indifferentia, ejusque in partem alteram potestate cohærere, disertissimis exemplis demonstravimus. Jam si quid valent Danielis argumenta, ut gratiæ se ipsa efficacis energia resistendi potentiam submoveri, itaque ita libertatem extingui probet; pari omnino argumentandi forma concludet, Christum Dominum (hæc enim exempla posuimus Animadversione 14.) Scriptores Canonicos, Prædestinatos ad regnum, ipsos gratia congrua vocatos, & excitatos, resistendi potentia, ac libertate decollari.

In congerendis Scholæ Thomisticæ distinctionibus non hærebo, queis futilem illam, ac tritam Danielis argutiam elevant, dum gratiæ se ipsa efficaci negari consensum, eidemque resisti posse respon-

spondent, *potentia antecedenti, non consequenti; potentia possibilitatis, non futuritionis; capacitatis, non positionis; in actu primo, non actu secundo; simultate potentiæ, non potentia simultatis*. Quarum omnium distinctionum explanationes eò recidunt, ut expeditam non agendi facultatem, gratiæque obsistendi, negandique consensus potentiam retineat homo, quantacumque efficaci gratià moveatur; etsi nunquam reipsa contingat, ut obsistat, negetque consensum.

Una me, tot interdistinctiones, solicitum habet, quæ ab importuno Cavillatore sugillatur: qua nimirùm gratiæ se ipsa efficaci resisti posse contendunt, *in sensu diviso, non in sensu composito*: cujus quidem eadem fermè, quæ cæterarum explicatio est. Id quippè sibi volunt unum, resistendi potentiam cum gratia se ipsa efficaci cohærere, sic tamen, ut dissensus cum efficaci gratia componi re ipsa non possit: uti planè, qui sedet, standi potentiam tenet quidem, tametsi sedere, ac stare conjunctim, impossibile sit.

Minùs se in veterum Theologorum lectione versatum prodit, qui distinctionem hanc, a Thomistis recentioribus, ut Tridentinæ Synodi decretum eliderent, excogitatam effutit: ac veluti Thebanæ Sphingis ænigma ab eruditorum intelligentia, sensuque disjunctum, ludis, ac facetiis excipit. Comprimendæ dicacitati, Scholæ Principes laudare sat erit, ætate primos, eruditione summos, authoritate præcipuos; qui hanc ipsam *sensus compositi, ac divisi* distinctionem, jam tum ab annis ante Tridentinam Synodum ampliùs quadringentis usurparunt, pari omninò verborum forma, eodemque planè sensu, quo in præsentia a Thomistis accipitur: ut videlicet divinæ præscientiæ indeficientiam, decretorumque, atque auxiliorum efficaciam, cum humana libertate conciliarent.

Hugo a S. Victore, qui duodecimo ineunte sæculo Scholas, & Ecclesiam illustravit, *Quæst.* 218. *in Epistolam ad Romanos*, proposita quæstione, An præscientia necessitatem eveniendi inferat rebus futuris, hanc sibi objectionem obviam facit: *Si Deus præscivit aliquid futurum, illud non potest non evenire, & si hoc est, necessariò eveniet, quidquid* Deus *præscivit*: Cui e vestigio respondet: *Solutio communis hæc est. Hæc, & similia possunt* PER CONJUNCTIONEM, ET DISJUNCTIONEM EXPONI. SENSUS CONJUNCTIONIS HIC EST: *Si Deus prævidit, necesse est evenire; idest, non potest simul esse utrumque, ut Deus prævideat, & non eveniat. Et sic est verum.* DISJUNCTIONIS SENSUS HIC EST, *hoc futurum non potest aliter evenire, quàm eo modo, quo evenit, & quàm sit prævisum. Et hoc est falsum.* Quid aliud Thomistæ recentiores in ore habent, dum gratiæ se ipsa efficaci resisti posse affirmant in sensu diviso, composito negant?

Magister Sententiarum Hugoni ætate haud multùm inferior, *lib.* 1. *dist.* 38. objectæ sibi difficultati, num res evenire aliter possit, quam a Deo præscita fuerit, ita respondet: *Possunt hæc* CONJUNCTIM INTELLIGI, *ut conditio sit implicita, & DIS-JUNCTIM. Si enim ita intelligas, non potest aliter fieri, quàm Deus præscivit; id est, non potest utrumque simul esse, scilicet, quod Deus ita præsciverit fieri, & aliter fiat; verum intelligis. Si autem per disjunctionem intelligas, ut dicas, hoc aliter non posse evenire, quàm evenit, & quomodo futurum Deus præscivit, falsum est. Hoc enim aliter potest evenire, quàm evenit, & tamen Deus hoc modo futurum præscivit. Similiter, & alia determinatio, scilicet impossibile est, illud non evenire, quod Deus præscivit, vel cùm Deus præsciverit. Si conjunctim intelligas, verum dicis; si disjunctim, falsum.*

Et *distinctione* 40. exponens, quo sensu propositiones illæ veræ, aut falsæ sint: *Prædestinatus potest, vel non potest damnari, & reprobus potest salvari*; hac ipsa utitur distinctione: *Alia fit*, inquit, *intelligentia, si per* CONJUNCTIONEM *hæc accipiantur dicta, atque si per* DISJUNCTIONEM .... *Si enim cùm dicis, prædestinatus non potest damnari, & intelligas ita, idest, non potest esse, ut prædestinatus sit, & damnetur, verum dicis, quia conjunctim intelligis; falsum autem, si disjunctim: ut si intelligas istum non posse damnari, quem dico prædestinatum, potuit enim non esse prædestinatus, & ita damnaretur.* An-non porrò synonyma ista sunt: sensus compositus, & divisus; & sensus conjunctus, & disjunctus?

S. Thomas, *quæst.* 6. *de Veritate art.* 4. *ad* 8. *Hæc propositio, Deus potest non prædestinatum prædestinare, vel prædestinatum non prædestinare*, IN SENSU COMPOSITO EST FALSA, IN DIVISO VERA. *Et ideo omnes locutiones illæ, quæ sensum compositum implicant, sunt falsæ simpliciter.*

Prima parte quæst. 14. *art.* 13. *ad* 3. *Hæc propositio, omne scitum a Deo necessarium est esse; consuevit distingui, quia potest esse de re, vel de dicto. Si intelligatur de re, est divisa, & falsa, & est sensus, omnis res, quam Deus scit, est necessaria. Vel potest intelligi de dicto; & sic est composita, & vera, & est sensus, hoc dictum, scitum a Deo esse est necessarium.* Quibus gemina sunt, quæ habet *lib.* 1. *contra Gentes cap.* 67.

Nec distinctionem tantùm, sed, & rectum distinctionis sensum aperuit Doctor Angelicus, *quæst.* 23. *de Veritate, art.* 5. *ad* 3. ne perperam, ut ab æmulis sæpè fit, accipiatur. *Quamvis non esse effectus divinæ voluntatis, non possit simul stare cum divina voluntate, tamen potentia deficiendi effectum simul stat cum divina vo-*

lun-

luntate, non enim sunt ista incompossibilia, Deus vult istum salvari, & iste potest damnari: sed ista sunt incompossibilia, Deus vult istum salvari, & iste damnatur. Et in 1. *ad Annibaldum dist.* 47. *quæst. unica, art.* 4. ad 2. *Quamvis contrarium ejus, quod est volitum a Deo non possit stare cum voluntate divina, possibilitas tamen ad contrarium potest stare cum ea, propter contingentiam caussæ mediæ, & hoc sufficit ad hoc, quod effectus sit contingens, & non necessarius.* Quibus non absimilia leguntur, *qu.* 6. *de Veritate art.* 3. *ad* 7.

Ægidius Romanus D. Thomæ Aquinatis auditor, in 1. Sent. dist. 38. quæst. unica de infallibilitate scientiæ Dei, in responsione ad 4. argumentum. *Omne scitum a Deo,* inquit, *esse necessarium, si propositio intelligatur* COMPOSITE', *vera est necessitate conditionata: sed si intelligatur* DIVISIM, *non est vera; eo quòd res contingens secundùm suam consideratа naturam, vel pro ut in suis caussis, non relata ad cognitionem, potest evenire, & non evenire.*

(*Pag.* 169.) En tibi planè *recens illud*, ut loquitur Daniel, *Prædeterminantium effugium, ad eludendum Tridentinæ Synodi Canonem excogitatum, vanam illam subtilitatem, facilemque cavillationem*: en, inquam, ante annos fermè sexcentos, a summis Scholæ Magistris in usus adhibitam; ac ipso etiam sensu, quod mirandum magis, quo nunc a Thomistis accipitur, & ad finitimas difficultates eliquandas.

At inquit Daniel, cujus palato distinctio ista non sapit, stantis, atque sedentis hominis exemplo paulò ante laudato, firmata: Quod gratia se ipsa efficax cum dissensu stare non possit, ab ipsa efficacis gratiæ natura venit, non ab arbitrio voluntatis: igitur resistendi potentiam adimit gratia, nedum actum. E contrà verò, impotentia standi dum sedeo, libera mihi est; quia liberam originem habet, liberam scilicet sessionem: liberè quippè sedi, ac liberè sedeo; quo ex uno fit, ut stare non possim.

Egregium Disputatorem, cui sacer Theologorum Chorus venerabundus assurgat! Quidni, si sic est, laudatos Scholæ Principes hacce argutia insectatur: Quod æternæ prædestinationis decretum, cum electi hominis damnatione stare non possit, ex ipsa decreti divini natura venit, ejus videlicet lumine falli nescio, atque immoto proposito, non ex arbitrio voluntatis humanæ: igitur incurrendæ damnationis potentiam adimit prædestinatio, nedum actum? Quidni etiam Concellitas suos istà similis formæ argumentatione compellit? Quòd gratia congrua cum dissensu, seu renisu voluntatis stare non possit, sin minùs ex ipsa per sese gratiæ natura venit, saltem ex ipsa congruitate originem ducit, non ex arbitrio voluntatis:

quòd enim gratia congrua sit, inquiunt illi, quòd opportunis occasionibus detur, quòd genio, ac temperamento respondeat, quòd placeat, ac delectet, a voluntate non est; juxta illud Augustini *lib.* 1. *ad Simplicianum*, *quæst.* 2. *Quis habet in potestate, ut vel occurrat, quod eum delectare possit; vel delectet, cùm occurrerit?* Igitur resistendi potentiam adimit gratia congrua, nedum actum. Viden', ut se suis retibus implicat Molinianus Disputator?

Quare objecti sophismatis consecutio neganda est. Quia tametsi dissensionis, & efficacis gratiæ conjunctio repugnet, ob ipsam efficacis gratiæ naturam cum effectu indivulsè conjunctam; ea nihilominùs efficacis gratiæ natura est, ut voluntatem, relicta obsistendi potestate, *indeclinabiliter*, *&* *insuperabiliter* moveat: parique virtute *delectabilem perpetuitatem*, *&* *insuperabilem fortitudinem largiatur*: *Lib. de Correp.*, *&* *Gratia cap.* 8., *&* 12., Unde tam liberè amat homo sub efficaci gratiâ constitutus, quàm liberè sedet quicumque sedet: non quòd amandi sibi caussa sit, ut sedendi; sed quia qui sacri amoris author est Deus, liberum amandi modum inspirat; nec mihi magis liberum accidit, quod a me ipso venit, quàm quod ab illo mihi datum est, qui *magis habet in potestate voluntates hominum quàm ipsi suas. Cap.* 14.

Quominùs id intelligentia assequantur Moliniani, in caussa est, quòd falsò sibi persuadeant, omnem suppositionem antecedentem, unde effectus indeclinabiliter sequitur, libertatem extinguere. Nec satis advertunt, suppositionem antecedentem ex ipso libertatis fonte manantem, & ex infinita primæ caussæ, cæteras omnes juxta cujusque naturam, ac modum præmoventis virtute prodeuntem, libertatem non offendere, sed profundere, uti suprà Animadversione 30. planum fecimus. Hinc Scholæ Angelus, 1. part. quæst. 19. art. 8. *Cùm voluntas divina sit efficacissima, non solùm sequitur quòd fiant ea, quæ Deus vult fieri, sed quòd eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult.* Et *in Responsione* ad 2. *Ex hoc ipso, quòd nihil voluntati divinæ resistit, sequitur, quòd non solùm fiant ea, quæ Deus vult fieri, sed quòd fiant contingenter, vel necessariò, quæ sic fieri vult.*

XXXV.

LIBELLI SUMMA.

(*A pagina* 170. *ad* 173.) Ad gratiam sufficientem divertit Author, unde istud adversus gratiam se ipsa victricem argumentum elicit a Lectoribus, ut enixè rogat, seriò perpendendum. Quemadmodùm, inquit, gratia efficax a se ipsa, cum voluntatis assen-

su ex

ſu ex natura ſua conjuncta eſt, ita gratia inefficax cum diſſenſu indivulsè conjungitur: igitur ſi gratiæ efficaci diſſentiri non poteſt, inefficaci aſſentiri non poterit. Igitur, qui hac una inefficaci gratia excitantur, implendorum mandatorum impotentia laborant, peccant invicta neceſſitate, ac demum libertate ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ requiſita deſtituuntur.

ANIMADVERSIO.

Eſt hoc jam dudum rubigine telum exeſum, in Danielem, cæteroſque gratiæ congruæ Defenſores nullo negotio retorquendum. Gratia enim inefficax, ſeu, ut Molinianorum ore loquar, merè ſufficiens, ſub iis circunſtantiis homini data, ſub quibus Scientiæ Mediæ lumine præviſus eſt diſſenſurus, cum diſſenſu indivulsè conjungitur, ſin minùs ex ipſa ſufficientis gratiæ natura, ſaltem ex circunſtantiarum importunitate, Scientiæ Mediæ lumine falli neſcio in anteceſſum explorata: igitur ſicut gratiæ, ſpectata circunſtantiarum opportunitate prævifa, in actu ſecundo diſſentiri homo non poteſt; ita inefficaci, merèque ſufficienti, ſpectata ex adverſo circunſtantiarum importunitate, aſſentiri non poterit: atque hinc cætera ab Daniele contra nos deducta incommoda conſequentur.

Merum igitur ſophiſma eſt Danielis argumentum, tametſi ſemotis ſtrophis, atque ambagibus, de conſequenti duntaxat aſſentiendi, ac diſſentiendi poteſtate ſermonem faciat. Aliter enim gratia per ſe efficax cum voluntatis aſſenſu ex natura ſua conjungitur, quàm inefficax gratia cum diſſenſu ex natura ſua conjuncta ſit. Ea quippè cum voluntatis aſſenſu ex natura ſua conjungitur, quia voluntatis aſſenſum indeclinabiliter, & inſuperabiliter operatur: iſta cum diſſenſu indivulsè conjuncta eſt, non quòd illum ullo pacto operetur, & faciat, (quis enim ita deſipiat, ut gratiam ſibi fingat, quæ ad diſſentiendum ipſimet gratiæ voluntatem inducat?) ſed quòd virtute tanta, & energia non polleat, ut voluntatis aſſenſum eliciat. Quapropter quòd efficaci gratiæ voluntas in actu ſecundo, ut Schola loquitur, & in ſenſu compoſito diſſentiri non poſſit, ex gratiæ natura venit, tanquam germana, veraque cauſſa, aſſenſum efficaciter operante. At quòd inefficaci gratiæ voluntas eadem in actu ſecundo aſſentiri non poſſit, non a gratia oritur utì cauſſa, ſed a vitio, & infirmitate naturæ, quæ nudis illis excitationibus illecta, ſatis non habet virium, ut integrum illis præſtet aſſenſum.

Si qua itaque implendi præcepti impotentia laborat, quominùs illud implere completè poſſit, impleatque re ipſa, quandiù ſolis inefficacibus gratiis excitatur, hæc vitio hominis naſcitur, alitur-

que;

que; adeòque culpa non vacat. (*Vide animadv. 6.*) Nascitur, inquam, hominis vitio, quia corruptæ naturæ vitio fit, ut satis ad assentiendum integrè, virium non habeat, donec potentioribus præsidiis adjuvetur: alitur, & vitio, quia non nisi culpæ hominis deputatur, quòd sufficientibus auxiliis excitato, efficacia auxilia denegentur, quæ assensum indubitanter elicerent. Quod qua ratione, quove pacto contingat, exponit Doctor Angelicus *Q.Q. de Malo* docens: Ex indispositione hominis provenire, ut motio primi moventis perfecta non sit, aut ita perfectam operationem producat: quæ indispositio, vel est præcedens peccatum, vel est error, aut ignorantia, vel saltem inadvertentia; propter quorum aliquod motio Dei moventis sufficienter ad bonum, non fit ita efficax, ut perfectam in homine operationem producat. Quæ omnia relata ex culpa hominis sunt. 3. vero *contra Gentes cap.* 159. Hæc habet: *Licèt aliquis per motum liberi arbitrii, divinam gratiam, nec promereri, nec acquirere possit; potest tamen se ipsum impedire, ne eam recipiat.* Unde D. Augustinus *lib.* 1. *Retractationum cap.* 15. *Qui cogenti cupiditati bona voluntate resistere non potest, & ideò facit contra præcepta justitiæ, jam hoc ita peccatum est, ut sit etiam pœna peccati.*

Si qua etiam homini, efficaci gratia destituto peccandi necessitas inest, hæc non invicta putanda est, sed vincenda; non physica, sed moralis; non antecedens, sed consequens; non imposita, sed quæsita vitio voluntatis humanæ; neminemque idcircò a peccato liberum facit. Quia, ut mirè loquitur Augustinus *lib. de Perfectione justitiæ cap. 6. sola hominis voluntate factum est, ut ad istam necessitatem veniret, quam sola hominis voluntas superare non potest.*

XXXVI.

LIBELLI SUMMA.

(*A pag.* 174. *ad* 180.) Decretorium argumentum ex Apostoli oraculo petitum 1. *ad Corinth.* 4. *Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* quo gratiæ congruæ systema petitur, duplici responso declinare nititur. Ne enim concedere compellatur, habere hominem a se ipso voluntatis assensum, ac nutum, deque illo gloriari præ alio posse: Reponit I. Hominem, in hypothesi gratiæ congruæ, prævenienti inspirationi non assentiri sine gratiæ cooperantis, & adjuvantis auxilio. II. Hominem in semetipso gloriari non posse; quia divinæ misericordiæ fuit, quòd ipsi iis in circunstantiis gratia conferretur, in quibus prævisus

visus est consensurus: nec posse inflari præ alio, cùm & alius divinæ inspirationi pariter consensisset, si hanc illi Deus menti, ac genio congruentem opportuna occasione largitus esset.

ANIMADVERSIO.

Quin iis responsis imprudentum ora subliniat, nullus dubito: at num ea perinde probaturi sint, quibus Moliniani systematis arcana rimari datum est, haud satis scio. Non assentiri hominem, inquit ille, prævenienti inspirationi sine gratiæ adjuvantis auxilio: bene est; at ipsos etiam Massilienses, discretionem unius ab alio, a libero arbitrio petiisse, *sub ipso* tamen *gratiæ adjutorio*, testis est D. Prosper, data ad Augustinum *Epistola*. Id igitur erat a Moliniano Theologo declarandum, an prævenienti inspirationi assentiatur vi, & efficacia gratiæ adjuvantis; alioquin in liberum refundetur arbitrium. Et certè qua forte, si jactis principiis stare velit, vi, & efficacia adjuvantis gratiæ, assensum elici dicet; cùm ipsam gratiæ efficaciam, a voluntatis sub congruis circunstantiis constitutæ consensu, pendere contendat? Maximè verò cùm, ipso Suaresio judice, *lib.* 3. *Opusculorum cap.* 5. *n.*4. Illa etiam gratiæ adjuvantis, & cooperantis *voce indicatur quædam simultanea conjunctio voluntatis, & gratiæ adjuvantis ad eundem actum, vel actionem, ad quam mutuò cooperari dicuntur; ita ut sub ea ratione neutra alteram antecedat*, VEL IMPELLAT; *sed solùm simul operentur*.

Ad hæc, gratia cooperans seu adjuvans ex Molinianæ Scholæ decreto, se ipsa indifferens est, atque versatilis. Qua porrò ratione fieri potest, ut ab indifferenti principio, voluntatis humanæ determinatio, quæ nutu, & assensione posita est, originem ducat? Et quidem, si Molinianis fidem adjungimus, quibus divina decreta se ipsis indifferentia, (*Lege Animadv.* 26.) & ex liberi arbitrii consensione suspensa fingere lubet, gratia cooperans determinatè non influit, nisi polita liberi arbitrii determinatione, qua indifferens Dei decretum determinari necesse est. Discretionem igitur consentientis a dissentiente non facit gratia cooperans, sed supponit; quandoquidem is ab isto, non nisi liberi arbitrii determinatione secernitur. Sanè cùm influxus gratiæ cooperantis, ex ejusdem Scholæ decreto, pendeat ab influxu liberi arbitrii, ut re ipsa sit; adeò ut si liberum arbitrium velit, gratia concomitans influxum habeat; si nolit, non habeat: profectò gratia concomitans non dat bonum usum libero arbitrio, sed vice versa liberum arbitrium dat usum, & exercitium gratiæ cooperanti: atque ita prima discretionis origo a libero arbitrio repetenda venit.

(*Vide Animadv.* 21) Insuper Theologiæ Molinianæ principium est,

est, gratiam adjuvantem, & cooperantem solo nomine a præveniente distingui, nil novi, quod a Deo veniat, superaddere, sed ob unam, quæ supervenit liberi arbitrii consensionem eo titulo cohonestari. Quid aliud igitur sibi volunt, dum hominem prævenienti inspirationi, gratiæ adjuvantis, & cooperantis auxilio, assentiri respondent; nisi posita præveniente gratia, utrique ex æquo communi, alterum nativis viribus assentiri, quin novi quidpiam a Deo, quod assensum operetur, acceperit? hoc scilicet est, quod misso verborum fuco, rotundo ore significat Ludovicus Molina 1. *par. quæst.* 23. *art.* 4., & 5. *disp.* 1. *mem.* 11. §. *Deinde. Sint duo homines justi, animo, & corpore, cæterisque adjunctis per omnia pares, ponamusque Deum constituisse, eodem prorsùs modò utrique ex parte sua opitulari, ac providere. Tunc oblata utrique eadem peccandi occasione ex aspectu ejusdem mulieris pulchræ, pro sola innata libertate utriusque fieri potest, ut unus in peccatum consentiat, alter minimè, sed se ipsum cobibeat.* Ac ne nobis gratiam suam adjuvantem obtrudat Daniel, uni præ altero datam, cujus ope consensum præstet homo, seque discernat, circulationes illas occupat Molina *quæst.* 14. ar. 13. disp. 37. §. *Illud, Ab inæquali conatu, & influxu liberi arbitrii provenire potest, ut conferente Deo duobus hominibus* ÆQUALE AUXILIUM GRATIÆ ADJUVANTIS, *unus eorum intensiùs operetur, meliùsque se disponat ad gratiam justificantem, quàm alius: & ut conferente eisdem inæqualia auxilia, æquè operentur, aut is interdùm plus, qui minori suffultus est auxilio.*

Dicat modò, si potis est, caussæ deperditæ Procurator, discretionem unius ab alio, divinæ gratiæ beneficio fieri, juxta domesticæ Scholæ principia: stabit inconcussa Augustini sententia *libro de Prædestinatione Sanctorum cap.* 5. *Gratia, quæ bonos discernit a malis, non est communis bonis, & malis.*

Difficultatem ex celebri illo Apostoli dicto petitam nihilo meliùs expendit secunda responsio 1. Quia Augustinus *lib.* 12. *de Civit. Dei cap.* 6. facta duorum hominum hypothesi, quos eadem tentatio pulsat, unum ab altero reportatâ victoriâ discretum contendit, tametsi affectibus corporis, & animi pares essent: at potissimæ circumstantiæ a quibus gratiæ congruitas pendere dicitur, eæ profectò sunt, quæ in variis corporis, & animi affectionibus positæ sunt: eæ si quidem internæ censentur, intimiùsque cum exrendo voluntatis assensu conveniunt, quàm cæteræ quæcumque externæ ex temporis, & loci natura petitæ. Unius igitur ab altero discretionem a circumstantiis, in quibus confertur gratia, non repetit Augustinus. *Si enim duo aliqui*, inquit, *æqualiter affecti animo, & corpore videant unius corporis pulchritudinem, qua visa unus*

unus eorum ad illicitè perfruendum moveatur, alter in voluntate pudica stabilis perseveret, quid putamus esse caussæ, ut in illo fiat, in illo non fiat voluntas mala? Quæ illam res fecit, in quo facta est? Neque enim pulchritudo illa corporis; nam eam non fecit in ambobus: quandoquidem amborum non dispariliter occurrit aspectibus. An caro intuentis in caussa est? cur non & illius? An verò unius? cur non utriusque? Ambos enim, & animo, & corpore æqualiter affectos fuisse prædiximus. An dicendum est, alterum eorum occulta maligni spiritus suggestione tentatum, quasi non eidem suggestioni, & qualicumque suasioni propria voluntate consenserit? &c. Tum paucis interjectis propositæ difficultati respondet: *Si eadem tentatione ambo tententur, & unus ei cedat, atque consentiat, alter idem, qui fuerat, perseveret; quid aliud apparet, nisi unum voluisse, alterum noluisse a castitate deficere?* Deo scilicet id per gratiam operante, ut nollet malum, & in castitatis bono perseveraret; juxta inconcussum illud Augustini principium: *Certum est nos velle cum volumus, sed ille facit, ut velimus bonum, de quo dictum est*: Præparatur voluntas à Domino... *Certum est nos facere cùm facimus; sed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati. Libro de Gratia, & Libero Arbitrio cap. 16.*

II. Tametsi divinæ misericordiæ dicatur esse, quod cuipiam iis in circunstantiis gratia conferatur, in quibus prævisus est consensurus; unius tamen ab altero discretio meritoria, ab illo venire censenda est, unde consensus ipse prævisus est oriturus. Tota enim merentis a non merente discretio in assensu posita est; nec eo præcisè titulo meretur homo, quòd gratiam recipiat, sed quod receptæ gratiæ fideli consensione respondeat. (*Vide Animadv.* 21.) Porrò Deus lumine Scientiæ Mediæ, assensum gratiæ præstitum, *ab innata libertate futurum* dicitur prævidisse. Discretio itaque meritoria ab innata libertate proficisci censenda est, in hypothesi congruæ vocationis.

III. Quantumcunque gratia congrua supponatur, opportunis occasionibus detur, genioque naturali respondeat; naturâ tamen sua indifferens, atque versatilis dicitur esse, donec eam voluntatis assensus ad certum effectum determinarit, ac fixerit; quo certè voluntatis actu meritum stat. Non itaque a gratiæ congruitate succrescet merentis a non merente discretio, sed ab ipso voluntatis assensu, indifferentem gratiam firmante, ac definiente.

IV. Ideò oblatæ gratiæ consentit homo, seque ab altero non consentiente discernit, quia hæc ipsi apprimè congruit: rursùs ideo maximè congruit, quia complexioni, affectui voluntatis, genioque naturali respondet: erit itaque prima consensionis, ac discre-

tionis ratio à genio naturali, complexione, ac voluntatis affectibus repetenda.

Erit fortè, qui dicat, non a genio naturali per se se, sed a proportione, concentuque gratiæ cum genio repeti oportere. At perperam prorsùs, & incassum. Aut enim ea genii cum gratia proportio, atque conjunctio, talis, tantaque est, ut certum cum voluntatis assensu nexum habeat, aut non. Si non; fieri ergo quandoque poterit, ut ex duobus æqualis omnino genii affectus, & complexionis, quibus ejusdem proportionis, atque concentus gratia præstò erit, unus præstet assensum, neget alter: quo casu unius ab altero discretio, nec a gratia, nec ab ejus cum genio proportione repetetur. Quod enim utrique commune est, unum ab altero non discernit. Si talis e contrario, tantaque proportio illa est, ut certissimam cum voluntatis assensu habeat conjunctionem; in idem læsæ libertatis incommodum recidunt Moliniani, quod in gratiæ se ipsa victricis Defensores perpetuò regerunt, dum ex positione antecedenti, unde effectus certissimè consequatur, libertatem violari conqueruntur. Ea quippè proportio assensum penitùs antecedit.

Neque juvat, si ad Scientiæ Mediæ lumen confugeris. Non enim gratiæ congruitas, seu ejusdem cum voluntatis assensu intima, certaque conjunctio ab ipsa Scientia Media originem ducit: sed contrà potiùs ipsa Scientiæ Mediæ certitudo, atque infallibilitas, ex hujusce conjunctionis, ac proportionis certitudine pendet. Idcircò enim Deum certò scire contendunt recentiores, hominem in hujusmodi circunstantiis divinæ gratiæ consensurum, quia is ex innata libertate infallibiliter consensurus est; nec suum scientia illa facit objectum, sed contemplatur.

V. Nemo in ordine supernaturali discerni ab alio potest, nisi per id, quod ad ordinem supernaturalem attineat: si enim naturam discretio superat, ab eo profectò debet esse, quod naturam excedat. Circunstantias autem omnes, a quibus congruitas gratiæ pendere dicitur, complexionem, genium, temperamentum, locum, tempus, cæteraque adjuncta ad naturæ ordinem attinere, nemo non videt: qui igitur fieri poterit, ut ab iis discretio unius ab alio, de qua loquitur Apostolus, repetatur?

VI. Natura obedientiæ duntaxat potestatem habere dicitur, ad ea, quæ intra gratiæ ordinem continentur. Sic fidei, spei, & charitatis actus, pro gratiæ duntaxat mensura pensantur, a qua una majorem, minoremve perfectionem sortiuntur; nihil ad id conferentibus naturæ dotibus. Hinc a Doctore Angelico, 1. part. quæst. 12. art. 6. divinum lumen beatis mentibus infusum, una, ac sola visionis beatæ mensura ponitur, nativâ intellectûs perspicaciâ nihil

ad

ad augendam, minuendamve visionis perfectionem conferente: ita nimirùm, ut e duobus æquali lumine gloriæ perfusis, nihilo meliùs Deum videat, cui nativum acumen ingenii majus est. Ut quid itaque naturæ genium, complexionem, temperamentum, cæteraque adjuncta locorum, & temporum obtrudere liceat, quæ gratiam nobis efficacem, & congruam faciant; ut æqua in duobus gratiæ mensura, pro vario cujusque temperamento, effectum sortiatur, aut cedat irrita?

XXXVII.

LIBELLI SUMMA.

(*A pag.* 181. *ad* 190.) Ictum alterum molitur avertere, quo gratiæ congruæ Defensoribus conflatur invidia; quasi gratiam libero arbitrio subditam ponant, eandemque voluntatis motum sequi velint. Id a vero perinde abesse contendit, seu de præveniente, seu de cooperante gratia objiciatur. De præveniente quidem id falsum esse ait, quia hanc ex Molinianæ Scholæ sententia, nutu duntaxat suo, ac liberali voluntate largitur Deus, nullo liberi arbitrii conatu, nullo voluntatis actu, quo hujus recipiendæ dignus evaserit, provocatus. De cooperante idipsum nihilo verius esse contendit. Quia Deus cooperantis gratiæ beneficio assensum unà cum voluntate operatur in nobis, quin illum ad eam nobis largiendam, inducamus. Idcircò mittendam, inquit, invidiosam illam loquendi formulam Semipelagianis familiarem, sed a suorum ore, ac mente remotissimam, qua gratia *arbitrio subdita* dicitur: nec exprobrandum gratiæ victricis oppugnatoribus, quòd gratiam voluntati subjiciant; sed quòd voluntatem divinæ gratiæ liberè assentiri dicant, eidemque sic obsequi velint, ut ejus tamen inspirationem abjicere possit. Quæ illi probra patienter, ac etiam cum gaudio ferunt, in Augustinum perinde, & Tridentinam Synodum recidentia.

ANIMADVERSIO.

Danielem verba dare, cùm hanc nobis suorum professionem ostentat, ne gratiam arbitrio subdere videantur, Animadversione 21. cumulatissimè demonstravimus. Unum dictis adjiciam, ut cuique perspicuum fiat, gratiam arbitrio subditam, ex Molinianæ doctrinæ principiis nedum fluere, sed hanc ipsam loquendi formulam, aliasque multò crudiores ab ejusdem Professoribus usurpari.

Suarez *in Opusculis lib.* 3. *cap.* 12. *n.* 7. Gratiam prædeterminantem cum libertate conciliari non posse, hac observatione probare nititur: *Hoc diceretur quidem rectè, si illud auxilium positum in voluntate, subderetur usui libero ejus, non autem sic ponitur, sed potiùs subdens voluntatem usui necessario ejus*. Gratiam igitur efficacem libero arbitrio subditam dici amat, qui eo maximè nomine physicam prædeterminationem exsufflat, quod hæc libero non subdatur arbitrio.

Lessius *Tractatu apologetico de Gratia cap.* 4. *n.* 16. *Fatendum est, Deum certissimè præscire, ad quam actionem voluntas creata se sit determinatura, & quem concursum habitura ex hypothesi illa generali*, SI CONCURSUM MEUM IN EJUS POTESTATE POSUERO. Et cap. 18. n. 1. *Ut auxilium dicatur habere efficaciam in actu secundo, expectat consensum voluntatis*, CUJUS USUI SUBEST, *ita ut hæc efficacia ab usu voluntatis quodammodo pendeat*.

At fossam fidentiùs transiliunt recentiores. Unus instar omnium sit Christophorus de Orthega, qui fusiori non ita pridem hoc de argumento calamo scripsit. *Controversia* 3. *de Decreto, disp.* 2. *quæst.* 4. *Certamine* 3. ita Deum decernentem inducit: *Decerno concurrere ad actionem etiam pravam, vel ejus oppositam, vel non concurrere ad illam pro libito voluntatis creatæ: id est, meam illi omnipotentiam ad concurrendum, vel non concurrendum extrinsecùs præparo*, SUBDOQUE, *ut ea utatur creata voluntas, non secùs atque habitibus infusis, quos ad actus supernaturales ipsi inhærentes immitto*. Tum Certamine 4. n. 6. *Deus decreto suo activitatem omnipotentiæ suæ applicat*, AC SUBDIT ARBITRIO VOLUNTATIS CREATÆ ..... *Et cum ea sibi applicata*, ATQUE ARBITRIO SUO SUBDITA, *activitate omnipotentiæ utitur*. Subinde *num.* 7. *Deus suæ omnipotentiæ activitatem, & virtutem activam creatæ voluntatis arbitrio*, AC LIBERÆ DETERMINATIONI SUBDIT. Tandem *disp.* 3. *quæst.* 2. *Certam.* 1. *n.* 5. *Certam.* 2. *n.* 1., & *Certam.* 4. *n.* 4. ita prolixam disputationem absolvit: *Deus voluntatis suæ, seù quod idem est, omnipotentiæ suæ activam ad extrà virtutem, quoad usum applicat creatæ voluntati, ut ea sicut habitu sibi infuso utatur, ut diximus: nec concursum suum aliter voluntate sua prosequi, ac præparare debet, aut potest*. Quas assertiones publico Decreto a nobis aliàs in integrum dato, proscripsit Innocentius XI. die 23. Novembris anni 1679. (*Augustinus vindic. pag.* 364.)

Cæterùm, quòd voluntatem divinæ gratiæ liberè assentiri doceant Moliniani, sartumque tectumque velint Tridentinæ Synodi Canonem, quo liberum arbitrium motum, & excitatum a Deo

dissen-

dissentire posse si velit, definitum est; tantùm abest, ut id eis vitio dent Scholæ Thomisticæ Professores, ut potiùs ab ipsis violatum Canonem conquerantur, dum liberum arbitrium gratiâ se ipsa victrici lædi contendunt. Nec injuriâ. Dum enim Calvini assertionem proscripsit Synodus Tridentina, (*liberum arbitrium motum, & excitatum a Deo non potest dissentire si velit* :) eam utique proscripsisse censenda est, quo sensu a Calvino propugnabatur; aliàs Calvinum minimè peteret, in cujus tamen damnationem conspiravit. At hæc de gratia se ipsa efficaci a Calvino proferebatur, cui uni liberum arbitrium dissentiri non posse contendebat *lib.* 2. *Institutionum cap.* 3. nec adeò profectò stipes erat, ut hominem nudis, ac meris excitationibus obsistere non posse, propugnaret. Itaque in Tridentinæ Synodi Canonem impingunt, qui gratia se ipsa efficaci libertatem ita lædi fabulantur, ut liberum arbitrium eâ motum, & excitatum dissentire non possit.

Et verò dum assentiendi necessitatem ex gratiæ se ipsa efficacis positione colligebat novæ reformationis Architectus, aut consequentiam ex antecedenti rectè fluere censuit Tridentina Synodus, aut ex illo perperam derivari existimavit : si rectè derivari, ac fluere censuit, quid, quæsò, intacto antecedenti, in unam consequentiam censuram exercuit? si minùs fluere, ac derivari existimavit; quî, quæsò, læsam arbitrii libertatem, gratiæ se ipsa efficacis hypothesi, ad ravim usque Moliniani vociferantur?

Non itaque Molinianis succensemus, quòd liberi arbitrii jura sarta, tectaque velint, ac de tuendis sacræ Synodi sanctionibus soliciti videantur : sed quòd positos limites prætergressi, illud nos Augustini dictum usurpare compellant : *Vos inimici, & defensores liberum arbitrium defendendo perimitis, quod ad suos limites revocari omnipotentis, & veri defensoris bonitate non vultis*, *lib.* 3. *Operis imperfecti contra Julianum cap.* 104.

XXXVIII.

LIBELLI SUMMA.

(*Apag.* 190. *ad* 197.) Tertium ictum declinare tentat, quo nimirùm gratiæ se ipsa efficacis oppugnatores in jus vocantur, quasi Deum moraliter tantùm ad assensum eliciendum concurrere doceant, non item physicè. Quocirca tria reponit. I. Id a Thomistis duntaxat objici ait, physicæ prædeterminationis, a Bannesio non ita pridem excogitatæ, propugnatoribus; non ab aliis gratiæ se ipsa efficacis defensoribus, queis physica prædeterminatio non sapit, quique gratiam efficacem in sola mentis illustratione, ac vo-

voluntatis excitatione constituunt. II. Deum etiam in Molinianorum hypothesi physicè concurrere ait ad voluntatis assensum: tum quòd gratia præveniens, atque operans, qua Deus, & mentem illuminat, & excitat voluntatem vero, reali, ac physico planè modo id agat: tum quòd gratia cooperans voluntatis assensum, cæterosque animæ motus verè omninò, realiter, ac physicè producat unà nobiscum. III. Thomistis insultat, quòd voluntatis assensum *divinæ gratiæ tribuendum omninò* dicant: utque, quid ea loquendi formula sibi velint, semotis ambagibus proferant, adhortatur.

ANIMADVERSIO.

Num physicam prædeterminationem Bannesius excogitarit, nihilve doctrina hæc cum Augustino, Doctore Angelico, ac priscis Scholæ Magistris commune habeat, diligentiùs expendere, non est præsentis instituti, & otii. (*S. Thomas sui interpr.*) Legendum ea de re duntaxat moneo eruditissimum æquè, ac piissimum Patrem *Antonium Massoulié*, qui constans illud Scholæ Thomisticæ dogma spisso volumine propugnavit, & ab æmulorum insultibus egregiè defendit. Hunc ubi Daniel firmis momentis, ac rationibus confutaverit, liberum demùm faciam, ut Thomisticæ Scholæ dogma facetiis, ac salibus ludat. At erit ille mihi, si id egerit, magnus Apollo.

Videor certè mihi alio in mundo versari, dum in hæc Danielis responsa oculos flecto. Quasi verò soli Molinianos hoc telo petant Thomistæ prædeterminationis physicæ defensores! At Jansenius ipse, ad quem nos paulò antè Daniel provocavit, quique utì in propugnanda gratia se ipsa victrici, ita in oppugnanda Thomistica prædeterminatione, multorum agmen ducit, hac ipsa ratione Molinianos exagitat, qua Thomistæ nostrates. Imò gratiam in statu naturæ lapsæ physicè prædeterminantem agnoscit unà cum suis, totaque virium contentione defendit; dummodò necessitas ejus non aliundè, quàm ex vitiatæ naturæ infirmitate repetatur. Postquam enim physicam prædeterminationem ex naturali voluntatis indifferentia, & omnium caussarum subordinatione petitam, modis pessimis habuit *cap. 2. libri 8. de Gratia Salvatoris*, istum tertio subindè capiti titulum præfigit: *Adjutorium Christi determinat*, *ac* PRÆDETERMINAT ETIAM PHYSICE' VOLUNTATEM, UT VELIT: *Et ex quo capite istud accidat*. Quod subindè fusè satis exequitur. *Quæ quamvis*, inquit, *ita se habeant*, *tantaque inter physicam prædeterminationem*, *prout a Scholasticis defendi solet*, *& medicinale Christi adjutorium discrepantia sit*; *in hoc tamen*, *utì diximus*, *cum ea convenit*, *quod* OFFICIUM PHI-

PHYSICE' PRÆDETERMINANDI VOLUNTATEM EI VERE' COMPETAT, *eoque vocabulo non abstractè, sed concretè sumto meritò appellari possit. Nam hoc ipso, quo secundùm principia S. Augustini, gratia vera Christi est adjutorium, quo fit velle, atque perficere, prout ab adjutorio sine quo non distinguitur; itemque adjutorium non potentiale, quo velle, & agere possumus si volumus, sed voluntatis, & actionis, quo Deus facit, ut re ipsa velimus, & agamus, prout ea suis locis demonstrata sunt: perspicuè patet istud adjutorium esse tale, ut voluntatem cùm quacumque alia gratia in potentia constitutam ad actum pertrahat, non si voluerit, (quemadmodum gratiæ Adami, & Angelorum, cum qua re ipsa steterunt in veritate, proprium fuit) sed ei efficacissimè præbendo, ut velit. Non enim expectat, ut voluntas secum influat, quemamodum in adjutorio Angelorum etiam Sanctorum accidebat, quorum voluntas ita fortis erat, ut quemadmodum, & quando, & quantùm vellet, uteretur aut non uteretur adjutorio: sed facit secum influere voluntatem, applicans eam ad volendum, agendumque, quidquid per eam Deus volendum, agendumque constituerit. Cùm enim per terrenas cupiditates voluntas ad non volendum, imò ad repugnandum determinata sit, tollit istam depressionem, atque determinationem in contrarium, & reflectit eam in bonum, non solùm si libero arbitrio hoc videatur, & velit, sed ineffabili sua luce, atque suavitate faciendo, ut ei sic videatur, & velit. Sic enim Deus avellit cor lapideum, & dat cor carneum, sic animum efficacissima potestate convertit, sic duritiam cordis aufert, sic operatur velle, atque perficere, sic ex nolentibus, & repugnantibus volentes, & consentientes facit. Non enim hoc aliter facit, quàm voluntatem inclinando, applicando, determinando; & quia prævenit ipsam voluntatis determinationem*, ETIAM PRÆDETERMINANDO, NON SOLUM MORALITER, SED VERA, REALI, ET PHYSICA DETERMINATIONE. *Moralis enim prædeterminatio illa dicitur, quæ tantùm se habet ex parte objecti, quemadmodum facit ille, qui consulit, suadet, præcipit, rogat, blanditur, sive exteriùs, sive interiùs. Sed hæc se habet in ipsa potentia voluntatis, quam propriè suæ suavitatis magnitudine, ad volendum applicat, & applicando determinat, utpote causans in ea hoc ipsum, ut se determinet; ideoque prædeterminat.* Hæc ibi Jansenius.

Et *cap.* 1. *libri* ejusdem, duarum opinionum de physica prædeterminatione, & gratia congrua discrimen assignans, & qua parte illarum quælibet cum Augustino consentiat, ac dissentiat, ad trutinam vocans, physicam prædeterminationem Augustinianæ doctrinæ medullam, ac summam complecti ait; idque unum in ea redun-

dundare, ác fuperfluere monet, quòd ejufdem neceſſitatem non ex una infirmitate naturæ Thomiſtæ derivent, fed ex indifferentia etiam voluntatis, cauſſarumque fubordinatione repetendam exiſtiment. *Quod ſi quis*, inquit, *diſcrimen illud duarum iſtarum ſententiarum, vel ſolùm præ oculis habeat, non eſt difficile animadvertere, quid reſpondendum ſit interroganti, cum utra tandem doctrina de adjutorio medicinali Chriſti, quam tanquam veram Auguſtini ſententiam ex ejus ſcriptis undique continentibus produximus, convenire ſtatuenda ſit. Dicendum eſt enim, ex integro cum nulla convenire, ſed aliquid ab utraque ſumere. Nam a priori accipit, quod voluntati conſenſum efficaciter inclinando*, ATQUE ADEO' PRÆDETERMINANDO *largitur; a poſteriori, quod ſit actus quidam vitalis, utpotè cæleſtis, & Auguſtini phraſi ineffabilis ſuavitatis delectatio. Non tamen expectat impulſum voluntatis, ut ſecum influat, ſed ei tribuit: nec hæret quodammodo ex arbitratu voluntatis eligentis, ut velit, aut nolit; ſed arbitratum volendi, ad hoc ipſum determinando ſuavitatis efficacia voluntatem, efficit. Ex quo fit ut, quod in gratia medicinali Salvatoris eſſentiale, ac formale eſt, in Auguſtino illi animadverterint; hi verò, quod quodammodo materiale. Itaque longè propiùs illi ad veritatem acceſſerunt: ipſam, quippè medullam gratiæ Chriſti reſpectu læſæ voluntatis, hoc eſt*, adjutorii quo, *tetigerunt, quæ in iſta potenti conſenſionis efficientia, ac donatione conſiſtit: & per illam ab omni alia ſpuria gratia, quam Pelagiani, & Semipelagiani prædicarunt, maximèque ab illa gratia* fine qua non, *quæ ſtantis hominis, & Angelorum voluntati propria eſt, ſeparatur. Ut ſanè meritò dici poſſit, doctiſſimos illos viros primæ ſententiæ defenſores, veram Auguſtini ſententiam de gratia Salvatoris vidiſſe, atque tenuiſſe. Quod ſi quid ei ulteriùs adjecerunt, ex ſuperfluentibus humanæ Philoſophiæ exceſſibus factum eſt, qui ad tuendam perſpectam veritatem ſatagentis animi conceptibus, naturalem ſcientiam in ſubſidium rapientibus, ebullire ſolent*. Hucuſque Janſenius, ad quem nos, vel invitos Daniel provocavit.

Alios quid memorem phyſicè prædeterminationis, ut a Thomiſtis aſſeritur, oppugnatores; qui Molinianis nihiloſeciùs vitio vertunt, quod voluntatem infirmam, ac vitiatam phyſicè prædeterminari a Deo negent? Siquidem quotquot gratiam efficacem prævenientem admittunt, eamque in delectatione victrici conſtituunt, quacumque Scientia Media futuri conſenſus, & circumſtantiarum exploratrice penitùs ablegata, ii certò ultra meras ſuaſiones, atque excitationes Molinianas, quæ motionum moralium loco cenſentur, etiam propriam, atque phyſicam motionem prævenientem, & prædeterminantem admittunt; qua rebellis voluntatis contuma-

tumacia superetur, sanetur infirmitas, pravus immutetur affectus, ad consensum demùm determinetur, & applicetur.

Jam quod Daniel secundo loco respondet, gratiam prævenientem, & operantem, juxta suorum hypothesim, vero, ac physico planè modo agere in intellectum, & voluntatem, a summis domesticæ Scholæ Magistris procul abit. Suarez, quem doctrinæ ducem amplectitur, *lib.* 3. *Opusculorum cap.* 5. *n.* 10. *Auxilia excitantia*, inquit, *maximè habent vim* CAUSSÆ MORALIS .... *Constat, hoc totum causalitatis genus* ESSE MORALE. *Et declaratur a simili, nam homo inducens alterum ad malum, vel Dæmon tentans ad peccandum, est caussa moralis peccati, quia ad illud excitat, & movet: sic ergo Deus multoque magis, ac perfectius est caussa moralis boni actus supernaturalis, ad quem eliciendum nos excitat, nostramque præparat voluntatem.* DENIQUE TOTA HÆC CAUSALITAS REDUCITUR AD MOTIONEM FINIS, QUÆ METAPHORICA EST, *nam per hanc gratiam excitantem fit, ut objectum, quod amandum proponitur, honestius, & amore dignius appareat; & quod timendum, horribilius; quod odio habendum, turpius, & sic de cæteris: Hoc autem fit, vel magis illuminando intellectum, vel aliquo modo disponendo, & inclinando affectum, ex quo judicium practicum intellectus plurimùm pendet.*

Bellarminus *lib.* 1. *de Gratia, & Libero Arbitrio cap.* 14. *Si consideremus caussam illius ejusdem actus* MORALEM, *idest, caussam moventem suadendo, hortando, consulendo, ea solus est Deus. Voluntas autem secundùm hoc genus caussæ, non est movens, sed tantùm mota. Non enim ipsa se voluntas impellit suadendo, & hortando, ut velit, quod non vult; sed Deus per inspirationes suas intùs animæ loquens, ei suadet, & persuadet, ut velit. Hæc est igitur gratia operans, quæ prævenit conatum, & industriam nostram, & operatur, ut velimus, quod anteà nolebamus, sine nobis operantibus, ut velimus, non tamen sine nobis liberè consentientibus, dum volumus.*

Quibus adstipulantur Gabriel Vasquez 1. *part. quæst.* 23. *disp.* 88. *n.* 20. §. *Docent igitur*, & Gregorius de Valentia 1. 2. *disp.* 8. *quæst.* 3. *de Divisione gratiæ, puncto* 3. ubi ad morales duntaxat excitationes allicientes, & invitantes, prævenientis gratiæ vim totam coarctant.

Haud me fugit, physicæ motionis vocem Molinianos aliquos usurpare, ubi de sua præveniente gratia sermonem instituunt: at fucum illos lectoribus facere, quandiu in nudis excitationibus, & suasionibus hærent, Suaresii momenta evidenter ostendunt. Id nominis soli Thomistæ nostrates, quique illis adhærent, usurpant

jure optimo; gratiamque prævenientem verè, propriè, ac etiam physicè movere hominis voluntatem affirmant; quia non solùm excitantem gratiam, prævenientem agnoscunt; sed gratiam etiam adjuvantem, & cooperantem, quatenus ab excitante distinguitur, prævenientem esse contendunt: juxta illud S. Fulgentii *lib. de Incarnatione Verbi cap.17. Tunc verè, rectèque ait, ejus esse hoc velle, cùm eum gratia præveniens cœperit adjuvare:* Illudque Gelasii Rom. Pont. *Epistola 7. ad Episcopos per Picenum constitutos: Ostendit Apostolus, quòd donum gratiæ non ipse præcessit; sed fuerit subsecutus; atque monstravit cooperatorem se esse gratiæ subsequendo* (apud Labb. Tom. 5. pag. 306.) Si enim liberum arbitrium cooperatur gratiæ subsequendo, gratia cooperatur arbitrio præveniendo. Verùm, qui nullam, nisi merè excitantem gratiam, prævenientem agnoscunt, quique cooperantem gratiam, ut est ab excitante distincta, liberam arbitrii nostri cooperationem nullo pacto prævenire contendunt, non aliam, nisi moralem, & metaphoricam, movendi vim, prævenienti gratiæ adscribere possunt, modò ne verbis abuti velint. Quod multis evincit Suarez libro laudato *cap.4.n.12.*

Neque refert, quod objicit Daniel, simplicem illustrationem, atque excitationem, queis prævenientem gratiam sitam volunt vocationis congruæ defensores, reale quidpiam esse, ac physicum, mentemque, ac voluntatem afficere. Quis id nesciat? At voluntatem ad assensum eliciendum physico perindè modo non movent, sed morali duntaxat; uti cæteræ quæcumque Angelorum, atque hominum vocationes, motiones, suasiones, adhortamenta. Quandoquidem, ut Suaresius observat, id unum gratia illa excitans præstat in nobis, ut objectum, quod timendum proponitur, horribilius; quod odio habendum, turpius; quod amandum, honestius, & amore dignius appareat. Certè si ob id unum, quòd suasiones, & excitationes, reale quidpiam in se sint, atque physicum, reali quoque, ac physico planè modo in voluntatem agere reputantur; nihil profectò caussæ erit, cur non Angeli quoque voluntatem hominis immutare dicantur, efficaciter, atque physicè: cùm & ipsi suasionibus, & excitationibus agant, captis etiam congruentibus locorum, ac temporum occasionibus, variisque hominum affectibus exploratis. Et tamen Doctor Angelicus 1. *part. quæst.* 111. *art.2. solius*, inquit, *Dei est immutare voluntatem.* Et paucis interjectis: *Solus Deus efficaciter potest movere voluntatem; Angelus autem, & homo per modum suadentis.* Canoras itaque nugas loquuntur, qui cùm gratiam prævenientem in meris suasionibus, & excitationibus ponant, physicam tamen movendi vim eidem inditam dicunt, ut imprudentum ora subliniant. Facto scilicet negant, quod verbis affirmant.

Jam

Jam verò ex quo physica movendi vis gratiæ prævenienti adimitur, nulla superest, ea in hypothesi, actualis gratia, cui ad movendam hominis voluntatem physica vis inesse possit. Sola quippè, quæ superest, gratia cooperans, non in voluntatem physicè influit, sed in actum, ut ipsa nominis ratio satis probat. *Indicatur enim*, ut ait Suarez *lib.* 3. *Opusculorum cap.* 5. *n.* 4. *in illa voce quædam simultanea conjunctio voluntatis, & gratiæ adjuvantis ad eundem actum, vel actionem, ad quam mutuò cooperari dicuntur, ita ut sub ea ratione neutra alteram antecedat, vel impellat, sed solùm simul operentur.*

De reliquo Danielis insultus, queis Thomistis exprobrat, quòd voluntatis assensum *divinæ gratiæ, tribuendum omnino* dicant, honori, & gloriæ ducimus. Hæc nos cum Augustino probra lubenter audimus, cap. *6. de Dono perseverantiæ* scribente : *Tutiores vivimus, si totum Deo damus; non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus*; Cum Chrysostomo *libro de Virginitate cap.* 36. pronuntiante : *Non partim suum, non partim Dei censet Apostolus, sed totum Dei. Hoc grati servi est, nihil proprium ducere, sed omnia herilia; nihil suum putare; sed omnia Domini*; cum D. Bernardo, hoc idem dogma tam piè, quàm eleganter statuente, Tractatu de *Gratia, & Libero Arbitrio cap.* ultimo. *Non partim gratia, partim liberum arbitrium; sed totum singula opere individuo peragunt. Totum quidem hoc, & totum illa : sed ut totum in illo, sic totum ex illa.* Nec aliud hac nostra loquendi formula, quæ superciliosο Censori stomachum movet, significatum volumus, quàm quod Augustinus, quod Chrysostomus, quod Bernardus suis illis phrasibus voluere. Assensum nimirùm *omninò gratiæ tribuendum* asserimus, quia nedum nobis assentientibus divina gratia cooperatur, verùm etiam ut assentiamur efficaciter operatur : nedum consentientes, operamque conferentes adjuvat gratia; sed, & ipsam, quoque consensionem, & operæ collationem virtute se ipsa victrici operatur in nobis. *Certum est enim nos velle cùm volumus, sed ille facit, ut velimus .... Certum est, nos facere, cùm facimus, sed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati.* Augustinus *lib. de Gratia, & Lib. Arb. cap.* 16.

ANIMADVERSIONES

In superioris Tractationis Corollaria.

XXXIX.

LIBELLI SUMMA.



Heologicæ Tractationi (*A pag. 197. ad* 202.) nonnullis observationibus finem imponit, quas uti Corollaria, supra mensuram, debitamque, ut putat, difficultatum omnium eliquationem addere gestit.

Harum prima Scholæ Thomisticæ principia, queis gratia se ipsa efficax superstruitur, Augustinianis opponit, ut sacri dogmatis defensores intestino dissidio committat; illosque communi utriusque Doctoris Magisterio, pessima fide gloriari demonstret. Eam porrò mutuam principiorum repugnantiam, in eo positam dicit, quòd gratiæ se ipsa efficacis necessitatem, *ex creaturæ*, ut Schola loquitur, *ab Creatore dependentia* derivarit Doctor Angelicus, si quidem penes illius Discipulos fides est: Augustinus e contrà, si ejusdem studiosos audimus, ex naturæ originis vitio sauciatæ infirmitate repetendam existimavit. Unde duplex consectarium fluere notat. I. Gratiam suapte natura victricem, Thomistarum quidem judicio, ad utrumque innocentis, & lapsi hominis statum æquo titulo pertinere: Augustinianorum verò sententia, ad unam sauciatæ naturæ conditionem coarctari. II. Haud majori nos, juxta Thomistas, ad malum, quàm ad bonum facultate pollere; parique ad peccatum, & pietatis opus, egere supremi numinis motione: a quo tamen semper abhorruit Augustinus.

ANIMADVERSIO.

Si gratiæ se ipsa victricis necessitatem hac una ratione probasset Doctor Angelicus, quòd liberum arbitrium utrinque versatile gerat homo; idemque a Deo, in quovis actu exerendo, pro creaturæ conditione necessariò pendeat; alteramque rationem ex vitiatæ naturæ infirmitate petitam nusquam usurpasset; haud ita fortè a veri specie procul abiret Danielis animadversio. Verùm si utramque usurpavit ex æquo, atque illam maximè, quæ ex humanæ naturæ vitio peti solet; an non abibit in fumum objecta inter utrumque

que Doctorem principiorum dissonantia? Quamquam enim daremus ex animo (quod multi autumant gratiæ se ipsa victricis Defensores) Augustinum uni vitiatæ naturæ principio hæsisse firmiter; id ad summum extundi posset, Augustinum hujusce necessitatem gratiæ ex uno capite petiisse, ex duplici Divum Thomam. Atque hinc nemo colligeret, Præsulis Hipponensis principium ab Angelico Præceptore rejectum esse, sed alterum duntaxat insuper additum, ut dogma Theologicum rationibus etiam Philosophicis communiret.

Porrò ad vitiatæ naturæ infirmitatem confugisse perindè Doctorem Angelicum, nemo, nisi in ejus lectione peregrinus, & hospes haberi velit, ibit inficias. 1. 2. *quæst.* 109. *art.* 2. *in corp. Sic igitur*, inquit, *virtute gratuita superaddita virtuti naturæ indiget homo in statu naturæ integræ, quantùm ad unum, idest ad operandum, & volendum bonum supernaturale; sed in statu naturæ corruptæ, quantùm ad duo; scilicet* UT SANETUR, *& ulteriùs ut bonum supernaturalis virtutis operetur, quod est meritorium. Ulterius autem in utroque statu indiget homo auxilio divino, ut ab ipso moveatur ad bene agendum.* Et in responsione ad primum, cùm ratione philosophica demonstrasset, non ita hominem suorum actuum dominum esse, quin ab externo principio moveri debeat, ita demùm colligit: *Unde mens hominis etiam sani non ita habet dominium sui actus, quin indigeat moveri a Deo*: ET MULTO' MAGIS LIBERUM ARBITRIUM HOMINIS INFIRMI POST PECCATUM, *per quod impeditur a bono per corruptionem naturæ.*

Eadem 1. 2. eademque *quæstione, articulo* 9. *Homo in gratia existens non indiget alio auxilio gratiæ, quasi aliquo alio habitu infuso: Indiget tamen auxilio gratiæ secundùm alium modum, ut scilicet a Deo moveatur ad rectè agendum: Et hoc propter duo, primò quidem ratione generali, propter hoc, quòd, sicut suprà dictum est, nulla res creata potest in quemcumque actum prodire, nisi virtute motionis divinæ. Secundò* RATIONE SPECIALI, PROPTER CONDITIONEM STATUS HUMANÆ NATURÆ, *quæ quidem licèt per gratiam sanetur quantùm ad mentem, remanet tamen in ea corruptio, & infectio quantùm ad carnem, per quam servit legi peccati, ut dicitur ad Rom.* 7. Quibus similia leguntur *art.* 3.

Et in *Quæstionibus disputatis, quæst.* 3. *de Malo, art.* 1. *ad* 9. *Dicendum, quòd aliter loquendum est de homine secundùm statum naturæ conditæ, & aliter secundùm statum naturæ corruptæ: quia secundùm statum naturæ conditæ, homo nihil habebat impellens ad malum, licèt bonum naturæ non sufficeret ad gloriæ consecutionem, & ideo indigebat auxilio gratiæ ad merendum: non autem indigebat ad peccata vitanda, quia per hoc, quod naturaliter acceperat,* pote-

poterat stare. SED IN STATU NATURÆ CORRUPTÆ HABET IMPELLENS AD MALUM; *& ideo indiget auxilio gratiæ ne cadat*. Et hic status ex præcedenti culpa provenit.

Dicat modò qui volet, Doctorem Angelicum divinæ motionis necessitatem ex unà creaturæ a Deo pendentis conditione petiisse; ac de contracta per peccatum originis infirmitate, quam millies Augustinus inculcat, ne leviter quidem cogitasse.

Absit tamen, ut Augustinum uni vitiatæ naturæ principio ita hæsisse, Danieli concedam, ut ad alteram rationem ex voluntatis indifferentia, & subaltiori caussarum omnium subordinatione petitam, nulla unquam occasione confugerit. Nec me multùm Theologorum ita statuentium movet authoritas, quos utì in vindicanda gratia se ipsa victrici Commilitones enixè veneror; ita sanctissimi Doctoris mentem, eo saltem in capite, minùs assecutos existimo. Id quadruplici argumentorum genere Theologi nostrates evincunt.

I. Quòd Augustinus divinas motiones non absimiliter efficaces, ad naturales etiam actus, supremi dominii, atque imperii jure protendat. Sic *cap.* 14. *libri de Correpț.*, *& Gratia*, de electione Saulis in Regem (quæ sanè rerum merè civilium, ac naturalium ordine censenda est) sermonem habens: *Hoc*, inquit, *non fecit* Deus, *nisi per ipsorum hominum voluntates, sine dubio habens humanorum cordium, quò placeret, inclinandorum omnipotentissimam potestatem ...... Intùs egit, corda tenuit, corda movit, eosque voluntatibus eorum, quas ipse in illis operatus est, traxit. Sic ergo cùm voluerit Reges in terra Deus constituere, magis habet in potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas*. Certè nuspiam Augustinus majori sermonis nervo gratiæ medicinalis necessitatem, & efficaciam, qua contracta juvatur infirmitas, commendavit. Et *libro de Gratia*, *& Libero Arbitrio cap.* 20. *Scriptura divina, si diligenter inspiciatur, ostendit, non solùm bonas hominum voluntates, quas ipse facit ex malis, & a se factas bonas in actus bonos, & in æternam dirigit vitam, verùm etiam illas, quæ conservant sæculi creaturam, ita esse in Dei potestate, ut eas, quò voluerit, quando voluerit, faciat inclinare*. Et *cap.* 21. *Agit Omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat, quod per eos agere ipse voluerit, qui omninò injustè aliquid velle non novit*. Quò tendunt generalia illa Aristotelicæ, ac Thomisticæ Philosophiæ principia, de quibusvis creaturæ motibus, a primo motore utì primaria eorumdem caussa derivatis, ab Augustino non absimiliter usurpata, *lib.* 5. *de Genesi ad litteram cap.* 20. *Movet itaque Deus occulta potentia universam creaturam*. Et *lib.* 3. *de Trinitate cap.* 4. *Voluntas Dei est prima, & summa caussa omnium*

cor-

corporalium specierum, atque motionum. Quin etiam *lib.* 1. *Retractationum cap.* 9. ex his ipsis generalibus principiis bonum libertatis usum ex divina gratia repetendum haud dubiè colligit : *Quia omnia bona, & magna, & media, & minima ex Deo sunt, sequitur, ut ex Deo sit etiam bonus usus liberæ voluntatis.*

II. Quòd Augustini momenta non pauca, queis gratiæ se ipsa efficacis necessitatem ab ipso probatam agnoscunt, quotquot illo Doctore, atque Magistro gloriantur, ad statum innocentiæ, a quo procul infirmitas aberat, non absimiliter flecti debeant. Ut orandi necessitas, ad divinum præsidium implorandum, quam rationem millies urget sanctissimus Doctor. Quis enim Adamum etiam innocentem, ad conservanda dona, quæ sumpserat, orare non debuisse sibi fingat, dicente Gelasio Summo Pontifice *lib. contra Hæresim Pelagianam.* De ipsis primis hominibus, qui, dum sua nimiùm felicitate confidebant, non orando (quod utique nusquam fecisse referuntur) nec de perceptis gratias referendo, nec ut eadem intemerata durarent, suppliciter implorando, incolumes constare nequiverunt.

Humilitatis studium, quo fit, ut totum in pietatis operibus Deo demus, nulla de re gloriemur in nobis, nec propriis viribus nosmet ipsos ab aliis secernamus. Quis id ad statum primi hominis, & Angelorum perinde non referat, de quibus Augustinus ipse *Enarratione* 3. *in Psalmum* 32. *Non habuerunt aliquid ex se, sed tanquam supplementum a Domino perceperunt* : spiritu *enim* oris ejus, *non pars, sed* omnis virtus eorum. *Lib.* 11. *de Civit. Dei cap.* 19. *Inter sanctos Angelos*, inquit, *& immundos fuisse discretum, ubi dictum est* : Et divisit Deus inter lucem, & tenebras .... *solus quippè ille ista discernere potuit*. Et *lib.* 12. *cap.* 19. *Si non potuerunt se ipsos facere meliores, quàm eos ille fecerat ..... profectò & bonam voluntatem, qua meliores essent, nisi operante adjutorio Creatoris habere non possent.*

Inscrutabilis hujusce quæstionis altitudo, *cur illum trahat, illum non trahat : illi ita suadeatur, ut persuadeatur; isti verò non?* Quæ sanè cùm per humani arbitrii velle, vel nolle solvi non possit, ut loquitur Augustinus, ad intimam vocationis, & gratiæ efficaciam confugere cogit. At parem in Angelis stantibus, & cadentibus altitudinem demiratus est sanctissimus Præsul *lib.* 11. *de Genesi ad lit. cap.* 10. *Sed posset etiam ipsorum* (cadentium scilicet Angelorum) *voluntatem in bonum convertere, quoniam omnipotens est. Posset planè, Cur ergo non fecit ? Quia noluit. Cur noluerit; penès ipsum est.*

Divinæ voluntatis invicta vis, qua quidquid vult, quando vult, quomodo vult, indeclinabiliter facit. Sed, & hanc non modò in infir-

infirmi, ac læsi hominis voluntatem, verùm etiam in omnes Angelorum, atque hominum voluntates, ac creaturam quamlibet exerceri statuit Augustinus *in Enchiridio ad Laurentium cap.* 102. *Quantælibet sint voluntates Angelorum, vel hominum, vel bonorum, vel malorum, vel illud, quod Deus, vel aliud volentes, quàm Deus, omnipotentis voluntas* Dei *semper invicta est*. Et *cap.* 96. *Neque* Deus *ob aliud veraciter vocatur Omnipotens, nisi quoniam quidquid vult potest, nec voluntate cujuspiam creaturæ voluntatis Omnipotentis impeditur effectus*.

Aut ergo negandum, Augustinum gratiam se ipsa efficacem iis momentis, ac rationibus demonstrasse, (quod ab eorum, quibuscum agimus, Theologorum animo procul abest) aut ejusdem necessitatem ad Angelorum, atque innocentis hominis statum pariter protendisse, fatendum est.

III. Quòd innumera Augustinianæ Theologiæ principia, ab iisdem admissa Theologis, concutere necesse sit, ex quo gratiam se ipsa victricem a statu naturæ innocentis eliminamus. Hac etenim semel ablegatâ, decreta se ipsis efficacia pari sorte tolluntur: atque ita liberi Angelorum, & innocentum hominum actus a Deo per Scientiam Mediam explorantur. Res non ideo futuræ censentur, quia sciuntur a Deo; sed ideò sciuntur, quia futuræ. Prædestinatio non ab immoto decreto, quod ea in hypotesi nullum est, sed a prævisis meritis, ex nativa arbitrii libertate suspensis, certitudinem mutuatur. Quæ tria universam Augustini doctrinam ab imo suffodiunt. Quin, & hoc alterum consectarium fluit: Christum Dominum (cujus longè quàm Adami innocentior natura erat, atque ab omni vitio, & corruptela multò remotior) ex prævisis perinde meritis electum esse; si status innocentiæ distincta sit gratia, distincta decreta, distincta scientia, distincta prædestinatio. Cùm tamen Augustinus gratuitam hominum prædestinationem probaturus, Christi Servatoris exemplum præ cæteris urgeat, *lib. de Prædestinatione Sanctorum cap.* 15. & *lib. de dono Perseverantiæ cap.* 24.

IV. Quòd Augustinus Angelos stantes majori præ reliquis adjutorio donatos disertissimè fateatur *lib.* 12. *de Civitate Dei cap.* 9. *Sine bona voluntate, hoc est, Dei amore, nunquam sanctos Angelos fuisse credendum est. Isti autem, qui cùm boni creati essent, tamen mali sunt, mala propria voluntate ..... aut minorem acceperunt amoris divini gratiam, quàm illi, qui in eadem perstiterunt; aut si utrique boni æqualiter creati sunt, istis mala voluntate cadentibus, illi ampliùs adjuti, ad eam beatitudinis plenitudinem, unde se nunquam casuros certissimi fierent, pervenerunt*. Quod utique minùs æquè diceretur, si efficacis necessitas adjutorii ex unà infirmi-

firmitate naturæ, quæ nulla in Angelis erat, peteretur. Futile quippè eſt, quod ajunt aliqui: amplioris adjutorii nomine uberiorem habitualis gratiæ copiam deſignari, aut fortè certam de beatitudinis perennitate notitiam. Neutrum enim veritatem habet. Non primum, quia multi ſupremi Ordinis Angeli, quibus uberior habitualis gratiæ copia pro majori naturæ perfectione collata fuerat, atque ipſe etiam cæterorum omnium princeps Lucifer, præcipites cecidere. Non alterum, quia de illo ſermo eſt adjutorio, quo Angeli ad *beatitudinis plenitudinem pervenere*: Certa autem de beatitudinis perennitate notitia, nonniſi adepta jam beatitudine, habetur, ejuſdemque appendix, ac veluti conſectarium eſt.

Non igitur, ut univerſa concludam, ex una vitiatæ naturæ infirmitate victricis gratiæ neceſſitatem derivavit Epiſcopus Hipponenſis, qui hanc ipſam ſtantibus Angelis, ne caderent, collatam aſſeruit: motiones ſe ipſis efficaces ad naturales etiam actus eliciendos, pro creaturæ conditione neceſſarias propugnavit: eaque doctrinæ ſuæ principia poſuit, rationumve momenta proſecutus eſt, quæ parem, eo ſaltem in capite, ſtantis, ac lapſi hominis ſortem oſtendant.

Negotium duntaxat faceſſit aliquod perdifficilis ſanctiſſimi Præſulis locus, ex *libro de Corrept.*, *& Gratia capp.* 11., *&* 12. depromtus, quo varia gemini ſtatus auxilia pro cujuſque conditione diſtinguuntur: ut videlicet innocenti homini, tanquam viribus integro, præſtò duntaxat eſſet adjutorium ſine quo non fieret opus bonum, non quo fieret; lapſo, utpotè malè multato, ac viribus fracto, utrumque perindè ſuccurreret: ſeu, ut Scholæ linguà loquar, innocenti auxilium merè ſufficiens, voluntatis nutui ſubditum adeſſet unicè; lapſo utrumque, ſufficiens nimirùm, ac ſe ipſo efficax, infirmam voluntatem imperio ſubdens.

Verùm & id compendio ſolvitur, ſi hoc unum obſerves, Auguſtinum, lapſum, & integrum hominem, quo titulo diſtinguuntur, mutuò contuliſſe, gratiamque utrique neceſſariam explicaſſe, ſpectatis cujuslibet ſtatus peculiaribus meritis, & quid utrique per ſeſe, ac ſpectata cujuſque virium conditione debeatur, attendiſſe duntaxat: non quid utrique ſimul, communi ſorte, communibuſque titulis neceſſarium videretur. Quare homini ſano efficacem gratiam minimè neceſſariam pronunciavit, ſpeciali videlicet ratione primigeniæ ſanitatis; cùm hoc ipſo titulo gratia illi duntaxat verſatili opus eſſet: Neceſſariam e contrario homini lapſo efficacem gratiam dixit, ſpectata nimirum infirmitate naturæ; cùm hac maximè ratione potenti egeret auxilio. Cæterum num aliàs communi quodam titulo, putà creaturæ a Deo pendentis, indifferentis arbitrii, verſatilis voluntatis efficaci adjutorio ſimul egerent,

rent, non expendit eo loci sanctissimus Doctor; quòd nihil eximendis Adrumeti Monachorum scrupulis interesset.

Nunc ad illud accedo, quod summæ præ cæteris calliditatis, & invidiæ est: deductum scilicet ab Daniele Thomistici dogmatis consectarium: *Haud majori nos ad malum, quàm ad bonum facultate pollere; parique ad peccatum, & pietatis opus egere supremi numinis motione.* Vah tetram sycophantiam, putidamque calumniam! Quasi verò, quotquot Thomistico nomine gaudent, Lutheri blasphemiæ a Tridentina Synodo inustæ anathema non dicant *can. 6. Si quis dixerit .... Mala opera ita, ut bona, Deum operari, non permittente solùm, sed etiam propriè, & per se; adeò ut sit proprium ejus opus non minùs proditio Judæ, quàm vocatio Pauli?* Aut iis Augustini verbis sæpiùs inculcatis non spontè subscribant (*Lib. de novo Cant. c.* 8., *& de Corrept.*, *& Grat. c.* 11.) *Liberum arbitrium ad malum sufficit sibi; ad bonum non, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono?*

Invidiosum consectarium detestantur, quotquot physicam prædeterminationem admittunt: alteriusque planè generis esse volunt motionem ad bonum, quàm ad malum; ac diversam toto cœlo ad utrumque hominis facultatem. Sed & hæc summa calliditas est, Philosophicam opinationem de necessaria ad peccati actum physica motione cum isto de gratia se ipsa victrici dogmate conjunctam obtendere; ut eo objecto terriculamento, Philosophicarum subtilitatum rudes a divinæ gratiæ professione procul avertat. Quàm dissita, disjunctaque sint duo illa doctrinæ capita, plaudente sacro Consessu, demonstravit Thomas de Lemos in celeberrima de divinis Auxiliis Congregatione, die 10. Januarii anno 1606., & Molinianos Oratores hoc ipsum, quod modò Daniel, consectarium elicientes arena submovit. (*Placuit Cardinalibus omnibus assistentibus ista differentia valdè.*) *Ad tertium*, inquit, *dicendum, nullo modo ex doctrina de physica prædeterminatione sequi, quòd Deus sit caussa peccati, vel quòd ad peccatum physicè prædeterminet. I. Quia potest optimè, quis defendere physicam prædeterminationem pro actibus supernaturalibus, & ex isto capite non coarctatur ad illam defendendam pro actibus aliis facillimis naturalis ordinis, & pro actionibus peccatorum. Et ratio est, quia respectu actuum supernaturalium est peculiaris ratio præter illam generalem subordinationem caussæ secundæ ad primam; ob quam specialem rationem (quidquid sit de illa subordinatione generali) est constituenda physica prædeterminatio in voluntate, qua Deus faciat, illam benè operari supernaturales actiones. Quia respectu hujusmodi supernaturalium operationum, cùm sint elevatissimæ, & supra voluntatem illam omninò excedentes, oportet, quòd Deus immutet,*

mutet, & determinet voluntatem ad illas. Quia illa nunquam se determinabit ad id, quod supra ipsam est, nisi ad id immutetur, & determinetur a Deo in actu primo : quod evidentiùs patet in voluntate peccatoris. Quomodo enim, cùm sit aversa à Deo, ipsa se convertet, & determinabit ad Deum, nisi Deus priùs illam ad se convertat, & verè faciat, quòd se determinet ad bonum? Propter hanc ergo specialem rationem, etiamsi quis teneret, voluntatem in actionibus, quæ in peccatis sunt, non determinari a Deo, etiam quatenùs entitates, & actiones sunt facillimæ, ad quas voluntas se possit determinare; tamen in actionibus supernaturalibus astringeretur fateri physicam determinationem ad supernaturalia opera exercenda.

Eandem illam gratiæ se ipsa victricis oppugnatorum artem observavit doctissimus Contensonius *lib.* 8. *Theologiæ mentis, & cordis, dissertatione* 1. *cap.* 2. *Specul.* 3., suosque, ne vorent hamum, sibique illudi patiantur, egregiè communivit. *Illud etiam diligenter observari aveo, quòd licèt sententia de prædeterminatione ad actus naturales, atque etiam ad materiale peccati, tanquam probabilior a Thomistis eligatur; non ita tamen ab illis traditur, ut ex præmotione ad actus naturales, vel ad materiale peccati, pendeat veritas illa cardinalis de gratia per se efficaci ad actus supernaturales, & meritorios salutis necessaria. Generalem quippè prædeterminationem admittunt duntaxat Thomistæ, ut probabilem secundùm rationem naturalem, & non ut necessariò cum fide catholica connexam. Gratiam verò per se efficacem tenent, ut conclusionem Theologicam, ab Augustino, & Aquinate clarissimè traditam, & post articulos fidei omni exceptione majorem, in proxima, & veluti ultima dispositione definibilem. Unde etiamsi nulla ad actus merè naturales, vel morales physica prædeterminatio admitteretur, eam tamen in ordine supernaturali ad rectè, christianèque vivendum admittendam contendimus, generalemque præmotionem ideò solùm astruimus, ut per eam ad gratiam per se efficacem uberiùs, fortiùsque stabiliendam, viam muniamus, ad eamque propugnandam serviat etiam Philosophia. Quare gratiæ per se efficacis assertionem unicè quærimus, unicè intendimus. Unde, ut optimè Alvares lib.* 3. *de Auxiliis disp.* 24. *n.* 27. *observavit, Thomistarum nonnulli Deum præmovere ad actum peccati, etiam ut actus est, inficiati sunt, quamvis ad unum omnes gratiæ victricis, & per se efficacis omnipotentissimam potestatem a prævisione Scientiæ Mediæ independentem constantissimè asseverent ; & de illa processit olim coram Clemente VIII., & durat adhuc Patres Societatis inter, & Dominicanos, disputatio. Hæc observare operæ pretium in hujus dissertationis coronide duxi, quia quàmplurimos*

 adver-

adverti adversarios hac arte Thomisticæ de gratia sententiæ invidiam accersere, quòd nostra sententia Deum malorum actuum faciat præmotorem. Sed, ut dixi, de præmotione generali non est principalis, sed tantùm accessoria disputatio.

Neque tamen Danielis, aliorumque calliditatem exaggero, quasi philosophicam illam opinationem de necessaria ad peccati actum physica præmotione invidiæ patere re ipsa putem. Absit. Hanc nullo negotio amoliuntur Thomistæ nostrates, omnemque ab æmulis circumfusam impietatis umbram depellunt, vulgari illa *entitatis*, quæ peccato substat, & *deformitatis* posita distinctione : seque nihil eo in capite docere probant, quàm quod Doctor Angelicus *in 2. Sentent. dist. 37. quæst. 2. art. 2. Dicendum, quòd actus, in quantum actus, a Deo est, & ut sic non habet aliquid, quod deformitatem habeat : quod qualiter sit, ita considerari potest. In omnibus enim, in quibus incidit defectus ex caussa secunda, & non ex caussa prima, oportet, quòd quidquid est in effectu deficiente essentiæ, & bonitatis, totum a prima procedat : quod autem defectus reducatur in caussam secundam deficientem ut patet in claudicatione, quæ est a virtute gressiva mediante tibia : per cujus scilicet tibiæ curvitatem obliquitas in gressu claudicantis relinquitur. Unde quidquid est ibi de gressu, totum est a virtute gressiva : sed defectus, vel obliquitas gressus non est a virtute gressiva, sed a tibia tantùm. Similiter etiam est ordo Dei ad voluntatem caussatam, sicut caussæ primæ ad caussam secundam : ideò ex parte Dei nullus defectus incidere potest. Voluntas autem caussata ad defectum possibilis est : & ideò, quidquid est in actu deficiente, scilicet peccato, de ratione actus, & entis, & boni, totum hoc a primo agente, scilicet Deo, procedit mediante voluntate : sed in ipse defectus, qui est in actu, hoc modo est a voluntate, quòd a Deo non procedit ; & ideò quodcumque nomen deformitatem simul cum actu significat, sive in generali, sive in speciali, non potest dici, quòd hoc a Deo sit simpliciter : unde non potest dici absolutè, quòd peccatum sit a Deo, ut homicidium, aut aliquid hujusmodi, nisi cum hac additione, in quantum est actus, & in quantum est ens.* Hæc Doctor Angelicus :- quibus planè concinunt, quæ habet *quæst. 3. de Malo art. 2.* cui hunc titulum fecit : *Utrùm actio peccati sit a Deo?*

Si cui patet invidiæ dogma Thomisticum, eaque *entitatis, ac deformitatis* distinctione non penitùs amovetur, parem nobiscum invidiam Moliniani subibunt, qui Dei motionem sin minùs præviam, at comitem in perpetrando peccato fidenter admittunt. Paris enim impietatis est, Deum peccati socium, & complicem opinari, ac ejusdem authorem, & impulsorem effutire : nec minus refu-

refugit animus, Deum unà nobiscum, & in perpetrando peccato efficaciter operari, quàm voluntatem nostram, ut peccet, efficaciter permovere. Quid ergo, si præstigias illas opportuna *entitatis*, *ac deformitatis* distinctione discutiunt Moliniani, seque idcircò ab omni impietatis suspicione remotissimos putant, tam iniquè de Thomistica opinione pronuntiant, quasi perinde purgari non possit?

At vin tu eâ in re opinionem audire, cui nigrum theta jure præfixeris, quamque nulla unquam distinctio cohonestet? Dabunt Societatis Theologi Castellani, ac Toletani, de quibus Christophorus Orthega ita refert, *Controversia* 3. *de Decreto*, *disp.* 2. *quæst.* 4. *cert.* 3. §. 8. *Audio recentiores aliquos ex nostris, Castellanos, & Toletanos incautè lapsos; ut admiserint, Deum concursu simultaneo, quem solùm admittunt, non solùm ad materiale peccati, quâ materiale, sed* AD FORMALE IPSUM PECCATI PHYSICE' CONCURRERE: *etsi quia nolens ad eum concursum a creatâ voluntate trahitur, ac determinatur, nec caussa materialis peccati, quâ materialis, nec formalis, seu peccati absolutè talis, dicendus sit*. Sic sanè, qui cæteros violatæ divinæ sanctitatis incusant, opinionum monstra parturiunt, quæ piæ, castæque aures perhorrescant: excolant culicem, camelum autem deglutiunt.

XL.

LIBELLI SUMMA.

(*A pag.* 202. *ad* 205.) Doctorem Angelicum Thomistis physicæ prædeterminationis assertoribus eripere nititur, productis hisce sanctissimi Præceptoris momentis in speciem repugnantibus. *Quæst.* 3. *de Potentiâ*, quæ est de creatione, *art.* 7. *ad* 12. *Deus voluntati hominis dedit dominium sui actûs, ut non esset obligata ad alteram partem contradictionis*. Ibidem *in Responsione* ad 13. *Caussa prima non ita agit in voluntate, ut eam de necessitate ad unum determinet, sicut determinat naturam; & ideò determinatio actus relinquitur in potestate rationis, & voluntatis*. In 2. *Sententiarum*, *dist.* 39. *quæst.* 1. *art.* 1. *Potentia voluntatis, quantum in se est, indifferens est ad plura: sed quòd determinatè exeat in hunc actum, vel in illum, non est ab alio determinatè, sed ab ipsâ voluntate*. Tum celeberrimum Campanellam in scenam vocat, quòd adversùs decreta prædeterminantia, in Thomistarum Scholas nuper invecta librum ediderit.

ANIMADVERSIO.

Quis non hìc profundam Divi Thomæ lectionem Danieli gratuletur, qui quatuor admodùm lineas ex tantâ librorum mole exscribere potuit, ut eum a physicæ prædeterminationis dogmate alienum ostenderet? At Lemos, *tomo* 3. *Panopliæ* a *pag.* 12. ad 94. ducenta, & eo ampliùs Doctoris Angelici momenta congessit, ut hoc illi dogma assereret. Utri feliciùs labor cesserit dicant, qui cuncta contulerint. Mihi quippè telam hanc novo opere redordiri non vacat; nec ut id oneris mihi sumam, Animadversionum istarum ratio postulat. Hoc dico tantùm, Societatis Theologos bene multos D. Thomam physicæ prædeterminationis dogmati adsavisse, haud ægrè primitùs fassos esse, donec mutato consilio, aliam loquendi, scribendique rationem inierint. Ita Conimbricense Societatis Jesu Collegium *lib.*2.*Phys.cap.*7.*quæst.*13.*art.*1. *Circa modum, quo Deus cum caussis secundis ad earum operationes, & effecta concurrit, discutienda se offert* CELEBRIS OPINIO D. THOMÆ 1. *part. quæst.* 105., & 1.2. *quæst.* 109. *art.* 1., & *quæst.* 3. *de Potentiâ art.*7., *ejusque sectatorum Capreoli in* 2. *dist.* 1. *quæst.* 2. *Ferrariensis* 3. *contra Gentes cap.*70., & *aliorum existimantium, omnes caussas secundas, antequam operentur, accipere a Deo influxum quemdam, & motum, qui sit quasi esse intentionale virtutis divinæ, quo ad promendas actiones excitentur; eo modo, quo artium instrumenta, ut dolabra, & securis præviam motionem a fabro accipiunt, cùm ad opus conficiendum applicantur.* Viden' quo pacto celebrem illam opinionem, & D. Thomæ, & antiquis ejus discipulis tribuit?

Ita selecti ex Hispaniâ, Galliâ, Germaniâ, Austriâ, Italiâ, Lusitaniâ Societatis Theologi, qui *librum de Ratione Studiorum* ediderunt, typisque domesticis Romæ mandarunt anno 1586. hanc *numero* 6. D. Thomæ propositionem inter cæteras adnotarunt, ad cujus defensionem suos adstringi nolunt: *Caussas secundas esse propriè, & univocè instrumenta Dei; & cùm operantur, Deum in illas primùm influere, aut eas movere.* Haud itaque dubium illis erat, ita planè Doctorem Angelicum statuisse. Quare & suum illum repudiatarum sententiarum elenchum ita concludunt: *In cæteris, quæ hìc excepta non sunt, a D. Thoma nostri non recedant.*

Mitto Bellarminum, Toletum, Perrerium, & alios, de quibus in Historiâ de Auxiliis fusè dixi, qui hanc ipsam Divo Thomæ sententiam tribuunt. At quò magis Danielis ingenium demireris, Suaresium, quo Magistro triumphat, præterire non possum: qui quam-

quamvis omnes ingenii nervos intendat, ut Doctorem Angelicum physicæ prædeterminationis assertoribus neget, veritate nihilominùs victus, hanc ipsam ab eo, *quæst.* 3. *de Potentiâ art.* 7. *ad* 7. disertissimè traditam fassus est, in Opere posthumo de verâ intelligentiâ Auxilii efficacis *cap.*40. utque laqueum effugeret, commentitiam retractationem excogitavit. Etenim D. Thomæ ad 7. hujus articuli objectionem recensito responso, ita subjungit: *De quo loco ingenuè fatemur, D. Thomam ita ibi sensisse: credimus tamen eum in ea sententia non permansisse; quia neque in Summa, neque in aliis libris Sententiarum, & contra Gentes, illum causalitatis modum Deo tribuit.* Et tamen, si Superis placet, Daniel Magistro doctior, & oculatior physicam prædeterminationem hoc ipso *articulo* 7. infra decem circiter lineas confutatam, debellatam, exterminatam præsentit. Felicem, cui tam acutam aciem largitus est Deus!

Sed age semoto joco videamus, num illum potiùs fallacia perspicilia deluserint. *Deus*, inquit Doctor Angelicus loco a Daniele nobis objecto, *voluntati hominis dedit dominium sui actus, ut non esset obligata ad alteram partem contradictionis.* Quis id neget physicæ prædeterminationis assertor? Quis obligatam divinâ motione hominis voluntatem, suique actus dominio devolutam commentus est, ut dissentire etiam præmota non possit? Audi quo pacto utrumque conciliet Doctor Angelicus, 1.2. *quæst.* 109. *art.* 2. *ad* 1., actusque dominium, & in partem utramlibet facultatem cum motionis necessitate conjungat: *Homo est dominus suorum actuum & volendi, & non volendi propter deliberationem rationis, quæ potest flecti ad unam partem, vel ad aliam: sed quòd deliberet, vel non deliberet, & si hujusmodi etiam sit dominus, oportet, quòd hoc sit per deliberationem præcedentem: & cùm hoc non procedat in infinitum, oportet, quòd finaliter deveniatur ad hoc, quòd liberum hominis arbitrium moveatur ab aliquo exteriori principio, quod est supra mentem humanam. Et* 1. *contra Gentes cap.* 68. *Dominium, quod habet voluntas supra suos actus, per quod in ejus est potestate velle, & non velle, excludit determinationem virtutis ad unum, & violentiam causæ exterius agentis, non autem exludit influentiam superioris caussæ, a qua est ei esse & operari, & sic remanet causalitas in caussa prima, quæ est Deus, respectu motuum voluntatis.*

Haud acutiùs prædeterminationis excidium præsentit Daniel aliis illis Doctoris Angelici verbis ex responso ad 13. Argumentum: *Caussa prima ita non agit in voluntate, ut eam de necessitate ad unum determinet, sicut determinat naturam.* An-non id physicæ prædeterminationis assertores affirmant; qui universa pro sua cujusque

jusque naturâ, & conditione moveri volunt; libera quidem, ac ratione utentia, liberè; necessaria, ac rationis expertia, necessariò? Huc mirè faciunt sanctissimi Doctoris verba, 1. *part. quæst.* 83. *art.* 1. *ad* 3. *Deus est prima caussa movens & naturales caussas, & voluntarias: & sicut naturalibus caussis, movendo eas, non aufert, quin actus earum sint naturales; ita movendo caussas voluntarias, non aufert quin earum actiones sint voluntariæ: sed potiùs hoc in eis facit; operatur enim in unoquoque secundùm ejus proprietatem*. Explicatiùs autem, & magis ad institutum nostrum lib. 1. ad Annibaldum *dist.* 47. *quæst. unica, art.* 4. *Voluntate Dei non solùm res in esse producuntur, sed etiam in rebus producendis modum, quo producantur, prædeterminavit. Unde cùm voluntas Dei efficaciter impleatur, oportet, quòd res fiant, & eodem modo, sicut voluntas divina disposuit*. Quibus gemina sunt, quæ leguntur 1. 2. *quæst.* 10. *art.* 4. *ad* 1.

Neque feliciùs Propheta vidit, qui cætera laudatæ responsionis verba in malum omen accepit. *Determinatio actus relinquitur in potestate rationis, & voluntatis*. Ita quippè determinatio rationi relinquitur, ut divinam propterea determinationem non effugiat. Hinc Doctor Angelicus *in* 2. *Sent. dist.* 25. *quæst.* 1. *art.* 1. *ad* 3. *Determinatio actionis, & finis in potestate liberii arbitrii constituitur. Unde remanet sibi dominium sui actus, licèt non ita, sicut primo agenti*. Deus quippè ita se determinat, ut non determinetur ab alio: homo verò tametsi se se determinet ob indifferentiam activam, ob passivam nihilominùs indifferentiam determinatur ab alio. Quæ duo secum minimè pugnare docet *quæst.* 6. *de Malo art. unico ad* 17. *Voluntas, quando de novo incipit eligere, transmutatur a sua priori propria dispositione, quantum ad hoc quòd priùs erat eligens in potentia, & postea fit eligens actu. Et hæc quidem transmutatio est ab aliquo movente, in quantum ipsa voluntas movet se ad agendum; & in quantum etiam movetur ab aliquo exteriori agente, scilicet Deo*. Quocirca 1. *part. quæst.* 105. *art.* 4. *ad* 2. hoc generale principium ponit: *Moveri ex se non repugnat ei, quod movetur ab alio*. Idem enim agens, ut liberum est, movet se se, atque determinat; ut secundum est, movetur, ac determinatur ab alio: immò idcircò movetur, ac determinatur, ut ipse se moveat, ac determinet: seu, ut loquitur Augustinus, aguntur, & agunt homines, quin & ad hoc aguntur, ut agant.

Eundem sensum habet locus alter ex *lib.* 2. *Sententiarum* nobis objectus, ubi voluntas ob sui indifferentiam ab semetipsa determinari dicitur. Si enim idcircò semotam velis determinationem a Deo prodeuntem, secum pugnantem habebimus Scholarum Angelum, qui toties voluntatem ob sui indifferentiam a Deo determinari, moveri, applicari, transmutari, transferri contendit. Loca Theo-

Theologi nostrates indigitant, Lemosius, Alvaresius, Contensonius, Massoulieus.

Cæterùm num constantem illam Thomisticæ Scholæ doctrinam edito libello impugnaverit Campanella, minùs moror, utporè quem a præconceptis præjudiciis tandem abductum, ad domestica castra, dum extremum vitæ cardinem premeret, rediisse, multis ostendi, *lib.* 4. *Historiæ de Auxiliis cap.* 27. At id satis mirari non possum, Campanellam tanto nunc pretio apud Molinianos haberi, quem non ita pridem curto vix asse licitabantur; jamque uti (*Remontrance a M. l'Archev. de Reims*,) *virum celeberrimum* ab Daniele, cæterisque Sodalibus in cælum efferri, a quibus ante annos aliquot tantùm non in culinam detrusus est. *Tametsi visus sit*, inquit Theophilus Raynaudus in Diatribis §. 57. *per aliquod tempus cymbalum mundi, tamen reverà est ignorantissimus; ita ut ne ipsos quidem terminos sive Philosophicos, sive Theologicos intelligeret. Sententias autem invehit non modò a S. Thoma, sed etiam a sensu cujusvis sani hominis adeò abhorrentes, ut desipere potiùs videatur quàm disserere. Hæreses crassæ in ejus libris tam multæ, & tam inexcusabiles occurrunt, ut mirum sit adeò pinguem scriptorem superioribus annis invenire potuisse laudatores.* Theophile; ne mireris; habet ille etiam hodie laudatores, & quidem ex tuis, jamque uti *vir celeberrimus* commendatur, ex quo illis visus est prædeterminantem gratiam impugnasse.

Non erit tamen operæ dispendium observare, Campanellam, hoc ipso in Opere, quod Daniel noster appellat, nimirùm in Centone Thomistico ad Præceptorem Scholasticorum, gratiam congruam deditâ operâ confutasse, Jesuitis ipsis ad marginem ex nomine appellatis. *Alii autem*, inquit *articulo* 1. *ajunt*, (*Jesuitæ*) NEC RECTIUS, *Deum non prædestinare, nec reprobare ante prævisionem actuum humanorum: item non prædestinari actus liberos per se a Deo, sed ab occasionibus fatalibus; quos quidem actus dicunt a rerum serie, ut vocabulum fati vitent, moveri; sic ut agant id, ad quod prædestinati sunt homines. Nam si prædestinatio est post prævisos actus, tunc actus prævisi ex serie orti, non ex libertate ut independente a serie, sunt infallibiles. Et tunc reverà nihil excusatur ex hoc Deus; sive enim per se, sive rerum serie per aliud trahat homines ad suos fines, infallibiliter fiet, quod decretum est, & inevitabiliter ad fines ibunt præscitos, sive præscriptos. Ex quo sequitur, inferentibus libertinis, e Calvini semine exortis, quòd peccatum non sit peccatum, nisi ex opinione, cùm ad ipsum impellamur a Deo, & effectus caussarum magis tribui debeat potentiori caussæ quàm debiliori, etiamsi absque hac non fiat. Adde quod*

Chrysostomus super Joannem considerat, quod Judas optima serie positus damnatur, & Cornelius Centurio in pessima salvatur. Ergo *voluntas non pendet a serie; nec ejus determinatio, nisi occasionaliter. Anima enim est ratio se ipsam movens, ut Plato, & Patres nostri docuerunt.* Hæc ille, quibus gratiæ congruæ defensores attonsi sunt.

XLI.

LIBELLI SUMMA.

(*A pag.* 206. *ad* 212.) Secunda, tertia, & quarta observatione hæc ipsa rursùs inculcat Theologus Molinianus, quæ de dissentiendi potentia, de sensu composito, & diviso, de gratia cum effectu suo intimè conjuncta, humanamque voluntatem indeclinabiliter, & insuperabiliter agente dixerat a *pag.* 45., ad 48., a 165., ad 170., a 123., ad 130., & *pag.* 186. Ut nimirùm gratiam se ipsa efficacem cum quarto sextæ sessionis Canone Concilii Tridentini ægrè admodùm conciliari demonstret; ejusque defensores difficultatem hanc futilibus, ac sensu vacuis cavillationibus declinare.

ANIMADVERSIO.

Tædet earumdem semper argutiarum. Has *Animadversionibus* 14. 30. 34., & 37. abundè diluimus: genuinum Tridentinæ Synodi sensum, a quo Moliniani deflectunt, declaravimus: Thomisticam distinctionem, qua æmulorum sophismata diluunt, a summis Scholæ Magistris petitam ostendimus: indeclinabilem, & insuperabilem gratiæ vim cum effectu intimè conjunctam, cum humana libertate conciliavimus.

XLII.

LIBELLI SUMMA.

(*Pag.* 213. 214., & 215.) Gratiam prædeterminantem cum gratia necessitatem inferente intima affinitate conjungi probat perbella illa observatione numero quinta: quòd ii, qui fatalem necessitatem inferri, seu tectè, seu apertè defendunt, errorem suum gratiæ prædeterminantis umbella tegant, aut etiam nihil se ab ea diversè sentire profiteantur. Quæ duo productà Thesium nescio qua-

quarum a quibusdam Theologis Duacensibus editarum lacinia, & Leydekerii Calviniani Ministri fragmento confirmat.

Ad restim funiculum addit, vulgatum scilicet Cardinalis Perronii dictum, a Galliæ purpurato Scriptore memoratum; dum Pontifici ad partes Dominicanorum inclinanti, pro physica gratiæ motione, significasse fertur, *se impetraturum ab omnibus Europæ sectariis, ut huic definitioni subscriberent.*

ANIMADVERSIO.

Egregiam sani capitis observationem! Quidni ergo Augustini doctrinam hac ipsa consideratione impetendam aggreditur? Namque pari, ac majori etiam audacia, qui gratiam necessitatem inferentem, seu tectè, seu apertè defendunt, errorem Augustiniani nominis umbra tegunt, seque nihil a summo divinæ gratiæ Magistro diversè sentire profitentur. Imò Augustiniano longè lubentiùs, quàm Thomistico nomine gloriantur. Apagè itaque dolosas illas, ac mendaces errantium professiones; quibus familiare est, cum catholicè, rectèque sentientibus doctrina, sensuque conjuncti videri velle. Quidni & ego clarigationis jure contrariam observationem opponam? Quandoquidem, & Arminiani hæreseos Semipelagianæ professores, nihil se a Molinianis diversè sentire contendunt.

Jansenianos quinque famosarum propositionum defensores, atque adeò potiori jure Calvinistas, Thomistico nomine per summam injuriam gloriari; eosque a gratiæ prædeterminantis professoribus procul abire, ingenuè fassi sunt Societatis Theologi primæ notæ: & Danielis in iisdem promiscuè confundendis audaciam in antecessum repressere.

Joannes Martinez de Ripalda *lib.* 2. *Operis adversùs errores Michaelis Baii*, *disp.* 14. *sect.* 5. *Falluntur*, inquit, *apertè, qui assertores physicæ prædeterminationis, a Bajanis* (hoc nomine Jansenianos indigitat) *non dividunt: & fallunt Bajani volentes persuadere, suam ab eorum sententia non esse diversam.* Tum assignato quadruplici inter utrosque discrimine: *Ex his*, inquit, *constat Bajanos a Thomistarum sententia distare in tradenda definitione, & conditione libertatis. Quippè Thomistæ constantissimè tuentur libertatem non posse cum necessitate antecedente componi, demtaque potestate ad utrumque indifferenti adimi libertatem. Bajani verò libertatem cum necessitate antecedente conjungunt, & indifferentiam potestatis ad utrumque necessariam ad libertatem instanter explodunt, & absque potestate ad utrumque indifferenti voluntatem hu-*

 manam

manam mereri, & demereri posse tuentur; nec ad hanc libertatem aliam conditionem desiderant, quàm voluntariam, & spontaneam, qualis competit dilectioni necessariæ Dei. A quo Thomistæ procul recedunt. Unde frustrà Bajani in sui tutelam eos sibi advocant patronos.

Franciscus Annatus in libro Romæ edito, quo tempore Jansenii caussa penderet, cui & titulum dedit: *Jansenius a Thomistis gratiæ per se ipsam efficacis defensoribus condemnatus, circa quinque propositiones, quæ Romæ examinantur*, Scholæ Thomisticæ adversùs Danielis obtrectationes caussam agit, sub ipsum scriptionis initium. *Janseniani Theologi*, inquit, *seu ut errorem tegant, seu ut in eo periculo, in quo versantur, Patres Dominicanos habeant propitios, adulatoria quadam simulatione fingunt, pugnare se tantùm pro gratia physicè prædeterminante, quam vocant gratiam per se ipsam efficacem: nec aliud spectare, quàm ut sarta tecta sit illa doctrina, pro qua tanta contentione disputatum est, sub duobus Pontificibus in Congregationibus de Auxiliis: & quia dicuntur id aliquibus persuasisse, interesse puto, tùm communis boni veritatis, quàm omnes quærimus; tum privatæ Thomistarum dignitatis, authoritatisque, quam non expedit in censura damnabilium propositionum implicari, ut omnes intelligant, præcipuos defensores gratiæ physicè prædeterminantis, & qui caussam illam ardentiùs egere circa tempora disputationum, contraria omninò posuisse principia principiis Jansenianis; quod, ut spero, Lector adeò perspicuè intelliget ex oppositione doctrinæ illorum Thomistarum ad quinque propositiones Jansenii; ut non dubitem, quin mecum dicturus sit, eos, qui tam facilè sibi patiuntur imponi a Jansenistis, alterutram necessariò Theologiam nescire, nempè vel Thomisticam, vel Jansenianam.* Hæc ille, cui maximè procuratæ quinque famosarum propositionum damnationis gloriam tribuunt Societatis Scriptores. Iis paria habet *in Informatione de quinque propositionibus ex Jansenii Theologia collectis*, aliisque passim libellis, sub idem fermè tempus elaboratis, ubi duodeviginti Thomisticæ, ac Jansenianæ doctrinæ discrimina Lectorum oculis subjicit.

Joannes Martinonus, seù (quod anagramma purum est) Antoninus Moraines, in Anti-Jansenio *pag.* 708. *Nulla est ex quinque illis propositionibus ad summum Pontificem missis, ut eas speciali censura notare dignetur, quam duo illi Ordines* (Prædicatorum, & Jesuitarum) *non damnent, & censura dignam judicent: nulla, cujus oppositum sibi certum esse non profiteantur: nulla denique, quam utriusque familiæ Theologi, quotquot de his rebus scripserunt, non graviter insectati sint.*

Stephanus Dechamps, *lib.* 2. *de Hæresi Janseniana, disp.* 3. *cap.* 3.

Quàm

Quàm invidiosè novi dogmatis fautores queruntur, per Janfenani latus univerfam S. Dominici familiam peti! Quàm importunè jactant, eandem effe utriufque cauffam, nec illum Tridentinæ Synodi fulminibus percuti poffe, quin iifdem phyficæ prædeterminationis affertores omnes amburantur! Hoc in circulis apud imperitos, & mulierculas deblaterant; hoc in publicis Doctorum concertationibus urgent acerrimè; hoc in libellis, quos tam frequenter emittunt in lucem, magno verborum apparatu, ac pompa cum omnibus expoftulant. At iftud tamen falfitatem omnem fuperat, & ab iis cum ftomacho ridetur, quibus utraque opinio nota eft, atque perfpecta.

Et *difput. 6. cap. 9. Glorientur licèt Janfeniani, tot fe nuperi dogmatis patronos habere, quot phyficæ prædeterminationis defenfores extiterunt; verè tamen mihi videor effe dicturus, nullos huic doctrinæ infenfiores reperiri, quàm qui poft natam Calvini hærefim, ex S. Dominici Ordine, aliifque ejufdem facramenti Theologis, majoris eruditionis, & ingenii laude floruerunt.*

Tot illis Molinianæ Scholæ Profefforum fuffragiis nixa Schola Thomiftica, Danielis infultus elidit; & commentitiam cum Janfenianis, & Calvinianis erroribus confonantiam abundè depellit, quin novis eam argumentis propulfare neceffe fit. Solam in iis dictorum conftantiam defideramus, quæ minùs profectò in aliquibus patuit; ut planè de fide noftra, (quam laudatis Opufculis integram pronuntiarunt) non ex veritate, fed ex cauffæ commodis, & pro temporum conditione ftatuiffe videantur. In his eft Francifcus Annatus, cujus varia fortuna (ut quidam non illepidè obfervavit) nedum Thomiftarum fortis, fed & fidei arbitra fuit. Dum enim Tolofæ privatus degeret, & in nos pro Scientiæ Mediæ defenfione ftylum exerceret, eo judice eramus filii tenebrarum, Hæretici, Calviniftæ: Cùm verò Regiam urbem, & Aulam attigit, adversùs Janfenianos depugnaturus, ejus fortunam fecuta eft fides noftra: nullâque in nobis factâ fententiæ mutatione, effecti fumus ex hæreticis, & filiis tenebrarum, filii lucis, Catholici, Orthodoxi, a Calvinianis, ac Janfenianis toto cœlo disjuncti; non utique merito, ac mutatione noftra, quæ nulla fuit, imò nec Chrifti gratia, fed Annati. Mirum dictu! Fidem Chrifti gratia non largitur, nifi cogitantibus, & volentibus; Annati verò, fideles nos ex novatoribus, etiam non volentes, imò nec cogitantes effecit. Faxint Superi, ut eandem in Danielis gratia efficaciam experiri aliquando contingat; quod tunc fortè fiet, fi quam nunc in Thomiftas iram exercet, in Calvinianos aliquando convertat.

Cardinalis Perronii dictum, putidis fabulis accenfendum oftendi tam

tam multis vicibus, ut tædeat me, pigeatque, novam in confutando figmento operam ponere. Optandum, ut & ipsos fabellæ buccinatores pigere aliquando posset; ut tot a me momentis convicti, repressique ab ea disseminanda temperarent. At vereor maximè, ne diu mihi illud Augustini contra Julianum *lib.* 3. *Operis imperfecti cap.* 36. usurpare necesse sit: *Toties dicere vera me piget, cum toties te dicere vana non pudeat*. Tu interim, amice Lector, si verum amas, fabellæ confutationem lege lib. 3. *Historiæ nostræ de divinis Auxiliis capp.* 45. 46. 47. in Gallicis ejusdem Historiæ Vindiciis, *responsione* 1. ad *primam quæstionem cap.* 16. in *Epistola* Danieli Jesuitæ inscripta, haud longè a fine.

XLIII.

LIBELLI SUMMA.

(*Pag.* 215. & 216.) Gratiæ efficaciam ex Scientiæ Mediæ directione suspensam, ubivis in Galliæ, Hispaniæ, Italiæ, Germaniæ, Lusitaniæ Academiis traditam dicit: è contra gratiæ se ipsa efficacis systema, necdum communi Catholicarum Scholarum calculo receptum, ante Bannesium. Quod ut probet, Calvino authore nititur, qui hoc ipsum Theologiæ Thomisticæ caput, suum faciens, adversam illi multorum sæculorum traditionem agnoscit, *lib.* 2. *Institutionum cap.* 3. *num.* 10. ubi hæc habet: *Voluntatem movet Deus, non qualiter multis sæculis traditum est, & creditum, ut nostræ posteà sit electionis motioni aut obtemperare, aut refragari; sed illam efficaciter afficiendo.*

ANIMADVERSIO.

Pudeat Catholicum Professorem, ad denigrandos Romanæ communionis Theologos, de Fide, ac Religione optimè meritos, Calvino authore niti, eundemque utì fidum Ecclesiasticæ Traditionis interpretem ostentare. Gratiæ efficaciam multorum sæculorum Traditioni adversam dixerit ille; quid ad nos? Dicto fidem adjungant, qui tali doctore, ac Traditionis expositore delectantur: nos alium ambimus. Cur ita Calvinus dixerit, in promptu est: nec mirum, si probet Daniel. Idcircò enim gratiam humanæ voluntatis arbitrium efficaciter afficientem, Majorum Traditioni repugnantem asseruit pseudo-reformationis Architectus, quia eam liberæ obtemperandi, aut refragandi facultati, quam multis sæculis creditam noverat, contrariam judicavit: (qua in re amicas illi Moliniani dexte-

dexteras conferunt.) At qui duo hæc sociari norunt, Reformatoris petulantiam cum supina Traditionis ignoratione conjunctam exe-crantur.

Quin suos ubivis defensores habeat gratiæ efficacia, ex Scientiæ Mediæ directione suspensa, haud ibo inficias : suis quippè rebus sat bene prospiciunt, quorum interest, ut corrasis undecumque discipulis, Scholæ suæ accessionem haud modicam faciant. At numero illos, authoritate, eruditione, quodque caput est, caussæ meritis superare, id verò diffiteor. Quamquàm si numero cæteros vincerent, non ideo tamen meliori jure esse putandi forent; cùm, & olim *paucos duntaxat perfectæ gratiæ intrepidos amatores* (*Epist. ad August.*) circumspiceret D.Prosper, qui suas ipsi, in promovenda Augustini doctrina, operas commodarent.

Cæterùm gratiæ se ipsa efficacis systema, necdum in Catholicas Scholas inductum ante Bannesium (hoc est, ante annum 1581. quo primam ille Prudentii de Monte-major periclitationem repressit) nemo dicat, qui primos adversæ sententiæ Magistros, ac Defensores, vel obiter legerit. Dicti falsitas brevi observatione detegitur. Alterum quippè necesse est : aut gratiam se ipsa victricem, atque efficacem poni, aut ejusdem efficaciam ex Scientiæ Mediæ directione suspendi. Fatetur id Suarez ipse *lib.2. de Scientia futurorum condit. cap.4.* Semel non admissâ Scientiâ Mediâ, ut gratiæ efficacitas consistat, & infallibilitas divini decreti, & divinæ prædestinationis, debere necessariò admitti præmotionem physicam. Cujus hanc decretoriam rationem assignat : *Quia infallibilis consecutio effectus ex vocatione efficaci intelligi non potest, nisi aut ex physica efficacia, & prædeterminatione caussæ, aut ex mera scientia .... Illa autem scientia non est alia, nisi hæc conditionata.* Ecquis verò scientiam illam conditionatam, seu mediam communi Scholarum calculo receptam dicere audeat ante Bannesium; Molina ipso Bannesii æmulo, ejusque Sodalibus illius novitatem ultrò fatentibus; ac etiam, quod mirandum magis, de inducta in Scholas novitate sibi plaudentibus? Gratiam itaque prædeterminantem, ante id temporis, communi Scholarum assensu receptam fuisse, fatendum est.

Molinæ nota vox est, sub finem editæ *Concordiæ*, post explicatum, ac propalatum Scientiæ Mediæ systema, cui tota gratiæ congruæ moles incumbit. *Longior fui in hac disputatione, quàm optaram .... Quia tamen res est magni momenti, & valdè lubrica; & hæc nostra ratio conciliandi libertatem arbitrii cum divina prædestinatione,* A NEMINE, QUEM VIDERIM HUCUSQUE, TRADITA FUIT, *ideo satius hæc duxi paulò fusius explicare, ne fortè*

fortè eorum pressior explicatio efficeret, quominùs mens nostra ab his, qui minùs ingenio pollent, perciperetur.

Fonseca, qui inventæ Scientiæ Mediæ gloriam Molinæ invidit, *tomo* 3. *Metaphysicæ lib.6. cap.2. quæst.4. sect.*8. postquam excogitatam a se ante annos triginta Scientiam Mediam declaravit, ita subjungit: *Unum illud scrupulum injiciebat, ne hac ratione novum aliquid fortasse induceretur, quod non omni ex parte cum communi Patrum doctrina, aut diligenti Scholasticorum examine, & accurata lima conveniret.* NEQUE ENIM QUISQUAM ERAT, *qui hoc pacto libertatem arbitrii nostri, cum divina præscientia aut providentia apertè, &* (ut dicitur), *in terminis conciliasset.*

Vasquez 1. part. disp.67. cap.4. de Scientia Media instituto sermone *Quòd enim*, inquit, *antiqui Scholastici, qui hactenus scripserunt, tantùm meminerint simplicis scientiæ visionis, & simplicis intelligentiæ, parùm interest: tum quia* ILLI DE HAC SCIENTIA SUB CONDITIONE NIHIL OMNINO' DISPUTARUNT .... *Quid igitur si nos aliam ponamus, cujus ipsi mentionem non fecerunt, neque negarunt?*

Granado, 1. *part. Tract.*5. *disp.*3. *sectione* 2. Suaresium impugnat, qui Scientiam Mediam variis D.Thomæ, veterumque Theologorum testimoniis confirmarat. *Fateor*, inquit, *nullum ex his testimoniis multùm urgere*. Cujus hanc rationem assignat: *quia opinantur*, scientiam futurorum, *cum divino decreto habuisse infallibilem, & certissimam connexionem*: hoc est, ut planiùs dicam, quia futura non Scientiâ Mediâ, sed notitiâ decreto nixâ cognosci contendunt. Ac tùm postea: *Nec mirum est*, inquit, *si temporum decursu aliquid a* THEOLOGIS RECENTIORIBUS EXCOGITATUM SIT; *præsertim si firmis nitatur fundamentis, ut nostram hanc sententiam niti persuadent multa, quæ subjiciemus.*

Herice, 1. *part. Tract.*1. *disp.*7. *cap.*1. *n.*7. *&* 8. *Primores*, inquit, *Scientiæ Mediæ patroni è nostra Societate sunt. Inter eos princeps Molina .... deinde P.Petrus Fonseca.* Mox de ipso Fonseca hæc habet: *Post relata Patrum testimonia satis expressa pro nostra sententia, in admirationem raptus, antiquos Theologos, ait, ad hæc non attendisse,* ET SCIENTIAM HANC E' TENEBRIS, IN QUIBUS TOT SÆCULIS JACUIT, NON ERUISSE. At mantissa obsonium vincit. Subdit, quippè Valentinus Herice, novo illo Scientiæ Mediæ figmento mentem pastus. *In qua ego re divinam veneror submissè Providentiam, & singulare ipsius beneficium in nostræ Religionis Magistros collatum agnosco. Nam quo tempore duo Lutheri pestifera dogmata satanico flatu succensa magnum seditionum incendium excitarunt; & Ecclesiam Dei mul-*

multos annos fatigarunt ; alterum, quo falsa Evangelii specie homines ab Ecclesiæ reverentia, atque obedientia subtrahere conati sunt, & Romani Pontificis potestatem elevare : alterum, quo liberi nostri arbitrii indifferentiam in operando funditùs evertere, remque esse de solo titulo, & jam non liberum, sed servum arbitrium appellandum esse : hoc ergo tempore cùm venenum suum magna dissimulatione propinabat Lutherus, serpebatque malum in plures; (tantùm in animo pietatis vinculis exsoluto impotens potest audacia !) contra utrumque dogma minimam nostram Societatem divino munere insignitam erexit Conditor omnium, & instruxit Dominus Exercituum ; eamque sanctissimus Ignatius Fundator noster egregius tam arctè dedidit Romano Pontifici, ut quarto solemni obedientiæ voto contra Lutheri inobedientiam obstrinxit, atque sacravit. Et doctissimos ejusdem familiæ scriptores, ut canes ad custodiam, adversùs hos lupos advigilantes, CÆLESTI LUMINE PERFUDERIT, HACQUE ILLUSTRAVERIT SCIENTIA, *qua libertas arbitrii contra Lutherum, & Calvinum, aliosque sectarios defendi possit.... Itaque ut singulari obedientia venenum inobedientiæ, quod homines imbibebat, sanavit Ignatius, ita hac scientia conditionali satanicum dogma contra libertatem funditùs evertitur.*

Claudet agmen Jesuita Typhanius *libro de Ordine*, deque priori, & posteriori *cap.* 24. apertè professus, *nullum alium Theologum ante Molinam, ne per somnium quidem, de Scientia Media cogitasse ; nec illam ullibi vel supposuisse, vel adhibuisse.*

Si quis autem distincta Theologorum suffragia legere amat, qui gratiam se ipsa victricem ante Bannesium propugnarunt ; doctissimi P. Antonini Reginaldi posthumum opus adeat, ubi tota fermè *parte* 2. magna pompa, & singulari eruditione proferuntur.

XLIV.

LIBELLI SUMMA.

(*Pag.* 217. & 218.) Libello finem imponit, dato Lectoribus monito, ut qui gravem istam de gratia se ipsa victrici controversiam addiscere amant, a Thomistarum lectione sibi caveant ; sed præcipuum in Suaresio studium ponant, quo felicius nemo impeditissimas hoc de argumento difficultates eliquavit.

ANIMADVERSIO.

Egregiè monet vir Molinianus, quò suos in fide contineat. Certè Ethnicos Imperatores Christianorum librorum lectionem suis olim interdixisse, ne divinam lucem adspicerent, vetus prodit Historia: verum futuros his demùm temporibus aliquos, qui artem imitari palam, suaque in commoda transferre vellent, vix quisquam existimasset. Eccur verò a Thomistarum lectione cavendum monet? Nempè, inquit ille, *quia nemo prudens, ubi lis agitur, de partis adversæ meritis ex partis alterius instrumentis judicium feret*. Sic sanè: at cur ergo de Scholæ Thomisticæ juribus, ex unius Suaresii lectione statuetur? Legatur itaque Suarez; non invideo, modò ne partis adversæ Theologi negligantur. Hunc ego cæteris quibusve Societatis Scriptoribus Scholasticis antepono, ac summè veneror: utque de illius honore sollicitus vivo, ita Danielem adhortor, ut Cardinalis Perronii (cujus acre judicium superiori pagina tanti fecit) de eximio viro censuram e Perronianis expungi curet, aliàs periculum est, ne gratiæ congruæ studiosi, ab ejus lectione, invitati licèt, ac moniti deterreantur. (*in Perron.Tit.* Suarez) *Suarès est le plus ignorant homme en antiquitè, qu' il est possible. Les Jesuites de Turin m' apporterent un livre de quoi ils faisoient grand cas. Je leur montray tant de passages, si impertinamment, sottement, & ignorammcnt tirès, que rien plus, & falsifiès aussi. Le P. Coëffeteau dit qu'on le tenoit pour le plus excellent Metaphysicien de tous les Docteurs. Je repondis, mais le plus souvent, ce n'est que sophistiquerie. Celuy d'entre tous les Scholastiques, qui a ecrit plus mal de l'Eucharistie, c'est Suarès.* Quod ita Latinè sonat. *Suarez in factis, & dogmatibus antiquis, mortalium omnium ignorantissimus est. Librum ab illo editum obtulere mihi Jesuitæ Taurinenses, magno apud illos pretio habitum. Quibus ego innumera testimonia intento digito designavi, adeò ineptè, stolidè, & ignoranter ab illo extorta, ut nihil magis, atque etiam omninò falsata. Hunc acutissimum Doctorum omnium Metaphysicum haberi dixit P. Coeffetaus: cui respondi, sit ita; sæpiùs tamen puris, putisque sophismatibus evanescit. Suarez Scholasticorum omnium pessimè de divina Eucharistia scripsit.*

Hæc dum interim e Perronianis expungi curabit Daniel, alterum ego citra cujusquam seu Thomistarum, seu Molinianorum invidiam, Lectori meo monitum dabo, quo vicissim libello finem imponam: certaque mihi spes est, fore ut tanto ab æquis æstimatoribus plausu accipiatur, quanto ab iis risu Danielis monitio excepta est. *Tu autem, dilectissime, & venerandissime mihi frater, si ve-*

si verè de his quæstionibus instrui desideras, sicut desiderare te convenit; ipsis beati Augustini disputationibus cognoscendis impende curam, ut in confitenda Dei gratia defæcatissimam, ac saluberrimam Evangelicæ, Apostolicæque doctrinæ intelligentiam consequaris. S. Prosperi verba sunt, sub finem *Epistolæ ad Rufinum.*

En tota vestra caussa impulsa, prostrata, contrita, & sicut pulvis, quem projicit ventus a facie terræ, sic a cordibus eorum, quos decipere cœperatis, si hæc voluerint, deposito contentionis studio cogitare, projecta est. S. Augustinus lib. 2. contra Julianum capite 3.

FINIS.



FACULTAS

Reverendissimi P. Magistri Generalis Ordinis Prædicatorum.

Nos Fr. ANTONINUS CLOCHE, sacræ Theologiæ Professor, ac totius Ordinis FF. Prædicatorum humilis Magister Generalis, & servus, salutem.

TEnore præsentium, & Officii nostri authoritate, licentiam facimus tibi Rev. adm. Patri Fr. Jacobo Hyacintho Serry Ordinis nostri, Doctori Sorbonico, & in Serenissimæ Reipublicæ Venetæ Academia Patavina Theologo Primario, typis edendi librum, cui titulus est, *Schola Thomistica Vindicata*, *seu Gabrielis Danielis e Societate Jesu Tractatus Theologicus adversùs Gratiam se ipsa efficacem*, *censoriis Animadversionibus*, &c. dummodò priùs approbatus fuerit a duobus ex Ordine nostro Theologiæ Magistris, aut Theologiæ Professoribus, & servatis aliàs de jure servandis. In quorum fidem, &c. Datum Romæ die 17. Novembris 1705.

Fr. ANTONINUS CLOCHE Magister Ordinis.
Registrata fol. 182.
Fr. JOSEPH M. BROüET Magister & Socius.

APPROBATIO

Theologorum Ordinis Prædicatorum.

ORdinis nomine attentè legimus librum inscriptum, *Schola Thomistica Vindicata*, editum a R. A P. M. Hyacintho Serry Primario Academiæ Patavinæ Theologo; nihilque in eo deprehendimus Catholicæ fidei, aut bonis moribus repugnans, imò quamplurima observavimus, quibus tutissima, firmissimaque SS. Augustini, & Thomæ doctrina adversus ejusdem æmulos maximè confirmatur. Datum Venetiis die 1. Januarii 1706.

Fr. ANTONIUS BONINCHI Magister.
Fr. VINCENTIUS M. FERRO Magister, & Illustrissimi, ac Reverendissimi DD. Venetiarum Patriarchæ Theologus.

IN-

INDEX

Materiarum, & Rerum notabilium.

A

B

Be-

D

Sa-

Futu-

H

He-

Je-

Qua-

Ver-

M

Hos

Sa-

V

Z

FINIS.

Erra-

Pag.	lin.	*Errata*	*Tiporum ita*	*emendanda*
53	ult.	telum		velum
54	32	obtum escet		obmutescet
72	11	quosque		quousque
89	22	spectato		expectato
115	12	priùs		piùs
125	40	Simeon dacus		Simeon Jalcut
144	2	stabilium		stabiliam
156	22	Sinimus		sivimus
226	36	Dei vel viriles		Dei — viriles
233	9	stricti		stricti juris
330	4	auxilior		auxilio
445	3	muturavitm		maturavit, ut
495	4	ex animo		eo animo
543	10	ὁμουοις		ὁμουσιυ
561	10	gratiæ se ipsa effectui		gratiæ effectui
587	2	avertentem		antevertentem
592	31	itaque ita		atque ita
600	38	sii quidem		siquidem
620	29	in ipse		is ipse

Cætera levioris momenti prudens Lector animadvertet.